5. 7. 248

Digitized by Google

X 11
SAGNER 7 2
1757.
Digitized by Google

INSTITUTIONES PHILOSOPHICAE

In uſum Scholarum

Ex probatis Veterum, Recentiorumque ſententiis

ADORNATAE

A GASPARO SAGNER

SOC. JESU

Philoſ. Profeſs. Reg. Publ. Ord., & *Examinatore in Univerſitate Pragenſi.*

TOMUS II.

COMPLECTENS METAPHYSICAM.

EDITIO PRIMA ITALICA

Mendis innumeris expurgata, plurimis Additamentis illuſtrata, opportuniſque Indicibus aucta.

Della P. C. del Convento

Libreria de' Minimi di Firenze posto l'an. 1779

N. O

PLACENTIAE

CIϽIϽCCLXVII.

Impenſis Nicolai Orceſi Bibliopolæ ad S. Georgium in via vulgo *de' Calzolai*.

HABITIS SUPERIORUM FACULTATIBUS.

Scientiarum illæ certiores ſunt, quæ maxime primorum ſunt. Ariſt. Metaphyſ. I. cap. 2.

Digitized by Google

PROOEMIUM.

LOgicæ altero hoc Inſtitutionum Philoſophicarum tractatu ſubjungo Metaphyſicam ; quo uno equidem nomine quaternas diſciplinas noto, Ontologiam ſcilicet, ſeu Philoſophiam Primam, Coſmologiam, Pſychologiam, ac Theologiam Naturalem, morem, ritumque in hoc ſequens hodie perquam receptum.

In harum ſingulis maxime notionum diſtinctarum rationem habere, atque ex his demum de rebus ſententiam ferre placuit: neque putem immerito: quandoquidem hæc tantum non una videtur ratio eſſe, qua & diſciplinarum memoratarum dignitati, & eas colentium utilitati ſatis conſultum cenſeri poſſit.

Hinc autem non a Metaphyſicæ Scriptoribus quemque ducem ſuſcipere, ſequique licuit: delectu opus fuit. Qui luminis plurimum ſuppeditare poſſet, Vvolffius viſus eſt: hoc tamen ſine temperatione uſus non ſum: deflexi a ſenſis illius, ubi e re id eſſe videbatur.

Verum juſto nonnullibi brevior, parcior-

que forte apparebo. Atqui iis ſcribo, quibus explanatio, quam illi audire tenebuntur, & lucem uberiorem, & copiam adferre poterit. Ceterum inanibus altercationibus, ob quas Metaphyſicam vel nominari ægre hodiedum multi ſuſtinent, campum aperire nolui: doctrina, quæ ſolidam veritatem reſpiciat, tirones imbuendos putavi. Hanc modo aſſequantur: ſatis profecto mihi eſſe & poterit, & debebit.

TO-

Digitized by Google

TOTIUS METAPHYSICÆ PROSPECTUS.

ONTOLOGIÆ *Prolegomena*. Pag. 1
SECTIO I. DE PRINCIPIIS ONTOLOGIÆ.
Cap. I. De Principio Contradictionis. 5
Cap. II. De Principio Rationis ſufficientis. 12
SECTIO II. DE ENTE, EJUSQUE ESSENTIA, ET EXISTENTIA.
Cap. I. De Impoſſibili, & Poſſibili, Indeterminato, & Determinato. 26
Cap. II. De Notione entis. 40
Cap. III. De Eſſentia entis. 42
Cap. IV. De Exiſtentia. 46
SECTIO III. DE GENERALIBUS AFFECTIONIBUS ENTIS.
Cap. I. De Attributis, & Modis. 49
Cap. II. De Identitate, Diverſitate, & Diſtinctione. 53
Cap. III. De Singulari, & Univerſali. 60
Cap. IV. De Oppoſitis, & Diſparatis. 65
Cap. V. De Neceſſario, & Contingente. 68
Cap. VI. De Qualitate, & agnatis Notionibus. 78
Cap. VII. De Quantitate, & connexis Notionibus. 84
Cap. VIII. De Ordine, Veritate, & Perfectione. 91
SECTIO IV. DE SPECIEBUS ENTIUM.

Cap.

Cap. I. De Entis Compoſiti Eſſentia, nonnulliſque Affectionibus. 99
Cap. II. De ceteris Entis Compoſiti Affectionibus. 103
Cap. III. De Ente Simplici. 123
Cap. IV. De eo, quod dicitur Subjectum, itemque Modificabile, deque ipſis rerum Modificationibus. 129
Cap. V. De Subſtantia, & Accidente. 133
Cap. VI. De Ente Finito, & Infinito. 139
SECTIO V. DE ENTIUM AD SE INVICEM RESPECTU.
Cap. I. De Rerum Dependentia, & Relatione. 142
Cap. II. De Principiis, & Cauſſis. 144
Cap. III. De Signo, & Signato. 154
COSMOLOGIÆ *Prolegomena.* 155
Cap. I. De Mundi Notione, Eſſentia, & Attributis. 157
Cap. II. De Natura Corporum, ac inde pendentibus Affectionibus. 165
Cap. III. De Elementis Corporum, borumque ex illis ortu. 181.
Cap. IV. De Natura univerſa, itemque de Naturali, & Supernaturali. 201
PSYCHOLOGIÆ *Prolegomena.* 215
PSYCHOLOGIÆ EMPIRICÆ SECTIO I. DE ANIMA HUMANA IN GENERE.
Cap. unicum. De Exiſtentia Animæ. 217
SECTIO II. DE FACULTATIS COGNOSCEN-

DI PARTE INFERIORI.

Cap. I. De Facultate cognoſcendi in genere, ejuſque diviſione. 220

Cap. II. De Facultate ſentiendi. 222

Cap. III. De Facultate imaginandi, ſeu de Phantaſia. 226

Cap. IV. De variis quibuſdam Animæ Statibus, ſcilicet Vigilia, Somno, Somnio &c. 230

Cap. V. De Memoria, Oblivione, & Reminiſcentia. 235

SECTIO III. DE FACULTATIS COGNOSCENDI PARTE SUPERIORE.

Cap. I. De Facultate attendendi, & reflectendi. 239

Cap. II. De Intellectu. 241

Cap. III. De Ratione, & Facultate inveniendi. 247

SECTIO IV. DE FACULTATE APPETITIVA.

Cap. I. De Facultatis Appetitivæ Parte Inferiori, ſeu Appetitu Senſitivo. 252

Cap. II. De Facultatis Appetitivæ Parte Superiori, ſeu Appetitu Rationali. 260

SECTIO V. *Cap. unicum. De Commercio inter Animam, & Corpus, illiuſque in iſtud regimine.* 272

PSYCHOLOGIÆ RATIONALIS SECTIO I. DE ANIMABUS HUMANIS.

Cap. I. De Animæ humanæ Eſſentia, ac Natura. 291

Cap. II. De Facultate cognoſcendi. 316

Cap. III. De Facultate appetitiva. 324

Cap. IV. De Modo explicandi Commercium inter Animam, & Corpus. 336
Membrum I. De ſyſtemate Influxus Phyſici. 341
Memb. II. De ſyſtemate Cauſſarum Occaſionalium, ſive Adſiſtentiæ. 347
Memb. III. De ſyſtemate Harmoniæ Præſtabilitæ. 350
Memb. IV. Sententia noſtra. 355
Cap. V. De Animæ humanæ ortu, & Immortalitate. 371
SECTIO II. DE SPIRITIBUS, ET ANIMABUS BRUTORUM.
Cap. I. De Spiritibus. 381
Cap. II. De Animabus Brutorum. 386
THEOLOGIÆ NATURALIS *Prolegomena.* 391
Cap. I. De Exiſtentia Dei. 393
Cap. II. De Attributis Dei in genere. 400
Cap. III. De Intellectu Dei, & Attributis cum eo connexis. 402
Cap. IV. De Voluntate Dei, & Attributis cum ea connexis. 426
Cap. V. De Operibus Dei. 432
Cap. VI. De Prædicatis Dei, quæ ex antecedentibus declarantur, & demonſtrantur. 452

ON-

ONTOLOGIA
SIVE
PHILOSOPHIA PRIMA.

ONTOLOGIÆ PROLEGOMENA.

§. 1. ONTOLOGIA, quæ & *Philoſophia prima* appellatur, eſt *Scientia entis in communiſſima conſideratione ſumpti, prout hoc prædicatum omnibus, quæ cogitari, vel concipi poſſunt, competit*. Aut clarius forte: Ontologia eſt *Scientia communiſſimarum idearum, ac ſimul propoſitionum tradens ea, quæ rebus omnibus ſive abſolute, ſive ſub conditione certa conveniunt*.

2. Hinc aperte intelligimus, Ontologiam in cæteris diſciplinis, quæcumque eæ ſint, indiſpenſabiliter uſum ſuum habere. A notionibus, & propoſitionibus ontologicis indubitate pendet, ut quæ cum in Logica, tum in Philoſophia practica, Theologia naturali, Coſmologia, Pſychologia, Phyſica &c. pertractanda veniunt, rite intelligantur: unde etiam conſequitur, primo eamdem loco eſſe pertractandam. Quod ſi autem porro ſupponimus in cæteris his diſciplinis certa tradi debere, clarum ſimul, manifeſtumque fit, in ipſa Ontologia maxime certitudini eſſe ſtudendum, utendumque adeo methodo demonſtrativa, ſeu ſcientifica, vi cujus in illa non adhibeantur termini, nisi

niſi clari, & diſtincti, conſequenter accurate explicati, ac definiti, nec propoſitiones admittantur, niſi exacte determinatæ, atque ex principiis certis, & indubitatis legitime deductæ: ob quod ipſum Ontologiam, ſeu Philoſophiam primam Scientiæ titulo condecoramus.

SCH. Quod Philoſophia prima in Scholis tradi ſolita aliquando in inſignem contemptionem ſit adducta, inde factum dicitur, quod in ea locus conceſſus ſit terminis male definitis, notionibus plerumque confuſis, ſubinde etiam prorſus obſcuris, nec curatum, ut principia ſufficienter probarentur: nobis proinde opera danda erit, ut juxta leges bonæ methodi termini, cum quibus confuſa alias notio conjungebatur, diſtincte evolvantur; adhibitisque legitimis definitionibus, exponatur, quæ cuique termino notio reſpondeat.

3. Ontologia proinde, seu Philosophia prima haud immerito caput reliquarum disciplinarum, et scientiarum philosophicarum salutari potest. Quippe cum principia ſuggerat, quæ reliquis omnibus ſcientiis communia ſunt, & ex quibus peculiares ſcientiarum veritates vim ſuam, atque robur ſortiuntur; liquet adeo præſtantia Ontologiæ; quam ſane haud mediocriter exaggerat uſus ille, quem ipſa in veritatis inventione præſtat: etenim cum veritates inveniantur, dum eædem ex aliis veritatibus tamquam principiis ſuis eruuntur (§. 253. Log.), facile patet, quemque expeditius in veritate inveſtiganda progreſſurum eſſe, ſi intellectum primis veritatibus, notionibuſque generalioribus probe imbuerit, id quod per Ontologiam conſequetur.

4. Ontologiam ineptiſſime quidam e medio ſubla-

latam volunt, cum tamen ea homines carere non poſſint. Numquid homines, rationales cum ex natura ſua ſint, ratiocinia non formant? Atqui vero nullum ratiocinium formari poteſt ſine idea communi; cum ex mere particularibus nihil ſequatur: communes ideæ, ſi & ipſæ probari debent, pendent a communioribus; communiores tandem ab ultimis, iisque omnium communiſſimis, quæ in Ontologia explicantur (§. 1.): ad hanc igitur indiſpenſabiliter recurrendum. Quod ſi ais: hic peculiari diſciplina non opus eſſe; ſatis mentem humanam per naturam ſuam comparatam eſſe ad ratiocinandum, atque adeo ad idearum communium, & univerſalium informationem: repono: igitur ſaltem quandam Ontologiæ naturalis ſpeciem admittendam agnoſcis; nempe quæ notionibus ſi non obſcuris, certe confuſis abſolvitur: connitendum vero eſt, ut ex notionibus diſtinctis ratiocinemur; an non proinde diſciplina opus eſt, quæ pro notionibus, & veritatibus obſcuris claras, pro confuſis diſtinctas largiatur, id eſt, Ontologia artificiali?

5. Sed enim adverſus Ontologiam ſpeciatim iſtud militare videtur: omnia ratiociniis in ea aguntur; experientiæ nihil tribuitur. Atqui vero non ita res habet: nititur ſane Ontologia etiam experientia, at nempe univerſali. Veritates hæ, ceu prima Ontologiæ principia: *Fieri non poteſt, ut idem ſimul ſit, & non ſit*: item: *Nihil eſt ſine ratione ſufficiente*, an non communi omnium ſenſu, & experientia fulciuntur? (1)

(1) Ambiguum eſt *Experientiæ* vocabulum. Experientia, ſive obſervatio dicitur *cognitio, quæ ſenſibus acqui-*

6. Quanta in Ontologia farrago vocum barbararum, & plane horriſonarum! Num fructum aliquem, uſumve ex ea ſperare deceat? Talia obtendenti facile reſponderi, ſatisque fieri poteſt. Ad Ontologiam quoniam pertinet tradere notiones maxime abſtractas, utpote rebus omnibus convenientes (§. 1.); in communi autem ſermone non deprehenduntur nomina, quæ illis reſpondeant, neceſſitate quadam evenire debuit, ut in eam termini introducerentur, quos vetus Latium fere ignoravit: atqui vero hi nequaquam continuo inter neſcio quam barbaros, horridumque ſonantes numerandi ſunt: voces barbaræ an non illæ demum ſunt, quæ aliis in latina lingua receptis præter neceſſitatem ſubſtituuntur; minime autem illæ, quæ excogitantur ad denominanda ea, quibus nondum fuit nomen aliquod impoſitum? Numquid non cuivis ſcientiæ, artive integrum eſſe debet terminos quoſdam proprios habere, qui *Technici* audiunt? Cur iſtud Ontologiæ conceſſum non ſit? (2)

ON-

quiritur: cognitio pariter, *quam acquirimus, dum noſtras contemplamur operationes*, experientia dicitur. Atqui hoc modo ſumta experientia ab *Experimento* differt, quod definitur *effectus ſenſibilis, qui mediante opera noſtra contingit*.

(2) *Uſitatis tutius utimur: nova non ſine quodam periculo fingimus*... *Audendum tamen: namque, ut Cicero ait, etiam quæ primo dura viſa ſunt, uſu molliuntur*. Quintil. Inſtit. Orator. Lib. I. Cap. 5.

ONTOLOGIÆ
SECTIO I.
De Principiis Ontologiæ.
CAPUT I.
De Principio Contradictionis.

7. NOmine *Principii* hic univerſim indigitamus *Veritatem, ex qua aliæ veritates probantur, & intelliguntur*. Hinc in ſpecie *Principia Ontologiæ* cenſebuntur *illæ veritates, ex quibus veritates ontologicæ probari, ac intelligi poſſunt*. Quoniam autem ex veritatibus ontologicis peculiares porro veritates tum in quibusvis diſciplinis, tum adeo in communi etiam vita probantur, & intelliguntur, diſcimus ſane, *Principia Ontologiæ eas eſſe veritates, in quas omnes aliæ demum reſolvuntur, eſſeque adeo veritates abſolute primas*.

8. Mens nostra ita comparata est, ut cognoscens rem aliquam esse, judicare nequeat eamdem non esse. Clariſſime id quisque in ſe experiri poteſt; dum quippe cognoſcit ſe exiſtere, fieri non poteſt, ut judicet, ſe non exi-

ſtere; dum cognoſcit Solem actu lucere, nequit judicare, actu Solem non lucere. Sceptici adeo ipſi admittere coguntur fieri non poſſe, ut quod ſibi quis apparere cognoſcit, judicet ſibi non apparere; quod ipſum propoſitionem noſtram ſtabilit, ac confirmat.

SCH. Poterit quidem quis rem e. g. aliquam actu videns dicere, ſe eam non videre, ſed nempe conſcientia repugnante.

9. Hinc ergo eſt, quod ſine probatione concedamus hanc generalem propoſitionem: *Fieri non poteſt, ſeu impoſſibile eſt, ut res aliqua ſit, & ſimul non ſit*: itemque in caſibus particularibus e. g. iſtas: *Impoſſibile eſt, ut homo currat, & ſimul non currat: Ut lapis ſit durus, & ſimul non durus, ſive mollis.*

10. Propoſitio hæc: *Impoſſibile eſt, ſeu fieri nequit, ut idem ſit, & ſimul non ſit, Principium contradictionis* nominari conſuevit. Ad cujus vim, atque efficaciam plenius intelligendam de contradictione ſequentia annotaſſe juverit. Eſt nempe *Contradictio ſimultanea ejuſdem rei affirmatio, & negatio*. Hanc nemo non facile agnoverit obtinere in propoſitionibus ſingularibus, quarum, cum utraque idem ſubjectum, & prædicatum habuerit, una fuerit affirmativa, altera negativa, e. g. *Petrus eſt ſcribens; Petrus non eſt ſcribens* (§. 100. Log.): ſed enim ex eo ipſo, quod contradictio obtineat in propoſitionibus ſingularibus ejuſdem ſubjecti, & prædicati, quarum altera affirmativa, altera negativa eſt, ſequitur, contradictionem obtinere etiam debere in propoſitionibus, quarum una particulariter negatur, quod altera univerſaliter affirmatur, vel viciſſim: e. g. *Omnis homo*

eſt

eſt animal; *Aliquis homo non eſt animal*: aut generaliter: *Omne A eſt B*; *Aliquod A non eſt B*. Oſtenditur id ipſum ita. Propoſitio hæc: *Omnis homo eſt animal*, hunc habet ſenſum: *Omni illi*, *cui convenit terminus homo*, *convenit terminus animal*; atque ideo recte in has ſingulares reſolvitur: *Hic homo eſt animal*; *Ille homo eſt animal*; *Iſte homo eſt animal*: contra hæc propoſitio: *Aliquis homo non eſt animal*, utique ita reſolvenda venit: *Hic homo non eſt animal*; vel *Ille homo non eſt animal*; vel *Iſte homo non eſt animal*: jam vero in his propoſitionibus: *Hic homo eſt animal*; *Hic homo non eſt animal*, indubitate obtinet contradictio: itaque & in iſtis obtinet: *Omnis homo eſt animal*; *Aliquis homo non eſt animal*, quæ ſcilicet illas, uti oſtenſum eſt, in ſe continent.

SCH. En formam generalem: *Omne A eſt B. Hoc A eſt B. Illud A eſt B. Iſtud A eſt B. &c. Aliquod A non eſt B. Hoc A non eſt B. Illud A non eſt B. Iſtud A non eſt B. &c.*

11. Haud abſimili modo oſtendi poteſt, INTER DUAS PROPOSITIONES CONTRARIAS, SI MODO UNA EARUM VERA SIT, CONTRADICTIONEM INTERCEDERE, NON AUTEM, SI UTRAQUE FALSA SIT. Propoſitiones contrariæ in genere ſunt: *Omne A eſt B*; *Nullum A eſt B*. Ponamus ſub omni A contineri C, D, E, F. Itaque propoſitio univerſalis: *Omne A eſt B*, his ſingularibus æquivalebit: *C eſt B*, *D eſt B*, *E eſt B*, *F eſt B*: propoſitio vero univerſalis *Nullum A eſt B* iſtis: *C non eſt B*, *D non eſt B*, *E non eſt B*, *F non eſt B*: cum proinde ſingulæ propoſitiones, quæ ſub univerſali *Nullum A eſt B* continentur, contradicant ſingulis, quæ ſub univerſali altera *Omne A eſt B* conti-

nentur, relinquitur, in ipſis univerſalibus contradictionem involvi. Hæc equidem ita habent, ſi una ex contrariis propoſitionibus eſt vera: quod ſi vero utramque falſam eſſe ponimus, nec propoſitionem hanc: *Omne A eſt B*, licebit reſolvere in iſtas ſingulares: *C eſt B*, *D eſt B*, *E eſt B*, *F eſt B*: nec iſtam *Nullum A eſt B* in has ſingulares: *C non eſt B*, *D non eſt B*, *E non eſt B*, *F non eſt B*: verum prior univerſalis propoſitio hanc ſolum particularem continebit: *Quoddam A eſt B*; poſterior vero iſtam: *Quoddam A non eſt B*: particularis autem propoſitio particulari non contradicit: itaque nec inter univerſales dato caſu contradictio intercedit.

SCH. Pone in particulari caſu hanc propoſitionem univerſalem eſſe veram: Omne elementum eſt grave; *recte illa reſolvetur in has ſingulares*: Aer eſt gravis; Ignis eſt gravis; Aqua eſt gravis; Terra eſt gravis: *tam aeri namque, quam igni, aquæ, & terræ convenit nomen elementi; conſequenter etiam gravitas* (§. 10.). *Formata jam propoſitione univerſali altera*: Nullum elementum eſt grave *reſolvetur ea in iſtas reſpective ſingulares*: Aer non eſt gravis; Ignis non eſt gravis; Aqua non eſt gravis; Terra non eſt gravis, *quæ utique ſuperioribus reſpective ſingularibus propoſitionibus contradicunt: in ipſis ergo univerſalibus contradictio tali caſu involvitur*.

Jam vero pone falſam eſſe hanc propoſitionem univerſalem affirmativam: Omne elementum eſt fluidum: *eo ipſo erit aliquid, cui convenit nomen elementi, nec tamen convenit illi fluiditas; itaque non niſi hanc veram propoſitionem licebit formare*: Quoddam elementum eſt fluidum. *Similiter propoſitio alte-*

altera univerſalis: Nullum elementum eſt fluidum; *cum falſa ponatur eſſe*, *hanc ſolum particularem continet*: Quoddam elementum non eſt fluidum; *quæ alteri particulari minime contradicit*.

12. Principium contradictionis est veritas absolute prima, qua prior nec datur, nec dari potest. Ponamus namque veritatem aliquam eſſe priorem principio contradictionis, ex qua iſtud deducatur, dabitur propoſitio, ex qua hæc propoſitio: *Fieri nequit*, *ut idem ſimul ſit*, & *non ſit*, probari poſſit: enimvero illam propoſitionem vel veram, vel falſam dicis: non utique falſam, quo enim pacto ex propoſitione falſa veritas ſequi poſſit? igitur veram illam affirmas: at ego, non ſuppoſito principio contradictionis, eamdem veram eſſe æquali jure negabo, falſamque aſſeram (poterit namque non præſtructo principio contradictionis eadem propoſitio eſſe vera, & non eſſe vera, ſeu eſſe falſa): abſurdum hoc dices eſſe: atqui hoc ipſo jam ſupponis, & concedis principium contradictionis, quod tamen ex illa propoſitione tanquam notiore deducere, & probare niteris: quid proinde reliquum, quam ut principium contradictionis dicatur, veritas abſolute prima, qua prior non datur, nec dari poteſt? (3)

13. Ita quoque mentem nostram comparatam experimur, ut quodcumque judicet, vel

esse

(3) Adnotare non pigeat, aliud eſſe primum noſtræ *cognitionis principium*, de quo in Ontologia diſputatur; aliud eſſe *idearum noſtrarum principium*, de quo in Pſychologia. Principium cognitionis eſt (ex §. 7.) *Veritas*, *ex qua veritates aliæ probantur*, *atque intelliguntur*: idearum noſtrarum principium eſt *id*, *unde ſuam trahunt ideæ noſtræ originem*. Illud itaque ab iſto longe differt.

Digitized by Google

ESSE, VEL NON ESSE. In caſibus particularibus res maxime obvia eſt: quis non judicat? *Aut Petrus eſt Philoſophus, aut non eſt Philoſophus*: *Aut Cajus legit librum, aut non legit, &c.* Hinc etiam faciles admittimus hanc propoſitionem: *Quodlibet eſt, vel non eſt*; quæ propoſitio nomine *Principii excluſi medii inter contradictoria* inſigniri ſolet.

14. Sunt, qui hoc principium excluſi medii inter contradictoria prius principio contradictionis eſſe contendunt, hocque ex illo inferre conantur. Enimvero contra hoc ea militant, quæ a nobis §. 12. ſtabilita ſunt. Itaque potius ſtatuimus, PROPOSITIONEM: *Quodlibet eſt, vel non eſt,* TAMQUAM COROLLARIUM IN PRINCIPIO CONTRADICTIONIS CONTINERI; ſumpto namque *eſſe, vel non eſſe* pro prædicato B, quod ipſi A tribuitur, hanc ſuo modo generalem propoſitionem vi principii contradictionis tamquam veram admittimus: *A eſt B*; ſeu *A eſt, vel non eſt.*

15. Fieri nequit, ut idem ſimul ſit, & non ſit (§. 9.): igitur *Quodlibet dum eſt, eſt*. Quod ſi negas A eſſe, dum eſt, concedere debes, A ſimul eſſe, & non eſſe, id quod ceu repugnans principio contradictionis admitti non poteſt. Atque inde demum patet: PRINCIPIUM CONTRADICTIONIS FONTEM OMNIS, QUAM HABERE POSSUMUS, CERTITUDINIS ESSE, EOQUE SUBLATO, OMNEM CERTITUDINEM TOLLI. Ex hoc quippe, quod fieri nequeat, ut idem ſimul ſit, & non ſit, conſequens ſit, ut cum rem aliquam eſſe novimus, formido de oppoſito excludatur: quod ſi principio contradictionis locus negatur, fieri utique poterit, ut dum rei alicujus tibi conſcius fueris, conſcius non ſis; itemque ut cum videris menſam ro-

rotundam, certus non ſis, num rotunda ſit, quia oppoſitum ejus, quod eſſe vides, ſimul eſſe poteſt: eſt ergo principium contradictionis fons omnis certitudinis, quo poſito certitudo in cognitione ponitur, quo ſublato tollitur.

SCH. Itaque nec hoc principium: Quodlibet dum eſt, eſt, *omnium primum cenſeri poteſt, cum ex principio contradictionis fluat. Porro autem facile apparet, probandum ante eſſe, quod aliquid ſit, quam vi hujus principii certi eſſe poſſimus idem eſſe.* (4)

CA-

---

(4) 1. Principium contradictionis eſſe primum noſtræ cognitionis principium negant Carteſiani, qui alterum illi ſubſtituunt „ quod in evidentia, inquit P. „ Sicco in Metaph. p. 304., ſive idearum claritate, ac „ diſtinctione poſitum eſt; adeo ut quidquid in clara, „ diſtinctaque rei alicujus idea comprehenditur, id de „ re ipſa conſtantiſſime poſſit affirmari. Siquidem in „ primis principium hujuſmodi eam habet in ſe clari- „ tatem, qua major eſſe nequit, quum ex ipſa idearum „ evidentia deſumatur. Quamobrem per aliud, quod „ ſit eo notius probari nequit, ut per ſe patet „.

2. „ Deinde ad ipſum ſi debitæ adhibeantur cautio- „ nes tanquam ad veritatis normam, & regulam refe- „ runtur omnia, quæ in diſciplinis quibuslibet demon- „ ſtrantur. Nam axiomata, ex quibus concluſionum „ certitudo derivatur, in hoc idem principium tandem „ reſolvuntur. Sic quærenti, cur citra ullam erroris „ formidinem aſſeramus non poſſe idem ſimul eſſe, & „ non eſſe, nihil aliud reſpondere poſſumus, niſi quia „ hujuſmodi repugnantiæ claram, diſtinctamque habe- „ mus ideam „.

3. Verum carteſiana hæc argumenta rem non conficiunt: probant enim dumtaxat contradictionis principium ab iſto: *Quidquid in idea clara, & diſtincta relucet, verum eſt*, tanquam a veritatis criterio, & a regula practica, quam in judicando ſequi debemus, dependere; non autem tanquam a primo noſtræ cognitionis principio. Enimvero ſi Carteſianorum effatum:

Quid-

CAPUT II.

De Principio Rationis ſufficientis.

16. **R***Atio ſufficiens* (uti alibi jam dictum) *eſt illud, ex quo intelligitur, cur res ſit, vel fiat*,

---

Quidquid in idea clara, & diſtincta relucet, verum eſt, ſumatur ut propoſitio, longa jam indiget probatione, cujus fundamentum eſt principium contradictionis. Sane Carteſius ipſe inde probat nos minime falli, dum aliquid ex ideis claris, diſtinctiſque affirmamus, quod ita ſimus a natura comparati, ut ideis claris, diſtinctiſque repugnare non poſſimus: quare ad errorem ab ipſo naturæ noſtræ Auctore eſſemus determinati, ſi clare, diſtincteque percipientes falleremur: repugnat vero infinitæ Auctoris naturæ bonitati, nos eſſe ab ipſo ad errorem determinatos: veritas igitur hujus propoſitionis: *Quidquid in idea clara, diſtinctaque relucet, verum eſt*, ex contradictionis principio juxta Carteſium ipſum probatur. Diſtinguant Carteſiani, ut oportet, cognitionis noſtræ principium, ſeu veritatem, ex qua aliæ veritates probantur, a veritatis criterio, ſeu norma, quam judicando ſequi debemus, patebitque illico, & in evidentia, ſeu in claritate, idearumque diſtinctione veritatis criterium recte poni, & non aliud eſſe primum cognitionis noſtræ principium, quam principium contradictionis.

4. At, inquiet aliquis, deſunt principio contradictionis dotes primi principii cognitionis noſtræ, juxta quas deberet eſſe 1. certum; 2. tale, ut ſine ipſo humani diſcurſus ſint imperfecti; 3. non aliunde notum; 4. ſufficiens ad alias veritates demonſtrandas. An vero ad alias demonſtrandas veritates ſufficit principium contradictionis? An imperfectæ ſine illo argumentationes ſunt omnes? Immo quid ineptius, ſi quis exiſtentiam Solis e. g. vellet hoc principio demonſtrare? Cui ſano

ea

fiat, curque hoc potius modo ſit, vel fiat, quam alio. Dicitur quoque ratio ſufficiens illud, *quod præ-*

ea demonſtratio ſaperet? ut obſervat Card. Pallavicinus in Opere *del Bene* lib. II. cap. 30.

5. Reſp. Primum cognitionis noſtræ principium non ita quibuslibet aliis veritatibus demonſtrandis debet eſſe ſufficiens, ut abſque aliis adjumentis id fieri ſemper poſſit. Sine illo veluti fundamento imperfectæ ſunt omnes aliæ demonſtrationes, nullaque eſſe poteſt cognitio vere philoſophica: at non ex illo ſolo confici omnes poſſunt demonſtrationes; ſunt enim, quæ & peculiaria quædam principia juxta materiæ qualitatem, circa quam verſantur, poſtulant. Rerum exiſtentia demonſtrari aliter debet, ac earundem poſſibilitas: quare non niſi inepte ex ſolo contradictionis principio confici demonſtratio poteſt ad probandam Solis exiſtentiam, quæ uſu ſenſuum, & ex effectibus eſt demonſtranda.

6. Sunt alii, qui pluribus oſtendere, atque probare conantur nullum dari primum cognitionis noſtræ principium. 1. Quælibet facultas, inquiunt, ſua habet principia; propria habet Logica; propria Geometria; Phyſica, Theologia propria. Suntne principia hæc ontologico contradictionis principio demonſtranda, declaranda, confirmanda? 2. Principio contradictionis non niſi indirecte aliæ poſſunt probari propoſitiones; probatione autem indirecta perraro utendum præcipiunt Logici. 3. Ut principium contradictionis ſit primum, ceteris principiis clarius eſſe debet, evidentiuſque: quis vero cordatus affirmet contradictionis principium perſpicuum eſſe magis, quam Logicæ, & Geometriæ principia? 4. Axiomata quæcumque propoſitiones dicuntur indemonſtrabiles: axiomata ergo ſunt a principio contradictionis independentia. 5. Contradictionis principium eſt propoſitio modalis; hæc autem ſimplici propoſitione eſt poſterior. 6. Contradictionis tandem principium hoc aliud ſupponit: DEUS exiſtit: primum ergo non eſt.

7. Facile tamen & his objectionibus fit ſatis. Ad 1. Sua habet quælibet facultas principia: at quia cognationem quamdam omnes habent inter ſe facultates, inſervit una alteri, ut opus eſt, libentiſſime. Facultatibus

præbet argumentum rem aliquam, vel factum probandi; quæ equidem definitio, ſi cum priori non pror-

tibus omnibus prima principia, univerſaleſque notiones (§. 2., & 3.) ſuppeditat Ontologia, quibus & Logicus, & Geometra, & Phyſicus, & Theologus ad ſuas demonſtrandas propoſitiones uti poſſunt; atque hinc jure Ontologia caput reliquarum facultatum appellatur ab Auctore (§. 3.). Verum eſt Geometram e. g. ad ſua theoremata, ac problemata demonſtranda plerumque (quandoque tamen utitur) principio contradictionis immediate non uti, ſed propriis principiis, proximiſque; at hoc primo principio non eſſe immediate utendum tantum probat, niſi ad principia ſecundaria probanda, vel quum neceſſitas cogit, quod & nos fatemur. Ceterum omnia aliarum facultatum principia contradictionis principio inniti difficile demonſtrare attendenti non erit.

8. Ad 2. Jubent quidem Logici, perraro indirecta demonſtratione utendum, quia nempe ſuis immediatis principiis debent particulares propoſitiones demonſtrari: at quum ipſa principia ſunt demonſtranda ad indirectam demonſtrationem deveniendum tandem eſt, ut notant, ſuoque exemplo iidemmet Logici probant.

9. Ad 3. Evidentiſſimum eſſe contradictionis principium clariſſime oſtendit A. §. 8.: dari porro alia principia contradictionis principio ſplendidiora, haud concedendum. Immo principia alia ſive logica, ſive geometrica eo ſunt magis, vel minus evidentia, quo contradictionis principio, quod in ceteris aliis principiis involvitur, fiunt propiora, quod A. oſtendit præced. §. 12., & §. 14., eodemque hoc §. 15. Hinc evidentia, quæ in aliis relucet principiis primaria non eſt, & independens, ſed ſecundaria, atque derivata.

10. Ad 4. Dicuntur axiomata propoſitiones indemonſtrabiles, non quia contradictionis principio nequeant demonſtrari, ſed quia non egent ut plurimum demonſtratione. Ceterum nonne Propoſitio XXI. lib. VI. Geom. pl. Euclidis verum eſt, ac genuinum axioma? demonſtratur tamen.

11 Ad 5. Principium contradictionis, ut modalis propoſitio conſideratum, ſimplici propoſitione eſt poſterius;

proſſus idem innuit, certe illud aſſerit, quod ſponte quaſi ſua ex ipſa fluit. Calor eſt e. g. ratio ſufficiens ceræ liqueſcentis; ex eo namque intelligitur, probaturque, cur cera liqueſcat. (5)

17.

---

rius; quacumque autem ſimplici propoſitione eſt prius, ſi ut cognitionis principium conſiderare placeat.

12. Ad 6. Contradictionis principio nos feliciter in DEI cognitionem aſſurgere in Theologia naturali patebit abunde: non ergo principium contradictionis cognitione exiſtentiæ DEI eſt poſterius.

(5) 1. Quibuſdam vel ipſum Rationis ſufficientis nomen inviſum eſt, quaſi nove a Leibnitio inventum. Non ſemper nefas eſt, novo vocabulo rem veterem inſignire; neque decet, ſi de re conſtet, certare de nomine. At falſum præterea eſt, primum fuiſſe Leibnitium, qui *Rationis ſufficientis* nomen invexerit; nam & ante Leibnitium eo uſus eſt S. Thomas p. 1. q. 84. art. 4. in c.: *Secundum hanc poſitionem SUFFICIENS RATIO aſſignari non poſſet, quare anima noſtra corpori uniretur*; itemque P. Lud. Molina diſp. XV. ad art. 13. q. 14. p. 1. S. Thomæ *ad tertium*, & *ad quartum* dixit ante Leibnitium *Rationem ſufficientem*. Sunt & alii veteres, recenteſque Scriptores, quibus ante Leibnitium ipſum rationis ſufficientis vocabulum non fuit prorſus inuſitatum.

2. Quod ſi non tam vocem, quam rem voce ſignificatam ſpectemus, multo plures uſi ſunt notione, & principio rationis ſufficientis; quam quidem ſimplici *rationis*, vel *cauſſæ* vocabulo exprimere conſueverunt. An aliud quis intelligit, cum Lucretium audit Lib. I. canentem?

„ At contra: ſi mollia ſint primordia rerum,
„ Unde queant validi ſilices, ferrumque creari,
„ Non poterit ratio reddi.

3. Obſervat etiam Jacobus Brukerus *in Hiſtor. Crit. Philoſoph. tom.* 5. *pag. m.* 409., uſum principii rationis ſufficientis „ paſſim occurrere apud Ciceronem Lib. de „ Finib., de Divinat., de Fato. Vidit hujus rei ali„ quid Seneca ep. 65. Obſervatum autem ipſi Leibnitio

Archi-

17. *Nihilum* cum Vvolſio appellamus, *cui nulla notio reſpondet*: contra dicimus *Aliquid*, *cui notio aliqua reſpondet*.

SCH. Pone e. g. te tibi repræſentare figuram tribus lineis comprehenſam; habebis ergo notionem Trianguli; *conſequenter triangulum eſt Aliquid. Pone autem porro te removere illam notionem trianguli, nec aliam in ejus locum ſuccedere; quod igitur remanet, erit Nihil. Hinc colligitur,* Nihilum *quoque definiri poſſe, quod relinquitur notione ſublata.*

18. Quod ſi notionem e. g. ipſi A reſpondentem ignoramus, utique minime ſequitur, nullam eidem reſpondere: multa quippe ſunt, quæ mentem noſtram admodum limitatam fugiunt. Relinquitur adeo, ſi notio ipſi A reſpondens ignoratur, non ideo A eſſe nihil. Ex adverſo tamen, quoniam terminus inanis eſt, cui re ipſa no-

„ Archimedem huic principio dogma de æquilibrio cor„ porum inædificaſſe. Paſſim Scholaſtici ex hoc prin„ cipio ratiocinantur, ut videre eſt apud Conimbri„ cenſes tom. 2. Ab Euclide vero idem ſe didiciſſe fa„ tetur Jordanus Brunus; quibus ipſe addendus Car„ teſius „. Verba ex Carteſio profert Vvolfius in nota ad §. 71. Ontol. Sunt ergo delicati nimis, & parum eruditi, qui a vocabulo *rationis ſufficientis*, tanquam a Leibnitiano invento, abhorrent.

-4. Aliud nonnullis videtur ratio, cur res ſit, a ratione, cur potius ſit, quam non ſit; & præſertim ratio, cur voluntas velit, a ratione, cur potius velit, quam non. Hanc diſtinctionem A. certe non approbat, qui & in hoc §. rationem ſufficientem definit illud, ex quo intelligitur etiam, cur res *hoc potius modo ſit, vel fiat, quam alio*: & in §. 123. Pſychol. admittendam eſſe rationem ſufficientem aperte affirmat, cur actio libera *potius ponatur, quam omittatur*. Nunc ſufficiat id monuiſſe; fuſius enim ea refutabitur diſtinctio in Nota ad cit. §. 123. Pſychol.

notio nulla reſpondet, licet reſpondere videatur (§. 32. Log.); nihilum autem eſt, cui re ipſa notio nulla reſpondet; conſequens fit, *quod per terminum inanem denotatur, nihil eſſe, licet eſſe aliquid videatur*.

19. Igitur neque nihilum, neque terminus inanis præbere potest rationem sufficientem rei cujusdam, vel facti. Quod enim præbet rationem ſufficientem, ei indubitate notio aliqua reſpondere debet; nihilo autem, & termino inani nulla reſpondet notio (§. 17., & 18.): proinde &c.

SCH. Termini inanes ſunt: Horror, ſeu metus vacui, Antipathia, Sympathia, Appetitus &c., *utpote quibus nulla notio in rebus materiatis reſpondet, ut ſuis locis oſtendetur: minime ergo per eos ratio reddi poteſt, cur aliquid ſit, vel fiat*.

20. Habet hoc mens nostra, experientia teste, per naturam suam, ut in casu singulari non facile admiserit aliquid esse sine ratione sufficiente. Clare id ipſum eluceſcit ex quæſtionibus, quas vel ipſi identidem formamus, vel ab aliis formari audimus: *Cur hoc ita habet? Quo pacto id evenit? Quid hic ſubeſt?* &c. Quod ſi perſuaſum haberemus, ea, quæ ſunt, vel fiunt, ſine ratione ſufficiente eſſe, vel fieri poſſe, ſupervacaneæ certe, immo ineptæ forent illius modi quæſtiones, id quod nemo admiſerit: patet proinde, mentem noſtram per naturam ſuam hoc habere, ut in caſu ſingulari non admittat aliquid eſſe ſine ratione ſufficienti. Ex quo porro intelligimus, has ſingulares propoſitiones ſine probatione a nobis admitti: *Hoc, quod eſt, vel ſit, non deſtituitur ratione ſufficiente, cur ſit, vel fiat; illud, quod*

eſt, *&c. non deſtituitur ratione &c.*; *iſtud*, *quod eſt*, *&c. non deſtituitur &c.*, ſeu *A non deſtituitur ratione ſufficiente*, *B non deſtituitur ratione ſufficiente*, *C non deſtituitur ratione ſufficiente*. Jam vero accedente abſtractione, quæ ſane hic accedere poteſt, formari poterit hæc generalis propoſitio: G NON DESTITUITUR RATIONE SUFFICIENTE, ubi nempe G continere ponitur A, B, & C; quam adeo generalem propoſitionem: *G non deſtituitur ratione ſufficiente*, etiam ſine probatione admittemus. Propoſitio hæc generalis: *G non deſtituitur ratione ſufficiente*, ſeu, *Quod eſt*, *non deſtituitur ratione ſufficiente*, *Principium Rationis ſufficientis* ſalutatur. (*6*)

21.

(*6*) 1. Merito inter principia per ſe nota hæc reponitur propoſitio: *Nihil eſt*, *aut ſit ſine ratione ſufficiente*, *cur ſit*, *aut fiat*, cum tam vivide ab immediata illius evidentia percellamur, ut ſit nobis æque impoſſibile aſſentiri quidpiam eſſe, vel fieri, quin ulla detur ratio, unde poſſit intelligi, cur illud ſit, aut fiat, ac aſſentiri idem ſimul eſſe, & non eſſe. Ex naturali ſciendi deſiderio, quo omnes homines inflammantur, ſunt illæ tam frequentes & puerorum, & adultiorum interrogationes: *Cur hoc? Cur illud?*

2. Illi ipſi, qui nihil non moliuntur, ut rationis ſufficientis principium tanquam inutile, ac etiam libertati contrarium oſtendant rejiciendum, coguntur illius agnoſcere veritatem vel inviti; nec ad illud evertendum laborant, quod reipſa putent eſſe, vel fieri aliquid, quin ulla detur ratio, cur illud ſit, aut fiat; ſed quod rerum omnium, quæ ſunt, aut fiunt, rationem ſufficientiſſimam vel in ipſa rei natura, vel in actione cauſſæ neceſſariæ, vel in arbitraria cauſſæ liberæ determinatione poſitam eſſe arbitrentur, quin aliunde illam quærere ſit opus.

3. Se duo clare exprimunt Scriptores, quos inter nobiliores ſimul & acriores principii rationis ſufficientis adverſarios poſſumus non immerito recenſere, cum & ſint in rebus philoſophicis Clariſſimi Viri, & nihil fere

21. Dudum in Scholis recepta, principiique loco habita eſt propoſitio hæc: *Nihil eſt ſine cauſſa;*

---

re prætermiſerint, quod contra principium illud dici poſſit. Primus eſt elegantiſſimus Benedictus Stay, qui lib. I. Philoſoph. recentioris ver. 339. & ſeq., dum principium rationis ſufficientis inſequitur, ita canit:

„ Nec mihi ſe contra Ratio hic, quæ ſufficit ipſa
„ Efferat, & mentis moderandæ fræna receptet.
„ Multi illam ponunt cunctis fundamina rebus,
„ Unde etiam veri in mentem fons defluat almus;
„ Hac ſine quandoquidem nil prorſum exiſtere poſſe,
„ Nil fieri a nobis, divina aut mente, fatentur.
„ Nonne ubi libertas dominatur, multa neceſſe eſt
„ Arbitrio fiant ut noſtro, nullaque conſtet
„ Multarum ratio rerum, niſi ſola voluntas?

4. Alter eſt celebratiſſimus P. Rogerius Boſcovichius, qui in Supplemento ad citatum Stay locum n. 34. „ Semper erit, inquit, ratio, cur aliquid potius ſit, quam non ſit; nimirum vel ipſa rei natura, ut in DEO neceſſario exiſtente, vel cauſſæ neceſſariæ actio, vel liberæ arbitraria determinatio. „

5. Perſuaſum nempe & illis eſt, qui rationis ſufficientis principium vehementius oppugnant, ſi quid ſit, aut fiat, ne exceptis quidem liberis actionibus, & effectibus, aliquam itidem debere eſſe rationem, cur ſit, aut fiat; ac probe intelligunt non niſi ineptiſſime dici, ideo eſſe, aut fieri aliquid, quia eſt, aut fit; vel ideo eſſe, aut fieri, quia nihil eſt poſitum, unde ſit, vel fiat; vel tandem eſſe, aut fieri quidpiam, licet nihil ſit, unde poſſit intelligi, cur ſit, aut fiat.

6. Videbimus ſuo loco cum A. utrum pro liberis actionibus, & effectibus ratio ſufficiens in arbitraria cauſſæ liberæ determinatione reipſa ſit poſita. Nunc adnotaſſe ſatis ſit, quam vere dixerit A., nos ex ipſa mentis noſtræ natura ita eſſe determinatos, ut quidpiam eſſe, vel fieri, ſi nihil ſit, unde poſſit intelligi, cur ſit, aut fiat, admittere nequeamus. Nulli propoſitioni aſſentimur unquam, niſi ſit aliqua, apparens ſaltem, ratio, cur aſſentiamur: ſi quidpiam eſſe affirmare non poſſumus, ſi nulla ſit ratio, cur ita affirmemus, an eſſe, vel fieri poterit res aliqua ſine

ſed enim, quoniam *cauſſa* proprie loquendo plurimum differt a *ratione*, ut alibi docebimus, IPSA

CUM

---

ulla ratione, cur illa ſit, vel fiat?

7. Non eſt heic loci abſque reſponſione argumentum illud prætereundum, quo ſufficientis rationis principium rejicere ſolent nonnulli tanquam inutile. Non paucis hoc argumentum exponit laudatus Stay cit. lib. I. ver. 360. & ſeq. inquiens.

„ At neque ſe egregiam commendat ob utilitatem
„ Hæc ratio: facilis non ſe via, nec nova pandit
„ Propterea ad verum: vel, ſi libet, indita cunctis
„ Sit rebus ratio, quæ ſufficit; illa videri
„ Idcirco ne queat nobis, præſtoque repente
„ Eſſe tenebroſæ, ſubeuntibus abdita regna
„ Naturæ? Velut Æneam excita Sybilla
„ Tænariæ duxit per opaca ſilentia noctis?
„ Scilicet illam ipſam veſtigarunt rationem
„ Qui cauſſas rerum veſtigavere latentes.
„ Infinita tamen cauſſarum ſumma profecto eſt
„ Haud minus idcirco, quas ignoramus, & ullo
„ Conatu, aut ullis opibus pertingere non eſt:
„ Ipſa latet quoniam rerum natura tenebris
„ Obſita; nec tenuem nobis niſi protulit umbram.

His diſſimilia non ſunt, quæ addit P. Boſcovichius, & in nota ad hunc Stay locum, & in Suplem. ſub n. 34.

8. Advertere tamen facile eſt, eodem modo poſſe generalia quælibet principia repudiari ceu inutilia. Sic inutile dicendum erit principium illud: *Nihil fit ſine cauſſa*, cum nos rerum ignoremus naturam, & infinita propemodum ſit ſumma cauſſarum, quarum nos plurimas videre non poſſumus. Inutile dicendum erit principium contradictionis: *Impoſſibile eſt idem, ſimul eſſe, & non eſſe*, quoniam in particularibus quæſtionibus ſæpe neſcimus, utrum illæ involvant ſimul eſſe, & non eſſe; nec poſſumus determinare, an ſit res, vel non ſit? Nullum denique erit, ut ut firmum, ac omnium conſenſu, ac voce prædicatum generale principium, quod non ſit ceu inutile rejiciendum; cum nullum ſit, quod ſe ſolo, ſine aliis adjumentis poſſit nos veritatem in particularibus materiis edocere, ipſaſque naturæ res patefacere. Principiorum generalium utilitas, ut jam

n. 5.

CUM PRINCIPIO RATIONIS SUFFICIENTIS MINIME CONFUNDENDA EST. Poteſt id ipſum quoque ita oſten-

---

n. 5. Notæ (4) fuit obſervatum , non in eo eſt poſita , quod illa veritatibus particularibus inveniendis , aut demonſtrandis per ſe ſufficiant ; ſed quod ſine illis certo cognoſci nequeant , nec recta methodo inquiri in illis quoque rebus , quæ noſtram intelligendi vim non ſuperant . Hæc porro utilitas inſignis etiam eſt ex rationis ſufficientis principio , cujus neglectu errare plurimos ex ipſa Auctoris lectione conſtabit .

9. Facile ex dictis n. præced. colligitur , minus recte Boſcovichium in cit. Supplem. n. 35. eos reprehendere , qui pro exemplo uſus principii rationis ſufficientis proferunt cum Vvolffio §. 73. Ontol. Archimedis demonſtrationem de æquilibrio corporum : ideo enim Cl. Auctor eos carpit , quia in ea demonſtratione ,, ſupponitur in corporibus vis inertiæ poſitiva , quæ ſtatum conſervet ; ſupponuntur bina pondera æqualia , ,, quorum alterum alterius vim elidat , & ſupponitur ,, nihil aliud in ipſa corpora æquilibrata agere . Hinc ,, ſupponitur poſitiva cauſſa quietis , & excluditur per ,, ſuppoſitionem omnis alia cauſſa , unde conſequitur ,, quies , poſitivus poſitivæ cauſſæ effectus ,,. Quid hinc tamen ? Sit quies corporum poſitivus poſitivæ cauſſæ effectus , neque enim eſt hoc in loco hac de re diſputandum : ſi datur cauſſa poſitiva , cur illa corpora quieſcant in æquilibrio , nulla vero , a qua turbetur æquilibrium ; an non ideo ſervant æquilibrium , quia ex una parte datur id , unde intelligitur , cur æquilibrium ſervandum ſit a corporibus ; ex alia vero nihil datur , unde intelligi poſſit , cur æquilibrium impediatur; atque adeo , quia datur ratio ſufficiens æquilibrii , nulla vero datur ratio ſufficiens æquilibrium impediens ? Numquid ut locum habeat principium rationis ſufficientis excludi debent omnes cauſſæ peculiares effectum peculiarium ? Poſtulat immo omnino legitimus illius principii uſus , ut in quibuslibet particularibus effectibus attente circumſpiciamus circumſtantes omnes , & peculiares eorumdem cauſſas . Hinc cum cit. loco addit Boſcovichius : ,, At ubi independenter ab omni ,, ſuppoſitione idipſum principium rationis ſufficientis ,, Ar-

oſtendi: etſi quis admittat aliquid non eſſe ſine cauſſa, non hoc ipſo admittit non eſſe ſine ratione ſufficiente. Etiam dum quis e. g. obſervans aquam ex calida fieri frigidam provocat ad principium aquæ intrinſecum, vi cujus illa frigus recuperet, admittit aquam non ſine cauſſa fieri frigidam; admittit tamen fieri ſine ratione ſufficiente, cum ex illo principio intrinſeco, tanquam termino inani, nullo modo intelligi queat, cur aqua ex calida frigida evadat? Tum anne pro iiſdem haberi poterunt propoſitiones hæ: *Datur cauſſa, cur DEUS exiſtat*, & *Datur ratio ſufficiens, cur DEUS exiſtat*? Immo vero, an non prior abſurdiſſima reputabitur, non item poſterior? Liquet ergo propoſitionem illam: *Nihil eſt ſine cauſſa*, minime confundendam eſſe cum principio rationis ſufficientis, quod ita etiam efferri ſolet: Nihil est sine ratione sufficiente. (7)

SCH.

„ Archimedes adhibuit pro ſphærica Terræ forma, erra-„ vit ſane . . . Quid igitur nobis objiciunt utilem ejus „ principii uſum apud Archimedem, cum idipſum prin-„ cipium Archimedem, cauſſas ignoratas habentem pro „ nullis, in errorem induxerit? „ Perinde eſt, ac ſi diceret: Erravit Archimedes, cum non recte uſus eſt principio rationis ſufficientis: ergo inutile eſt tale principium. Dum objicit nobiliſſimus Scriptor Archimedis errorem, non probat, recto uſu principii rationis ſufficientis non determinari æquilibrium corporum, ſed probat non recte quempiam uti illo principio in particularibus caſibus, niſi ſedulo illa omnia perſpiciat, a quibus pendent effectus, quibus applicatur; & ſimul ingenue fatetur, principium rationis ſufficientis, ejusque uſum non fuiſſe Archimedi ignotum.

(7) 1. Principium illud *Nihil fit ſine cauſſa* a rationis ſufficientis principio diſtingui, oſtendi quoque poteſt notionem cauſſæ conferendo cum notione rationis

ſuffi-

SCH. Nos a poſteriori adhuc elicuimus, adſtruximuſque principium rationis ſufficientis : ſunt vero,

---

ſufficientis, idque eo loci fiet, ubi A. de Cauſſis agit.

2. Cauſſam a ratione diſtinxit & S. Thomas *Lib. I. cont. Gent. cap.* 87. inquiens : „ Quamvis autem aliqua „ ratio divinæ voluntatis aſſignari poſſit ; non tamen „ ſequitur, quod voluntatis DEI ſit aliqua cauſſa. „

3. Quamquam vero aliud ſit cauſſa, aliud ratio ſufficiens non raro tamen ipſum cauſſæ nomen ad rationem, cur aliquid ſit, ſignificandam, largius ſumitur, ut jam indicatum eſt Nota (5) n. 2. Etiam S. Auguſtinus, qui *lib. I. de Gen. contra Manich. cap.* 2., *& q.* 28. *inter* 83., illos carpit, qui „ cauſſas voluntatis „ DEI ſcire quærunt, cum voluntas DEI omnium, „ quæ fiunt, ipſa ſit cauſſa „ idem ipſe aliis in locis & docet aperte DEUM non ſine ratione operari, nomenque cauſſæ, atque rationis promiſcue uſurpat. „ Fixum apud nos eſſe confitemur, *inquit lib. XXI de Civ. Dei cap.* 5. „ non ſine ratione omnipotentem DEUM fa„ cere, unde animus humanus infirmus rationem non „ poteſt reddere. Quamvis enim ſint, *addit in Ep. CXX. ad Conſentium*, de quibus ratio reddi non poteſt; non „ tamen non eſt. Habent enim omnia, *repetit in Ep. ad* „ *Evodium olim CI.*, cauſſas ſuas, atque rationes re„ ctas, & inculpabiles, quæ DEUS, vel uſitata, vel „ inuſitata operatur. Sed hæ cauſſæ, atque rationes „ cum latent, miramur, quæ fiunt. Nec ideo reprehen„ denda eſt ſententia, qua dictum eſt : ſi ratio quæri„ tur, non erit mirabile : hoc enim dictum eſt, non „ quod ratione res careat, ſed quod eos lateat, quibus „ DEUS hoc voluit eſſe mirabile. „ Habet his non diſſimilia S. Doctor & *cap.* 11. *de Gratia N. T.*, & *lib. XI. de Civ. Dei cap.* 21.

4. Addendum etiam, ita dependere principium illud: *Nihil fit ſine cauſſa* a principio rationis ſufficientis, ut conſiſtere illud, iſto negato, nequeat. Fac enim falſum eſſe: *Nihil fit ſine ratione ſufficiente, cur fiat* ; quomodo probabitur, vel quomodo ſtabit hoc aliud: *Nihil fit ſine cauſſa?* An non ſi fieri quidquam poteſt ſine ratione ſufficiente, hoc eſt, quin detur aliquid, unde intelligi poſſit, cur fiat ; fieri etiam poterit aliquid ſine cauſ-

ſa,

qui a priori, ſcilicet ex principio contradictionis illud demonſtratum eunt, quas tamen demonſtrationes, cum bre-

ſa, hoc eſt, quin detur aliquid, unde intelligi poſſit, a quo fiat? Dici ſimiliter ſolet: *Poſita cauſſa ponitur effectus*, quod de cauſſa completa, & actu cauſſante, ut ajunt, intelligitur: ſed ideo hoc ſenſu verum eſt axioma, quia cauſſa completa, & actu cauſſans continet rationem ſufficientem effectus: quare, negato principio rationis ſufficientis, & iſtud excidat, eſt neceſſe: *Poſita cauſſa ponitur effectus*. Huc etiam revocari poteſt vulgata illa definitio, qua dicimus, quempiam tum habere ſcientificam alicujus effectus cognitionem, cum illum per ſuas cauſſas cognoſcit: quia nempe, qui effectum ita cognoſcit, non ſolum illum eſſe cognoſcit, verum etiam & quomodo, & cur ſit, intelligibili modo poteſt explicare. Cauſſam igitur talem eſſe oportet, ut ex illa cognita intelligi quoque poſſit quomodo, & cur ſit effectus: atque adeo ut ſit vere cauſſa, hoc eſt non ſolum ponens, ſed vere cauſſans effectum, effectus rationem ſufficientem debet continere.

5. Hinc vero, ut perperam quis inferret, idem eſſe cauſſam, & rationem ſufficientem; cum aliud ſit, cauſſam, ut ſit completa, & cauſſans, debere continere rationem ſufficientem effectus, aliud rationem omnem ſufficientem non aliud eſſe, quam cauſſam, ut luce clarius patet vel ex duplici illa propoſitione, quam A. pro exemplo ponit: ita perſpicue innoteſcit, cur illi, qui non ſatis hæc perpendunt ſæpe fallantur non cauſſam pro cauſſa afferentes.

6. Obſervat Vvolffius §. 71. Ontol. in hunc eos impegiſſe defectum, qui in phyſicis ad antipathiam, ſympathiam, aliaſque occultas qualitates, tanquam ad naturalium quorumdam effectuum cauſſas, confugere conſueverunt. Sibi iſti cauſſam attuliſſe videbantur, nec ſine cauſſa effectus illos fieri admittere: at dum cauſſam hujuſmodi eſſe debere non attendebant, ut ex illa poſſit effectus intelligibili modo explicari, in termino inani, tanquam in cauſſa, acquieſcebant: unde reipſa, nec rationem ſufficientem, nec illorum effectuum veram cauſſam adſignabant. Similiter qui obſervans aquam ex calida fieri frigidam ad principium aquæ intrinſe-

cum,

brevitati nos ſtudere oporteat, bic non adducimus, viſuri in Recitationibus, quid, quantumve iis tribuendum veniat. Eas porro etiam quæſtiones, an principium rationis ſufficientis abſolutam neceſſitatem invebat? an ſine omni reſtrictione ſumptum libertati officiat? alibi decidemus; poſteaquam nempe veras, ſinceraſque tum neceſſitatis, tum libertatis notiones inquiſiverimus. (8)

SE-

---

cum, tanquam ad cauſſam provocat, cum tale principium non ſit ex A., niſi terminus inanis, notione quadam deceptrice deluditur, dum ſibi non ſine cauſſa aquam ex calida fieri frigidam, videtur admittere: nam reipſa non ſolum ſine ratione ſufficiente, verum etiam ſine cauſſa effectum illum fieri admittit; cum tam eſſe non poſſit cauſſa inanis terminus, quam nequit eſſe ratio ſufficiens.

(8) 1. Multis modis a priori, vel quaſi a priori, ſeu ex principio contradictionis demonſtrari poſſe principium rationis ſufficientis conſtabit ex iis, quæ deinceps adnotabimus: nunc breviter argumentum illud expendamus, quo utitur Vvolffius §. 70. Ontol., dum ait: „ Aut enim nihil eſt ſine ratione ſufficiente, cur potius ſit, quam non ſit, aut aliquid eſſe poteſt abſque ratione ſufficiente, cur ſit potius, quam non ſit. Ponamus A eſſe ſine ratione ſufficiente, cur potius ſit, quam non ſit: ergo nihil ponendum eſt, unde intelligitur, cur A ſit: admittitur adeo A eſſe, propterea quod nihil eſſe ſumitur: quod cum ſit abſurdum, abſque ratione ſufficiente nihil eſt, ſeu ſi quid eſſe ponitur, admittendum etiam eſt aliquid, unde intelligitur, cur ſit.„

2. Huic Vvolffii argumentationi quædam ineſſe videtur æquivocatio; cum enim infertur primo loco: *Ergo nihil ponendum eſt, unde intelligitur, cur A ſit*, poteſt id intelligi vel affirmativo, vel negativo ſenſu: ſi affirmative intelligatur, ſenſus eſt: *Ergo ponendum eſt nihil, tamquam id, unde intelligitur, cur A ſit*: ſi intelligatur negative, ſenſus eſt: *Ergo A eſt, quamvis non ponatur aliquid, unde intelligatur, cur A ſit*. Jamvero

SECTIO II.

De Ente, ejuſque Eſſentia, & Exiſtentia.

CAPUT I.

De Impoſſibili, & Poſſibili, Indeterminato, & Determinato.

22. IMpoſſibile definitur, *quod contradictionem involvit.*

SCH. E. g. Creatura abſolute neceſſaria *contradictionem involvit; quia duo hi conceptus ejuſmodi ſunt, ut unus alterum tollat: unde creatura abſolute neceſſaria eſt impoſſibile quid.*

23.

---

vero ſi ponam A eſſe ſine ratione ſufficiente, cur potius ſit, quam non ſit, non dabo hinc ſequi, ponendum eſſe nihil tamquam id, unde intelligitur, cur A ſit; ſed contendam non aliud ſequi, quam eſſe A, licet non ponatur aliquid, unde intelligatur, cur A ſit: atque adeo nec ſequitur admitti A eſſe, propterea quod nihil eſſe ſumitur, ſed eſſe A, quin propterea neceſſe ſit admittere aliquid, propter quod ſit; quæ poſtrema propoſitio non eſt abſurda in hypotheſi data, neque contraria, ſed conſona primæ poſitioni eſt.

3. Quod ſi prior illa conſecutio: *Ergo nihil ponendum eſt; unde intelligitur cur A ſit* affirmativo ſenſu admittatur, admitti pariter debet eſſe A, propterea quod nihil eſſe ſumitur; quod plane abſurdum eſt: nam ſi ponitur nihil tamquam id, unde intelligitur, cur A ſit, atque adeo A eſt, propterea quod nihil eſſe ſumitur, nihilo aliqua profecto notio reſpondet; nempe eſſe id, unde

23. Ex quo autem intelligitur, quidpiam non ante pro impoſſibili habendum, quam ſatis conſtet, in eo contradictionem involvi.

24.

---

de intelligitur, cur aliquid ſit; quare cum nihil id dicatur, cui nulla reſpondet notio (§. 17.), eſſet ſimul, & non eſſet nihil.

4. Addit Vvolffius in nota ad eumdem §. 70. „ quod „ ſi ponamus lapidem, qui erat frigidus, factum fuiſſe „ calidum, & nihil ponatur in lapide, vel extra eum- „ dem, ad quod ortus caloris referri poſſit, admitti „ neceſſario etiam debet, lapidem, qui erat frigidus, „ factum fuiſſe calidum, cum nihil eſſet in lapide, & „ extra eumdem, a quo calor proficiſci potuit: quo- „ niam tamen calor cepit, qui ante non erat, ut ap- „ pareat, cur nunc calor fuerit ſubortus, qui ante „ non oriebatur, admittendum erit, aut nihilum in „ lapide abiiſſe in calorem, aut nihil extra lapidem „ eumdem produxiſſe: hoc eſt affirmari debet, lapidem „ eſſe calidum, propterea quod nihil fuit in lapide, „ vel extra lapidem, a quo proficiſci potuit: quis „ vero non ultro largietur, hæc eſſe abſurda; atque „ ideo affirmabit dari aliquid vel in lapide, vel extra „ lapidem, unde calor iſte ortum ſuum duxit? „ Hoc argumento utitur & Cl. P. Franciſcus Jacquierius in ſua Metaph. cap. 1. art. 2.

5. Sunt hæc quidem optime dicta, ſi prius fuerit animadverſum, uti in Nota (7) n. 4, ſtare non poſſe principium illud: *Nihil fit ſine cauſſa*, niſi admittatur hoc alterum: *Nihil fit ſine ratione ſufficiente*. At niſi fuerit hæc animadverſio præmiſſa, cum Scholaſtici, ut notat idem Vvolffius in nota ad §. 71. Ontol., non admiſerint in phyſicis effectum ſine cauſſa, admiſerint tamen ſine ratione ſufficiente, poſſent iidem reſpondere, lapidem, qui erat frigidus, factum fuiſſe calidum ſine ulla quidem ratione ſufficiente, non tamen ſine ulla cauſſa ſive intra, ſive extra lapidem exiſtente: atque adeo non eſſe affirmandum, lapidem eſſe calidum, propterea quod nihil fuit in lapide, vel extra lapidem, a quo calor proficiſci potuit; ſed eſſe affirmandum, lapidem eſſe calidum, propterea quod datur cauſ-

ſa,

24. *Poſſibile* eſt omne *id*, *quod contradictionem non involvit*, ſive, quod in idem recidit, *in quo ea*, *quæ inſunt*, *ſibi non repugnant*.

SCH. E. g. Aqua calida *non involvit contradictionem*, *quia hi duo conceptus ſunt ejuſcemodi*, *ut unus alterum non tollat*; *hinc aqua calida eſt quid poſſibile*.

25. Quam hic dedimus, *Poſſibilis* definitione, poſſibilitatem ſtricte ſumptam, quæ non incongrue *Poſſibilitas rei* vocatur, volumus expreſſam. Alia eſt *Poſſibilitas actus*, ſive *exiſtentiæ*, cum priore minime confundenda: ad hanc poſſibilitatem actus, ſive exiſtentiæ reſpicientes *poſſibile* dicunt, *cui producendo cauſſa aliqua ſuppetit*. Solet quoque poſſib.litas rei appellari *interna*; poſſibilitas exiſtentiæ vero *externa*. Circa utramque ſequentia merito annotanda veniunt: *I. Deficien-*

ſa, a qua calor proficiſci potuit, & reipſa proceſſit, quin ſit admittenda ratio ſufficiens, cur proceſſerit. Adeo ſcilicet verum eſt, ad accuratas demonſtrationes diligentem requiri attentionem, nequid ad ipſas pertinens prætermittatur inobſervatum.

6. Eſt præterea obſervandum, non ſemper rationem, qua affirmamus, ſeu admittimus eſſe aliquid, eſſe pariter rationem ſufficientem, cur iſtud ſit. Video e. g. Petrum certo loco exiſtentem; habeo hinc, cur affirmem, Petrum ibi eſſe, quamvis ignorem quomodo, aut cur illuc venerit, & ibi ſit. Nec ſane, quod ego illum videam ibi exiſtentem, eſt ratio ſufficiens, cur ibi ille ſit, cum potius e contra ratio, cur illum videam ibi exiſtentem, ſit, quia ille ibi eſt.

7. Poſtremo: cum A. quæſtiones illas, num rationis ſufficientis principium abſolutam invehat neceſſitatem, an ſaltem libertati officiat? alibi decidendas reſervet, non eſt quod præmature heic loci eædem inferantur. Siquid circa illas adnotandum occurrerit, opportunis id locis præſtabitur.

ficiente poſſibilitate interna, externa nullo modo obtinere poteſt: ad contradictoria enim efficienda nulla potentia, nulla cauſſa ſuppetere poteſt. II. *Cui producendo cauſſa neceſſaria non ſufficit, id poſſibilitate externa ita deſtituitur, ut illative etiam interna deſtituatur* (per princ. Theol. Nat.) III. *Non tamen univerſim, ſeu non ob defectum cujusvis cauſſæ, quod deſtituitur poſſibilitate externa, etiam interna deſtituitur*. (9)

SCH. Quiſque facile intelliget, quæ de poſſibilitate hoc loco allata ſunt, ea ad impoſſibilitatem quoque pertinere. Erit proinde alia impoſſibilitas interna, *eaque ſtricte ſumpta, de qua nos ſupra, alia* externa; *conſequenterque aliud impoſſibile* ab intrinſeco, *aliud ſolum* ab extrinſeco.

26. Impoſſibile ab intrinſeco eſt, quod contradictionem involvit (§. 22.). Porro dicitur *abſolute* ab intrinſeco impoſſibile, *quod in ſe, & natura ſua involvit contradictionem:* e. g. *Quadratum triangulare*: *hypothetice* autem impoſſibile, *quod ſub certis quibuſdam conditionibus, & circumſtantiis contradictionem involvit*: e. g. *Conclave tenebricoſum, Sole radios ſuos per feneſtram tranſmittente*.

SCH. Nonnumquam impoſſibile dicitur, quod difficile eſt; item quod vetitum, & illicitum eſt. Eſt autem, ut nemo non agnoſcit, impoſſibilitas ejuſcemodi minus ſtricta, paſſimque moralis *audit*. (10)

27.

(9) DEUM non poſſe ab ulla cauſſa produci res eſt manifeſtiſſima: ergo DEUS non eſt vere poſſibilis? Quis non improbet abſurdum? Melius ergo ens, *quod ab aliqua cauſſa poteſt produci*, *ens potentiale* dicitur, vel *ens extrinſece poſſibile*.

(10) *Cujus impoſſibilitatis ratio ex principiis moralis actionis dependet, & fluit*, illud eſt *moraliter impoſſibile*.

Hoc

27. Probari non potest definitio, qua poſſibile dicitur *id, quod eſſe poteſt*. Etenim ſive dicas aliquid poſſibile eſſe, ſive aſſeras idem eſſe poſſe, in utroque caſu quæſtioni locus eſſe poteſt, unde innoteſcat, num quid ſit poſſibile, vel num aliquid eſſe poſſit? Igitur in illa definitione ſufficientes notæ deſiderantur ad definitum ſatis agnoſcendum: enimvero hujuſmodi definitio probari non poteſt: itaque nec illa, qua poſſibile dicitur id, quod eſſe poteſt.

28. Mens noſtra per naturam ſuam ita comparata eſt, ut dum judicat aliquid eſſe, judicare nequeat idem non eſſe (§. 8.): itaque cum judicio notio reſpondeat, liquet quoque, eam ſibi ſubjectum ita repræſentare non poſſe, ut idem ſimul inſit, vel adſit eidem, & non inſit, vel adſit. Hinc colligimus, *Impoſſibile in mente repræſentari non poſſe*, ſeu ejus notionem non dari, conſequenter *nihilum eſſe* (§. 17.). Ex adverſo cum poſſibile non ſit impoſſibile, conſequenter neque ſit nihilum, clare intelligimus, *poſſibile eſſe aliquid*, atque adeo ſemper notionem ei reſpondere (§. 17.). Inde tamen non eſt, ut *Poſſibile* cum Carteſio recte definiendum putemus per *id, quod clare, diſtincteque a mente noſtra percipi poteſt*, aut cum Tſchirnhauſio *Impoſſibile* pronuntiemus, *quod concipi nequit*; *Poſſibile*, *quod concipi poteſt*. Etenim in diſciplinis definitiones ita condendæ ſunt, ut immediata applicatione pateat, cui definitum ſit tribuendum: atqui vero facile appa-

---

Hoc modo impoſſibile dicimus, virum ſanæ mentis, atque prudentem ſe dare e feneſtra præcipitem; fieri enim id non poſſe, quamdiu ille prudenter agit, compertum eſt.

apparet, illas definitiones applicari non poſſe, niſi ſuppoſito alio priori, unde intelligatur ipſi A e. g. notionem aliquam, ipſi B vero nullam reſpondere; aut A concipi poſſe, B non poſſe concipi: itaque quoniam ipſi A notio tum reſponſura eſt, ſeu A tum concipi poterit, ubi contradictione fuerit liberum; ipſi B vero notio nulla tum reſponſura eſt, ſeu B tum concipi non poterit, ubi contradictionem involverit; conſultius eſt dudum receptas Poſſibilis, ac Impoſſibilis definitiones retinere, quam quidem illas novas iiſdem ſubſtituere. (11)

29. *Indeterminatum* appellatur, *de quo aliquid adhuc affirmari non poteſt, licet de eo affirmari poſſe non repugnet*: contra *Determinatum* dicitur, *de quo aliquid affirmandum agnoſcimus, ita, ut oppoſitum ejus, quod affirmatur, excludatur*.

SCH. E. g. Triangulum quatenus ſumitur pro figura tribus lineis terminata, indeterminatum quid eſt reſpectu rationis laterum; eſt vero determinatum, ſpectato numero laterum: in priori nempe caſu nondum affirmare licet, quod ſit æquilaterum, vel æquicrurum, vel ſcalenum; in altero vero affirmandum de tali figura agnoſcimus, quod ſit Triangulum, unaque intelligimus affirmari non poſſe, quod ſit e. g. Quadratum, Pentagonum, &c.

30.

(11) Si nulla in mente impoſſibilis notio datur, quomodo a nobis impoſſibile cognoſcitur, definitur, a poſſibili diſtinguitur? Cognoſcitur a nobis impoſſibile eo modo, quo rerum privationes, & negationes percipiuntur; ſcilicet, non per ideas proprias, ſed per alienas: tenebras cognoſcimus per lucis ideam, nihilum per ideas entis, & impoſſibile per notionem poſſibilis a nobis attingitur. Verum hac de re iterum in Pſychologia.

30. Res vel conſideramus in ideis, quas de ipſis habemus, vel loquimur de illis, tamquam extra nos exiſtentibus: cum res conſideratur in idea, ut ſubjectum ſpectatur, de quo aliquid prædicandum, ſive affirmandum eſt: cum vero de re loquimur tamquam extra nos exiſtente, ea tamquam ſubjectum conſideratur, cui aliquid ineſt, vel adeſt. Hinc autem colligitur, ea prædicanda eſſe, quæ ſubjecto inſunt, vel ſi extrinſeca fuerint, adſunt; & viciſſim ea ineſſe, vel adeſſe, quæ ſunt prædicanda. Itaque noſtris definitionibus determinati, & indeterminati minime contrariæ hæ videri poterunt: *Indeterminatum eſt, cui aliquid adhuc non ineſt, vel adeſt, licet ineſſe, vel adeſſe non repugnet: Determinatum eſt, cui actu aliquid ineſt, vel adeſt, ita ut oppoſitum non inſit, vel adſit.* Idem plane quoad rem iſtis, quod quidem noſtris definitionibus innuitur.

SCH. Hinc eodem recidere quiſque exiſtimare debebit, ſive dicatur: De ipſo A prædicandum eſt B; *ſive dicatur*: Ipſi A ineſt, vel adeſt B.

31. Si de ipſo A prædicandum eſt B, vel B, D, & E, &c., atque ideo de eodem A prædicandum agnoſcitur C; C dicitur *determinari* per B, vel B, D, & E, &c. Itaque generatim vocantur *Determinantia* ea, *per quæ alia determinantur; quæ* autem *per alia determinantur*, *Determinatorum* nomen retinent.

SCH. De corpore e. g. affirmandum eſt, quod ſit compoſitum: *enimvero ex hoc ipſo de eodem etiam affirmandum venit, quod ſit* diviſibile*: Diviſibilitas proinde per compoſitionem determinatur; hæcque adeo in numero determinantium, illa determinatorum habenda.*

32.

32. Ex hoc, quod ponamus de A ideo prædicandum eſſe C, quia de eodem prædicanda ſunt B, D, & E &c., ſequitur, quod, poſitis B, D, & E &c., etiam ponatur C; ſive generatim quod *quamprimum determinantia ſunt, etiam determinata ſint.*

SCH. Minime docemus, in caſu, quo prædicandum eſt C de A ideo, quia de eo prædicantur B, D, & E &c., poſito e. g. ſolo B, vel D, vel E &c., poni C. Quæcumque in numerum determinantium veniunt, iis cunctis poſitis, determinatum poni aſſerimus. Utiliter hoc a nobis monitum eſſe patebit abunde ſuis locis.

33. Ex determinantibus ſimul ſumptis intelligi poteſt, cur ſit, quod per ea determinatur: itaque *determinantia ſimul ſumpta, ſive complexus eorumdem conſtituit rationem ſufficientem determinati*: unde porro dicendum agnoſcimus, quod ſicut poſitis determinantibus ſimul ſumptis ponitur determinatum, ita poſita ratione ſufficiente ponitur id, quod per eam potius eſt, quam non eſt. (12)

SCH. Hæ poſitiones: Poſitis determinantibus ponitur determinatum: Poſita ratione ſufficiente ponitur id, quod per eam potius eſt, quam non eſt, *maximi ſunt momenti; per eas enim ad ſcientiam, ac certitudinem revocantur tum in Phyſicis, tum in Moralibus, quæ ab ejus terminis inconſulto arcentur.* (13)

(12) Facile ex his, quæ heic habet A., colligimus, quorſum aliquid in quibuſdam circumſtantiis fit dati effectus ſufficiens ratio; ſufficiens vero, mutatis circumſtantiis, non ſit.

(13) 1. Statim heic nonnulli clamant, eſſe de liber-

34. *Quod in re ut certo reſpectu determinatum conſideratur*, *Determinatio* illius audit : ſunt adeo determinationes , quæ efficiunt , ut res præciſe hæc

bertate actum , ſi , *poſita ratione ſufficiente* , *poni id* , *quod per eam potius eſt* , *quam non eſt* , ſit verum . Solam hoc canone ſignificari eventus certitudinem , non mutari naturam , cauſſarumque agendi modum , ii non ſatis attendunt . Quemadmodum cauſſæ aliæ ſunt neceſſariæ , hoc eſt neceſſario operantes , aliæ liberæ : ita alia eſt ratio ſufficiens pro actionibus , & effectibus neceſſariis , alia pro liberis ; quamvis in utroque cauſſarum , actionum , & effectuum genere , data ratione ſufficiente , ſit certus eventus .

2. Conſtabit in Pſychologia , liberarum actionum rationem ſufficientem in earumdem motivis eſſe poſitam : quis vero ſuſpicari vel leviter poteſt , liberarum actionum motiva earumdem actionum libertatem deſtruere? Obſervat S. Thomas *lib. I. cont. Gen. cap. 67. n. 3.* , „ quod ſicut ex cauſſa neceſſaria ſequitur effectus cer- „ titudinaliter , ita ex cauſſa contingente completa , „ ſi non impediatur . „ Atque hinc infert S. Doctor , DEUM , qui ſcit non ſolum cauſſas contingentium , ſed etiam ea , quibus poſſunt impediri , ſcire per certitudinem, an contingentia ſint , vel non ſint : nec tamen juxta eumdem Angelicum Doctorem inde ſequitur , cauſſas , vel effectus contingentes , contingentes reipſa non eſſe . Quidni ex cauſſa quoque libera vere completa *certitudinaliter* actio ſequatur , quin ideo libertas pereat ? An cauſſæ liberæ complementum ipſius evertet libertatem ? An cauſſa libera dici poterit vere completa ad agendum , hoc eſt ad volendum , aut eligendum, quamdiu illa hæret ſuſpenſa ? Quod ſi ſuſpenſa jam non ſit , ſed proprio ſe judicio determinet ; tunc illam , & vere completam eſſe ad agendum , & certo agere , hoc eſt velle , aut eligere , quis ambigat ? Quid enim illius actum ſuſpendit , cum illa non ſuſpenſa , ſed ad agendum potius , quam non agendum eſt determinata ?

3. Nemo obtrudat cauſſam liberam illam eſſe , quæ , poſitis omnibus ad agendum prærequiſitis , poteſt etiam non

hæc ſit, & non alia; ſive etiam, ut hæc de ea prædicanda agnoſcantur, & non alia. E. g. *Numerus ternarius laterum, & eorum æqualitas* ſunt

 deter-

---

non agere. Id ſibi opponit A. in Pſychologia §. 123.; non erit tamen inutile & heic loci iſtud diſpellere. Verum quodam ſenſu eſt, cauſſam liberam poſſe non agere, omnibus etiam poſitis ad agendum prærequiſitis: at aliud eſt, illam poſſe non agere, aliud reipſa non agere. Dici quoque poteſt, eam eſſe cauſſam liberam, quæ ita agit, ut poſſit non agere; nec tamen inferre hinc licet, illam certo non agere, dum agit. Quamvis igitur poſſit cauſſa libera non agere, omnibus etiam poſitis ad agendum prærequiſitis, attamen ſi hæc ſunt vere omnia poſita, cauſſa reipſa agit, ſeu vult: ſecus aliquid aliud præterea requireretur, ut ageret, ſive vellet; non enim poſita dici omnia poſſunt ad agendum prærequiſita, quamdiu ſuſpenſa adhuc hæret cauſſa libera, ut n. præced. eſt obſervatum.

4. Nullum porro eſt inconveniens, quod cauſſa libera agat reipſa, licet poſſit non agere: immo ideo agit, cum poſſit etiam non agere, quia omnia habet ad agendum prærequiſita; ſunt enim omnia hæc prærequiſita id, per quod liberæ actionis determinatur actualitas. Quare cum liberæ actionis ſufficiens ratio illa omnia complectatur prærequiſita, hinc quoque confirmatur, veram eſſe generatim propoſitionem Auctoris: Posita ratione sufficiente ponitur id, quod per eam potius est, quam non est, quin metuendum ſit lædi libertatem, ſi ad actiones etiam liberas illa extendatur.

5. Juvat heic animadvertere, quædam inter prærequiſita pertinere ad poſſibilitatem actionis, quædam ad actionis actualitatem. Ad poſſibilitatem referuntur actionis quæcumque ſe tenent, ut ajunt, ex parte actus primi; quæ nempe ſunt neceſſaria, ut cauſſa vere poſſit agere: ad actualitatem referuntur actionis, quæ ſunt neceſſaria, ut actio fiat reipſa. Illa ſunt ejuſmodi, ut actionis poſſibilitatem ſimul ſumpta determinent, quæ poſſibilitas eſt determinata, cum illa omnia adſunt prærequiſita, ceu totidem illius determinan-

determinationes, quæ efficiunt, ut figura ſit, dicique poſſit *Triangulum*, & quidem *æquilaterum*.

SCH.

minantia; hæc vero ipſius actionis actualitatem, ſeu exiſtentiam determinant: quare cum iſta adſunt omnia, habentur omnia ad actualitatem actionis determinantia, atque adeo ipſius actionis actualitas, ſive exiſtentia eſt determinata.

6. Cauſſæ neceſſariæ, ac præſertim omni cognitione carentes, cum ſuapte natura ſint ad agendum determinatæ, aliis non indigent prærequiſitis actionis actualitatem determinantibus præter illa, quibus integre actionis poſſibilitas determinatur: unde, poſitis primi generis prærequiſitis, non poſſunt non agere. Cauſſæ liberæ e contra præter requiſita ad poſſe aliis indigent, per quæ ipſius actionis determinetur actualitas, inter quæ id præcipuum locum obtinet, quod ſe proprio judicio ad agendum determinent, cum ab ipſa natura, vel a paſſionibus, aut objectorum impreſſionibus non ſint ad agendum determinatæ. Quare donec ſe proprio judicio determinaverint, poſſunt etiam in ſenſu compoſito cum omnibus ad actionis poſſibilitatem prærequiſitis non agere: his enim omnibus etiam poſitis, ſunt adhuc ad agendum ſuſpenſæ, vel non agendum, donec hanc a ſe auferant ſuſpenſionem; hoc eſt, donec ad unam vel alteram partem proprio ſe judicio determinent. Satis ergo per hoc a cauſſis differunt neceſſariis, quin prætereа opus ſit, ut, poſitis etiam omnibus ad actionis actualitatem prærequiſitis, ſuſpenſæ remaneant.

7. Retinet quidem cauſſa libera non agendi poteſtatem, omnibus etiam iſtis poſitis prærequiſitis; ineptum enim eſſet, & abſurdum cogitare, non agendi poteſtatem a cauſſa libera amitti, quia cum poſſit non agere, ſe ad agendum determinat: at, cum iſtis omnibus prærequiſitis poſitis, non ſit amplius ſuſpenſa, ſed ad agendum determinata, ita poteſt non agere, ut tamen agat, & quidem certiſſime; cum fieri non poſſit, ut cauſſa libera, vel ejus actio in ſtatu ſuſpenſionis remaneat, poſitis omnibus ad actionis actualitatem præ-

re-

SCH. Dedimus adhuc notiones diſtinctas determinati, indeterminati, determinantis, & determinationis; neque quis factum improbare audebit, niſi qui ſibi perſuaſerit, notionem determinati, & determinationis in numerum principiorum demonſtrandi recipi non poſſe; ſed enim merito eam recipi per decurſum ſatis patebit. Interim tamen, ut doctrina de determinantibus, & determinatis tanto certius uſu ſuo ſeſe commendare poſſit, nonnulla allatis ſubjungimus.

35. Si demonstrari potest, subjecto alicui sive absolute, sive sub adjecta conditione tribuendum esse quodpiam prædicatum, hoc

---

requiſitis: unum ſiquidem ex his prærequiſitis, immo præcipuum, eſt, quod ſe per proprium judicium cauſſa libera determinet. Conſtat igitur evidentiſſime, in cauſſis etiam liberis, ſalva tum earum libertate, cum a cauſſis non liberis differentia, illam propoſitionem locum habere: Posita ratione sufficiente ponitur id, quod per eam potius est, quam non est.

8. Indicatum fuit in N. (8) n. 1., poſſe multis modis a priori, vel quaſi a priori, ſeu ex contradictionis principio demonſtrari rationis ſufficientis principium. Speciminis inſtar ſit illa demonſtratio, quæ ex notionibus hucuſque ab Auctore traditis erui poteſt. En illam. Quidquid eſt, vel fit, quocumque modo ſit, vel fiat, habet, vel recipit aliquo modo exiſtentiam; illius ergo exiſtentia eſt quid determinatum: atqui nullum eſt determinatum ſine ſuis determinantibus (ex §.§. 31. 32.), ac præterea evidens ex eo eſt, quod alias eſſet ſimul, & non eſſet determinatum: ergo quidquid eſt, vel fit, quocumque modo ſit, vel fiat, habet ea, per quæ illius determinatur exiſtentia. Atqui complexus eorum, per quæ aliquid determinatur, rationem conſtituit ſufficientem determinati (ex hoc §. 33.): ergo quidquid eſt, vel fit, quocumque modo ſit, vel fiat, rationem habet ſufficientem, cur ſit, vel fiat; atque adeo Nihil est, vel fit sine ratione sufficiente; quæ propoſitio eſt (ex §. 20.) ipſum rationis ſufficientis principium.

IN PRIORI CASU PER DEFINITIONEM SUBJECTI, IN POSTERIORI PER ADJECTAM CONDITIONEM DETERMINATUR. Etenim ſi demonſtratio fuerit directa, ſeu oſtenſiva, ex ipſa ejus forma, quam in Logica tradidimus (§. 207. Log.), patet, prædicatum ſubjecto abſolute tribuendum ideo de eo affirmari poſſe, quia affirmantur ea, quæ in definitione continentur; ſimiliter prædicatum ſub conditione ſubjecto tribuendum ideo de eo affirmari, quia affirmantur ea, quæ conditionem illam conſtituunt: itaque in caſu priori prædicatum per definitionem ſubjecti, in altero per conditionem ſubjecto adjectam determinatur.

Quód ſi demonſtratio fuerit indirecta, ſeu apogogica, quoniam ex ea non minus, quam ex directa propoſitionem agnoſcimus eſſe veram (§. 209. Log.), tali caſu prædicatum ſubjecto convenit (§. 152. Log.): enimvero cum hoc ipſo non repugnet, ut ea directe demonſtretur, relinquitur (per priorem part. demonſt.), prædicatum vel per definitionem ſubjecti, vel per conditionem ei adjectam determinari, prout propoſitio vel categorica, vel hypothetica fuerit.

SCH. Equidem non repugnare, ut propoſitio, quæ indirecte demonſtrata fuit, directe etiam demonſtretur, ipſo facto docent Mathematici, quorum nonnulli easdem propoſitiones directe demonſtrarunt, quas alii indirecta demonſtratione ſtabiliverunt. (14)

36.

(14) Propoſitiones plures, quæ indirecte demonſtratæ occurrunt in libris Geometriæ planæ Euclidis, directe a Geometris recentioribus eſſe demonſtratas, eſt manifeſtum. At concedentne item omnes Philoſophi, nullam eſſe demonſtrationem apogogicam, quæ ad demonſtrationem directam facile non poſſit reduci? Sane A.

36. Ex hoc, quod quædam una eidem ſubjecto inſint, minime colligere continuo licet, unum per alterum determinari: contra certum eſt ſpeciatim in his caſibus unum per alterum, tametſi actu una eidem ſubjecto inſint, non determinari: I. Si ea in aliis ſeparatim deprehendantur. II. Si uno quidem aliquo tempore una inſint, alio autem tempore una non ineſſe obſerventur. Utrumque facile deducitur ex eo, quod, ubi ponitur determinans, ponatur etiam determinatum; hinc vero fieri non poſſet, ut vel ſeparatim deprehendantur, ſcilicet in diverſis ſubjectis, vel non ineſſe obſerventur eodem tempore in eodem ſubjecto, quod tamen in hypotheſi ſumitur: proindeque &c.

SCH. *In ſaccharo deprehendimus dulcedinem cum albedine; in melle obſervamus dulcedinem ſine albedine: claro ergo argumento id eſſe debet, dulcedinem per albedinem minime determinari. Similiter cum in eodem lapide uno aliquo tempore duritiem cum calore, alio duritiem ſine calore experiamur, ſtatuendum, calorem per duritiem nequaquam determinari.*

37. Si demonſtratione, vel experientia patet e. g. A ideo eſſe, quia eſt B, B eſt ratio ſufficiens ipſius A: nam hoc caſu B eſt adæquatum determinans ipſius A: adæquatum determinans autem conſtituit rationem ſufficientem ejus, quod determinatur (§. 33.): itaque B eſt ratio ſufficiens ipſius A.

A. ipſe §.§. 12., & 15. demonſtratione per abſurdum eſt uſus, nec alia uti poterat: quomodo ergo ſtabit veritas propoſitionis Auctoris? Vacillat hæc tamen nullo modo: nam ſubjectorum definitiones non ſunt arbitrariæ, ſed ex demonſtrationibus eruendæ: ſive igitur directe, ſive indirecte demonſtretur, tale prædicatum ſubjecto competere, ſemper ex definitione philoſophica ſubjecti hoc determinabitur.

SCH. Si ad hoc, ut A ſit, præter B alia eſſe oporteat, dicere non licebit: A ideo eſt, quia præciſe B eſt; adeoque nec B conſtituet hic rationem ſufficientem ipſius A.

38. Si conſtat prædicatum ſubjecto abſolute, vel ſub conditione convenire, in priore caſu prædicati adæquatum determinans eſt definitio ſubjecti, in poſteriori conditio adjecta (§. 35.): unde porro etiam ſequitur, *in priori caſu definitionem ſubjecti, in poſteriori conditionem adjectam eſſe rationem ſufficientem, cur prædicatum ſubjecto ſit tribuendum.*

39. Itaque, POSITA DEFINITIONE SUBJECTI PONUNTUR PRÆDICATA ABSOLUTE EIDEM TRIBUENDA, ET POSITA CONDITIONE SUBJECTO ADJICIENDA PONITUR ETIAM PRÆDICATUM SUB EADEM CONDITIONE ILLI TRIBUENDUM. Liquet exinde, quod poſita ratione ſufficiente ponatur id, quod per eam potius eſt, quam non eſt (§. 33.).

CAPUT II.

De notione Entis.

40. IMPOSSIBILI EXISTERE REPUGNAT. Fieri etenim nequit, ut idem ſimul ſit, & non ſit (§. 9.); ſi autem quod impoſſibile eſt, exiſtere poſſet, idem deberet poſſe eſſe, & non eſſe (per defin. impoſſibilis §. 22.): itaque impoſſibili repugnat exiſtere.

41. Ex adverſo POSSIBILI EXISTERE NON REPUGNAT. Haud incongrue id ita evincitur. Poſito poſſibili nequaquam ponendum eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe (per defin. poſſibilis §. 24.): nulla

nulla ergo ratio præſto eſt, cur exiſtere ipſi poſſibili repugnet; quoniam autem nihil eſt ſine ratione ſufficiente, ſequitur, poſſibili non repugnare, ut exiſtat.

42. *Ens* dicimus, *quod eſt aptum exiſtere*, ſeu *cui exiſtere non repugnat*: *Non Ens*, *cui repugnat exiſtere*.

SCH. Sine ratione a nonnullis entis notio reſtringitur, vel ad ea ſolum, quæ actu exiſtunt, vel ad ens entium, ſive ad ſolum DEUM: non immerito ergo ejuſcemodi reſtrictio repudiatur.

43. Quoniam ei, quod poſſibile eſt, exiſtere non repugnat (§. 41.), QUOD POSSIBILE EST, ENS EST. Similiter cum impoſſibili exiſtere repugnet (§. 40.), QUOD IMPOSSIBILE EST, NON ENS EST. Ambo tamen ſic accipienda ſunt: ex notione poſſibilis primum deducitur aptitudo ad exiſtendum (§. 42.), qua aptitudine poſſibilitati ſuperaddita conſurgit notio entis. Eodem modo ex notione impoſſibilis primum colligitur repugnantia ad exiſtendum, qua repugnantia impoſſibilitati adjecta oritur notio non entis: unde etiam porro intelligere licet, *poſſibile*, &, *ens*, itemque *impoſſibile*, & *non ens* non prorſus ſynonima eſſe.

44. Nonnumquam quid pro poſſibili habetur, quia non advertitur latens in ejus notione deceptrice contradictio; unde fit, ut ei exiſtentiam non repugnare ſumamus, licet revera repugnet. *Id, cui ſaltem exiſtentiam non repugnare ſumimus, licet re vera exiſtentia eidem repugnet, Ens fictum* dici poteſt.

45. Ab ente ficto, quod quidem re ipſa non ens eſt (§. præc.), differt *Ens imaginarium*. Hoc nomine venit, *quod notione imaginaria exhibetur*:

Digitized by Google

betur: notionem autem imaginariam jam alibi appellavimus, qua ob quamdam ſimilitudinem fingitur, quod non eſt, ut per imaginem quamdam veluti præſens ſiſtatur oculis, quod in eos non incurrit (Schol. §. 302. Log.). Eſt adeo ens imaginarium vicarium entis veri, ſive realis; conſequenter minime confundendum cum ipſo ente vero, ſive reali, tametſi haud inutiliter ejus loco in veritate vel invenienda, vel demonſtranda ſumatur, quando nimirum enti imaginario non niſi talia tribuuntur, ex quibus fluunt, quæ enti vero, ſive reali conveniunt. (15)

CAPUT III.

De Eſſentia Entis.

46. IN ente varia diſcerni poſſunt; ideoque in eo ſint quædam oportet, in quibus ratio ſufficiens cæterorum continetur, id quod ex principio rationis ſufficientis colligitur: enimvero cum ponuntur in ente quædam rationem ſufficientem cæterorum conſtituere, eorum viciſſim ratio in cæteris contineri minime poteſt, id quod ex principio contradictionis oſtendi poteſt: hinc ea enti *neceſſario* convenire dicimus; quippe, quod neceſſario eſt, ratione ſufficiente non eget, cur ſit.

47.

(15) Ens, quod licet ſenſibile non ſit, nobis tamen ut ſenſibile exhibemus, per notionem imaginariam dicitur exhiberi: quod autem nihil eſt, & ut ſenſibile nobis repræſentamus, dicitur abſolute ens imaginarium. E. g. *Anima noſtra inſtar pueruli repræſentata* per imaginariam notionem nobis exhibetur: *ſpatium* vero *exhibitum*, *ut ingens receptaculum*, *in quo omnia continentur corpora*, eſt ens imaginarium.

Digitized by Google

47. Ea, *quæ in ente rationem ſufficientem cæterorum, quæ ipſi conveniunt, continent. Eſſentialia* appellantur, *Eſſentiamque entis* conſtituunt: hinc *qui intelligit eſſentiam entis, rationem reddere novit eorum, quæ enti conveniunt*. Quid autem ſibi velit eſſentiam intelligere, ex mox dicendis innoteſcet.

48. In ente quovis ponenda sunt, quæ sibi non repugnant; hæcque ipsa sunt, per quæ ens in sua specie constituitur, et determinatur; omniumque primo sub conceptum veniunt. Ens namque appellatur, quod eſt aptum exiſtere (§. 42.); eſt vero aptum exiſtere, quod poſſibile eſt (§. 41.), ſeu in quo ponuntur, quæ ſibi non repugnant (§. 24.): itaque in ente quovis ponenda ſunt, quæ ſibi non repugnant. Quod erat unum.

Poſitis ſibi non repugnantibus, ponitur poſſibile (§. 24.); conſequenter aptum exiſtere (§. 42.), hoc eſt, ponitur ens: ens igitur per ea, quæ ſibi non repugnant, conſtituitur, & determinatur. Quod erat alterum.

Ante ea, per quæ ens conſtituitur, & determinatur, in eo nihil concipi poteſt: primo itaque conſtituentia, & determinantia entis ſub conceptum veniunt: enimvero quæ ſibi non repugnant, ipſa ens conſtituunt, & determinant (per alt. part.): omnium ergo primo ſub conceptum veniunt. Quod erat tertium.

49. Ex iis, per quæ ens in ſua ſpecie conſtituitur, & determinatur, intelligi poteſt, quænam illi conveniant, & cur conveniant; conſequenter ipſa rationem ſufficientem continent eorum, quæ enti conveniunt: quoniam ergo ens in ſua ſpecie conſtituitur, & determinatur per

ea,

ea, quæ in illo ceu non ſibi repugnantia ponuntur, IN HIS IPSIS SIBI NON REPUGNANTIBUS RATIO SUFFICIENS CONTINETUR EORUM, QUÆ ENTI CONVENIUNT.

50. NOMINE ESSENTIALIUM VENIUNT EA, QUÆ IN ENTE CEU NON SIBI REPUGNANTIA PONUNTUR. Quæ in ente ceu non ſibi repugnantia ponuntur, in illis continetur ratio ſufficiens eorum, quæ enti conveniunt (§. præc.); in quibus vero ratio ſufficiens continetur eorum, quæ enti conveniunt, ea eſſentialia entis appellantur (§. 47.): proindeque &c.

51. Atque ex his clarum jam fit, *Eſſentiam* entis cujusvis recte definiri per *id*, *quod in ente primum concipitur*, *&* *in quo ratio ſufficiens cæterorum, quæ enti conveniunt*, *continetur*. Eſſentia quippe conſtituitur ex eſſentialibus (§. 47.); horum autem nomine veniunt, quæ in ente tamquam non ſibi repugnantia ponuntur (§. præc.): igitur cum iſta in ente omnium primo ſub conceptum veniant (§. 48.), in iisque ratio ſufficiens cæterorum, quæ enti conveniunt, contineatur (§. 49.), ipſa quoque eſſentia recte definitur per id, quod in ente primum concipitur, & in quo cæterorum ſufficiens ratio continetur. (16)

52. Nec minus nunc conſtare poteſt, eſſentiam tum

(16) Rei *eſſentia* communiter a Philoſophis definitur id, *quod eſt primum in ente*, ſive, *quod primo de re concipitur tamquam fons*, *ex quo cetera*, *quæ rei conſtanter conveniunt*, *defluere intelliguntur*. Hæc notio vulgaris eſſentiæ facile poteſt ad Vvolffianam revocari. Illud, per quod res eſt id, quod eſt, Eſſentia dicitur a Philoſophis: dicitur vero Natura, ſi illud ipſum ſumatur, quatenus earum omnium operationum eſt principium, quæ ipſius rei ſunt propriæ.

tum demum intelligi, ſi perſpiciantur ea, per quæ ens in ſua ſpecie determinatur, & conſtituitur: cum namque in his ipſis eſſentia entis ſita ſit (§. præc., & §. 48., & ſeqq.), iis perſpectis, ipſa quoque eſſentia intelligitur.

SCH. 1. Facile erroris convincetur, qui dixerit nullius moliminis eſſe, eſſentiam entis alicujus intelligere: id quippe non eventurum, niſi modus, quo ipſum generatum eſt, aut generari poteſt, agnoſcatur, attentionem adferenti non magno negotio innoteſcet: atqui vero ad agnoſcendum modum generandi ſufficiens acumen ut plurimum nobis deeſt.

Patet autem idcirco minime eorum ſententiæ continuo eſſe ſubſcribendum, qui contendunt, nullo quidem pacto entis cujuſdam eſſentiam a nobis intelligi poſſe. Nempe hi per imaginem quamdam phantaſticam ſibi exhiberi avent, quod nullo modo in ſenſus incidere poteſt, ſed ſolo intellectu concipi debet: enimvero dum id, quod non niſi intellectu concipiendum eſt, per imaginem quamdam nobis præſens ſiſtere conamur, fit equidem, ut illa perquam obſcura evadat, noſque ipſi in ea nihil fere diſcernamus: atque vel ideo rectius equidem ii ſtatuerent, eſſentiam ſenſu, vel imaginatione percipi non poſſe; perperam autem contendunt, eam intelligi non poſſe.

SCH. 2. De eſſentiis quæritur, an ſint neceſſariæ, immutabiles, æternæ? Poſteaquam notiones neceſſarii, immutabilis, ac æterni fuerint evolutæ, haud difficulter reſpondere licebit.

CA-

CAPUT IV.

De Exiſtentia.

53. ENS PER ESSENTIAM SUAM POSSIBILE QUIDEM EST, APTUMQUE ADEO EXISTERE, NON TAMEN ACTU EXISTENS. Etenim eſſentia abſolvitur iis, quæ tamquam non ſibi repugnantia in ente ponuntur; ex hoc autem, quod quædam ſibi non repugnent, aptaque intelligantur ad hoc, ut combinentur, ſane minime ſequitur, ea actu extra conceptum combinata eſſe. Concipiat artifex machinam, clareque etiam perſpiciat in ea poni, quæ ſibi nequaquam repugnant; poſitis his non repugnantibus, machina agnoſcetur quidem poſſibilis, non tamen ideo machina exiſtet.

SCH. Hinc illud axiomatis inſtar: A poſſibilitate entis non valet conſequentia ad ejus exiſtentiam. (17)

54. Itaque manifeſte relinquitur, entis eſſentiam, ſive poſſibilitatem non eſſe id, per quod ejuſdem exiſtentia determinatur; neque adeo etiam in eſſentia, vel poſſibilitate contineri rationem ſufficientem ipſius exiſtentiæ entis (§. 33.): conſequenter ad hoc, ut ens exiſtat, præter ejus poſſibilitatem, quæ per eſſentiam habetur, aliud quid adhuc requiri.

SCH. De eſſentia limitata hic nobis ſermo eſt; in eſ-

(17) Hoc etiam modo idem pronuntiatum proponitur: *A poſſe ad eſſe, vel a potentia ad actum non valet conſequentia*: quia vero id, quod exiſtit, etiam eſt poſſibile (ex §. 24.), hinc *valet conſecutio ab actu ad potentiam, ſeu ab eſſe ad poſſe.*

eſſentia quippe infinita contineri rationem ſufficientem exiſtentiæ, *alibi docebimus*.

55. *Ens*, *quod exiſtit*, *Ens actuale*, vel *Ens actu* dici conſuevit (ipſa enim *exiſtentia* etiam actualitas appellari ſolet). Ei nemo non opponit *Ens potentiale*, ſeu *Ens in potentia*, quod tamen varii varie definiunt: paſſim ens potentiale dicunt, *quod non exiſtit*, *exiſtere tamen poteſt*: ſed enim ex horum ſententia ens in genere acceptum idem erit, quod ens potentiale; atqui vero convenientius ens in genere in ens actuale, & potentiale tanquam in ſpecies dividitur. Equidem hoc ipſum promovit Vvolffium, ut potius dicendum putaret, ens potentiale eſſe illud, *quod ad alia exiſtentia relatum rationem ſufficientem ſuæ exiſtentiæ in iis habere poteſt*: hanc definitionem entis potentialis tanto potiori jure recipiendam putamus, quanto aptius cuncta, quæ circa ens potentiale ſtatui ſolent, ex ea deduci poſſunt.

SCH. *Ens ergo potentiale ab ente ſecundum ſe ſumpto per hoc differt*, *quod præter aptitudinem exiſtendi*, *quæ vi eſſentiæ habetur*, *extrinſecam poſſibilitatem exiſtendi involvat*, *ſine qua nempe actualis exiſtentia concipi non poteſt*.

56. Haud immerito diſcrimen conſtituitur inter *ens in potentia proxima*, & *inter ens in potentia remota*: nimirum ſi ea, in quibus ens potentiale rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ habet, jam actu exiſtunt, dicetur ens in potentia proxima: contra dicetur ens in potentia remota, ſi entia illa nondum exiſtunt.

SCH. *Exemplum præbere poteſt fructus ab arbore vel jam exiſtente*, *vel ſubinde primum extitura progerminandus*.

57.

57. Etſi ens per eſſentiam ſuam non eſt exiſtens, ſenſu nempe ſupra expoſito, tamen quando ens exiſtit, ejus eſſentia exiſtit; immo cum ens per eſſentiam in ſua ſpecie determinetur, ſeu ſit id, quod eſt, dicendum: *ens exiſtere nihil aliud eſſe, quam ejus eſſentiam exiſtere*: unde autem porro colligere licet, ſine ratione præter eſſentiam (N B.) exiſtentem aliud quid requiri ad hoc, ut ens exiſtere dicatur, atque adeo entis exiſtentiam cum eſſentia exiſtente in idem recidere. Equidem ſi eſſentia abſtracte conſideratur, per eam non niſi entis poſſibilitas, & aptitudo ad exiſtendum adſtruitur; hanc vero cum entis exiſtentia non eſſe confundendam quiſque facile agnoſcit.

SCH. In eam incidiſſe videmur quæſtionem apud Scholaſticos perquam celebratam: An, & quomodo Exiſtentia ab Eſſentia diſtinguatur? *Multa circa illam ſat ſubtiliter, complura ambigue, & obſcure adferuntur. Quod præcipue ad rem pertinet, hoc §. inſinuatum crediderim.* (18)

SE-

(18) Definitur a Scholaſticis exiſtentia *actus eſſentiæ*, ſeu *rei extra cauſſas, & nihilum ſiſtentia*: ſeu *id, per quod res eſt actu*, ſeu *ultima eſſendi actualitas*, ſeu *id, quo reſpondetur ad quæſtionem, an ſit?*

In omni ente finito eſſentiam ab exiſtentia reipſa diſtingui, contendunt Thomiſtæ. P. Sicco in Opere pluries laudato pag. 281. ad probandam realem diſtinctionem eſſentiæ ab exiſtentia, opportunum poſſe, & efficax argumentum deſumi putat ex diſcrimine, quod DEUM inter & res creatas admittendum eſſe videtur. „ Quod enim eſt DEO maxime proprium, nefas eſt, „ inquit, creaturis tribuere. Atqui DEO maxime con„ venit exiſtentiam habere ab eſſentia omnino indiſtin„ ctam; unde hoc nomen ut ſibi proprium in Scriptu-

„ ris

SECTIO III.

De Generalibus Affectionibus Entis.

CAPUT I.

De Attributis, & Modis.

58. Affectiones entis *ea omnia dicuntur, quæ enti præter eſſentialia conveniunt, vel de eo enuntiari poſſunt.* Quorum quidem duplex genus eſt: alterum complectens illa, quorum ratio ſufficiens in ipſa eſſentia entis continetur; alterum ea continens, quæ ſui rationem ſufficientem in aliis extra eſſentiam agnoſcunt.

SCH. Affectiones hominis e. g. ſunt capacitas ad articulate loquendum, docilitas *&c.*; *item* eſſe eruditum, miſericordem, iracundum *&c.*: *quippe*

„ ris vindicat Ego sum, qui sum. Id ergo nulli rei „ creatæ tribuendum eſt „. Hoc tamen argumentum non eſt difficile refutare. Nam etſi exiſtentia in omni ente finito ab eſſentia realiter non diſtinguatur; infinitum tamen eſt diſcrimen, quod DEUM inter & res creatas eſt admittendum. In DEO exiſtentia non ita ab eſſentia diſtinguitur, ut eſſentia DEI intellecta, & ejus intelligatur exiſtentia: atque hinc a Recentioribus dicitur: *DEUS exiſtit, quia eſt poſſibilis, & ratio ſufficiens exiſtentiæ DEI eſt in ejus poſſibilitate*, quod omnino de quocumque ente finito negatur. DEUS præterea eſt ens a ſe; e contra res creatæ a DEO ſunt: diverſum autem nihil eſt magis, quam dependens, & independens.

quæ partim propter eſſentiam, partim propter aliquid ab eſſentia diverſum homini conveniunt, de eoque prædicari poſſunt.

59. Ea, *quorum ratio ſufficiens in ipſa eſſentia continetur*, *Attributa* appellantur. Sunt hæc vel *propria*, vel *communia*: illorum ratio ſufficiens in eſſentialibus omnibus ſimul ſumptis; iſtorum in uno aliquo, vel quibuſdam, iiſque, quæ alteri cuidam enti communia ſunt, continetur. (19)

60. ATTRIBUTA ENTI CONSTANTER CONVENIUNT. Eorum enim ratio ſufficiens in eſſentia continetur (per defin. §. præc.); quoniam ergo poſita ratione ſufficiente ponitur id, quod per eam potius eſt, quam non eſt (§. 33.), poſita eſſentia, ponuntur attributa; jam autem fieri nequit, ut ens unquam ſua eſſentia deſtituatur; igitur neque attributis: attributa ergo conſtanter enti conveniunt.

SCH. 1. *Uſi ſumus hac poſitione in Logica, cum docuimus, definitiones rerum per attributa fieri poſſe: id namque exinde ſtabiliri debebat, quod attributa notas ſufficientes præbeant ad ſpeciem entis pro omni tempore ſatis agnoſcendam, ſcilicet quia enti conſtanter, ac perpetuo conveniunt.*

SCH.

(19) *Attributa communia* appellant aliqui Philoſophi, *quæ ab eſſentialibus genericis determinantur*; *quæ* vero *ab eſſentialibus determinantur ſpecificis*, *propria* dicunt. *Eſſentialia generica* entis dicuntur illa, *quæ ſunt in entibus pleriſque ſimilia*; *eſſentialia* vero *diverſa*, *ſpecifica* dicuntur: e. g. partes eſſentiales hominis ſunt *Anima rationalis*, & *Corpus organicum*. In homine quædam ſunt attributa, quæ ſunt hominis propria, ut *capacitas ſcientiæ*, *amor veritatis*; quædam vero attributa, & aliis competunt ſubſtantiis ab homine diverſis, ut *videre*, *audire*, *habere corpus*: itaque iſta attributa vocantur *communia*; illa vero *propria*.

SCH. 2. *Dedimus definitiones attributorum in abſtracto conſideratorum, prout munus, ac officium Ontologiæ poſtulat, eum utique in finem, ut in caſibus particularibus in attributorum numerum non referantur, quæ referri non merentur: ad quem autem finem conſequendum modo ſtabilita propoſitio haud parum collatura eſt, vi cujus pro attributo haberi non poterit, quod enti non perpetuo ineſſe deprehendetur.*

61. Ea, *quorum ratio ſufficiens extra eſſentiam continetur*, *Modos* appellamus: hinc autem facile quiſque agnoverit recte ſtatui, MODOS AB ENTE ABESSE POSSE. Nam cum dicamus eorum rationem ſufficientem in ipſa eſſentia entis non contineri, manifeſte ſequitur, poſita eſſentia, non hoc ipſo poni modos; quoniam tamen, poſita eſſentia, ponitur ens, poterit ens eſſe, quin in eo adſint modi. (20)

SCH. 1. *Hinc in Logica docuimus, per modos definitiones non eſſe condendas, ex eo ſcilicet, quia, cum ab ente abeſſe poſſint, notas ſufficientes præbere non poſſunt ad entis ſpeciem pro omni tempore ſatis agnoſcendam.*

SCH. 2. *Liquet vero etiam ex dictis, id jure inter modos entis eſſe referendum, quod in ente modo adeſſe, modo abeſſe deprehenditur.*

SCH. 3. *Cæterum nota, alio, quam quidem ad Ontologiam pertinere, ut ejus, quod agnoveris eſſe modum entis, pleniorem notitiam adipiſcaris: e. g. ubi agnoveris perceptionem eſſe modum animæ, calorem modum lapidis, ex aliis, quam quidem ontologicis*

D 2 *prin-*

(20) Hinc in Scholis *accidens prædicabile*, adeoque & *modus* definitur, *quod poteſt ineſſe, & non ineſſe enti, ſalva eſſentia*; ſeu *quod prædicatur de ente in quale contingenter.*

principiis, diſcendum erit, quid ſit perceptio, quid calor? Idem ſentiendum de attributis.

62. Etſi modorum ratio ſufficiens in eſſentia non contineatur, ſcilicet hoc ſenſu, ut, poſita entis eſſentia, actu in ente ſint; tamen in eſſentia continetur ratio, ut modi in ente eſſe poſſint: ſeu IN ESSENTIA ENTIS CONTINETUR RATIO SUFFICIENS POSSIBILITATIS MODORUM, LICET NON CONTINEATUR IPSIUS ACTUALITATIS EORUMDEM. Nempe cur modi in ente eſſe poſſint, ratio ſufficiens præſto eſſe debet (per princ. rat. ſuff.); hæc ergo quærenda vel in eſſentia, vel in attributis, vel in modis; plura enim in ente non dantur: quæri autem non poteſt in ipſis modis, qui in ente actu jam ſunt, cum hac ratione poſſibilitas ex exiſtentia fluere, ipſaque adeo exiſtentia prior poſſibilitate eſſe deberet, quod admitti nequit: igitur quærenda eſt vel in attributis, vel in eſſentia. Enimvero ſi latet in attributis, quoniam attributorum ratio ſufficiens continetur in eſſentia, conſequens ſit, rationem ſufficientem, cur modi in ente eſſe poſſint, etiam in eſſentia latere: unde nihil aliud univerſim relinquitur, quam modorum poſſibilitatis, vel proxime, vel remote intervenientibus attributis, rationem ſufficientem in eſſentia contineri.

63. Itaque manifeſtum eſt, POSSIBILITATES MODORUM INTER ATTRIBUTA ESSE REFERENDAS. Attributa namque dicuntur, quorum ratio ſufficiens in eſſentia continetur (§. 59.): poſſibilitates modorum ſui rationem ſufficientem in eſſentia agnoſcunt (§. præced.): proindeque &c.

SCH. Ex eſſentia lapidis non fluit, eum eſſe calidum

dum; quod is tamen poſſit eſſe calidus, ab ejus eſſentia pendet: hinc quidem actualis calor *non niſi modus lapidis eſt*; poſſibilitas *tamen* illius *in lapide attributum lapidis eſt*. (21)

CAPUT II.

De Identitate, Diverſitate, & Diſtinctione.

64. E*Adem* dicuntur, *quorum unius prædicata alteri communia ſunt*. Sive ſi ipſi A conveniant ea, quæ ipſi B conveniunt, A, & B eadem ſunt. Porro ſi quodcumque ipſi A convenit, id omne conveniat ipſi B; A, & B dicentur *abſolute eadem*; ſi vero ſaltem aliquid eorum, quæ ipſi A conveniunt ipſi B convenit, *reſpective eadem* audient.

SCH. In Logica eadem diximus, quæ ſibi ita ſubſtitui poſſunt, ut, facta ſubſtitutione, nulla mutatio obſervetur; quæ quidem definitio ex præſenti ſponte ſua fluit.

(21) Si quærat aliquis, unde ratio repeti debeat, cur modi aliqui enti cuipiam inſint, quam quidem rationem non ſuggerit A.; illi facile fit ſatis ajendo, rationem ſufficientem, cur aliqui modi enti cuipiam inſint, partim in eſſentialibus ipſius entis, partim vel in modis aliis entis, vel in ente extraneo, ſive in ente, quod non eſt in numero determinationum dati entis, contineri: enimvero (ex §. 62.) ratio ſufficiens poſſibilitatis modorum in ente continetur in eſſentialibus ipſius entis: ergo partialis ratio ſufficiens, cur modi inſint ab eſſentialibus petenda eſt; ſi namque modi in tali ente non eſſent poſſibiles, nec actu ineſſe poſſent: aſt ratio iſta partialis vere ſufficiens non eſt, ut modi actu inſint: vel igitur in modis aliis in ente exiſtentibus, vel in ente extraneo rationis ſufficientis continebitur complementum.

ſtuit. Quæ enim ſibi communia prædicata continent, ea ipſa ita ſibi ſubſtitui poſſunt, ut, facta ſubſtitutione, nulla mutatio obſervetur.

65. A secum ipso absolute idem est. Declaratur, & demonſtratur propoſitio hoc modo: concipiatur A bis poni: quæcumque ſunt in A una vice poſito, ea omnia ſunt in A altera vice poſito; ſecus ipſum A bis poſitum non conciperetur contra hypotheſim: igitur A una vice poſitum abſolute idem eſt cum A altera vice poſito (§. præc.); ſeu A eſt abſolute idem ſecum ipſo.

SCH. Per A hic ſumitur quodvis ens, ſive actuale, ſive potentiale, quod adeo dicimus ſecum ipſo idem. Ex dicendis autem patebit, præter hujuſmodi caſum, alium, in quo abſoluta identitas obtineat, non dari.

66. Identitati partim opponunt *Diſtinctionem*, partim *Diverſitatem*. Nos *Diſtincta* dicimus, *quorum unum cum altero abſolute idem non eſt*; ſive, diſtinctio habetur in negatione abſolutæ identitatis, aut communionis omnium prædicatorum: *Diverſa* vero appellamus, *inter quæ etiam identitas reſpectiva aliquo modo exulat.*

SCH. Ubi etiam identitas reſpectiva exulat, unum alterius loco ita ſubſtitui nequit, ut, facta ſubſtitutione, mutatio non obſervetur: hinc in Logica diverſa vocavimus, quorum unum alteri ſubſtitui non poteſt, quin mutatio aliqua obſervetur.

67. In quantum A ſecum ipſo abſolute idem eſt, etiam *idem numero* audit. Itaque ſi A poſueris eſſe idem numero cum B, B ipſum A ſit, eſt neceſſe; conſequenter tali caſu cum veritate prædicare licebit: *A eſt B, & B eſt A.* Ex adver-

verſo cum poſitum fuerit C non niſi reſpective idem eſſe cum D; C, & D ad unam quamdam claſſem entium referenda ſunt, atque adeo ſub communi quadam notione continebuntur; unde *eadem quoad ſpeciem* appellabuntur: hinc vero inferre non licebit, D non eſſe diſtinctum a C: contra ſtatuendum erit, ex eo quod D non ſit idem numero cum C, diſtinctionem inter ea obtinere; nec adeo C, & D præciſe diverſa nomina, ſed diverſas numero entitates eſſe.

SCH. Nempe diſtinctio non officit identitati reſpectivæ, ſed potius ad eam requiritur; cum enim reſpective eadem dicamus, quæ ſaltem aliqua prædicata communia habent (§. 64.), plura entia ſumimus, hoc eſt (quoniam omnis pluralitas, ſeu multitudo diſtinctionem adſtruit, ut infra docebitur) diſtincta, in quibus ſaltem aliqua prædicata communia ponimus: itaque identitas reſpectiva inter diſtincta habetur. Cæterum dictis lucem adlatura eſt ſequens propoſitio.

68. Si quædam sub quadam notione communi continentur, quatenus sub ea continentur, eadem dicenda sunt. Per notionem communem hic intelligitur vel definitio, vel conditio definitioni adjecta: quatenus ergo quædam ſub communi notione continentur, iis vel definitio, vel conditio eidem adjecta communis eſt: enimvero cum definitio, tum conditio præbet rationem ſufficientem, cur aliquod prædicatum ſubjecto conveniat (§. 38.): itaque ſi e. g. A, B, & C ſub communi notione continentur, quævis prædicata, quæ propter illam notionem conveniunt ipſi A, convenire quoque debent ipſis B, &. C (§. 39.): conſequenter A, B, & C tali

caſu eadem ſunt (§. 64.).

SCH. Equidem vulgo plane propoſitio hæc in uſu eſt: nam cum pondus ignotum ad libram examinatum deprehenditur cum alio trium e. g. librarum pondere in æquilibrio conſtitui, pondera dicuntur eadem eo ex capite, quod unum perinde, ac alterum agnoſcatur trium librarum eſſe.

69. Quoniam ſi aliqua eadem ſunt, quatenus eadem ſunt, ſibi mutuo ſubſtitui poſſunt; quæ ſub quadam notione communi continentur ſibi ſubſtitui poſſunt, quatenus ſub illa communi notione continentur. E. g. quatenus Petrus, & Paullus ſub communi notione *animalis rationalis* continentur, Petrus Paullo ſubſtitui poteſt.

70. Paſſim identitas reſpectiva dicitur a mente cognoſcente pendere; cum ex adverſo identitas abſoluta, qua nempe aliquid ſecum ipſo idem eſt, per ſe ſe, atque nulla mentis cognoſcentis ratione habita, in rebus locum ſibi vendicare putetur. Ubi tamen probe notandum, id nequaquam ita accipi poſſe, quaſi identitas reſpectiva fundamento reali deſtitueretur: contrarium equidem jam innuimus; paullo inferius autem enucleatius docebimus.

SCH. Interim adhuc allata ſervire poterunt quibuſdam, quæ circa diſtinctionem vel ideo, quod paſſim ſcitu digna exiſtimentur, nunc commemoraturi ſumus, facilius intelligendis.

71. Quemadmodum aliqua, quæ quidem diſtincta ſunt, fundamentum præbere poſſunt, ut ſub communi notione concipiantur, indeque reſpective eadem evadant; ita una, eademque numero entitas fundamentum præbere poteſt, ut diverſis modis concipiatur, indeque certa quadam

ratio-

ratione a ſe ipſa diſtinguatur; quæ tamen adeo diſtinctio a mente concipiente pendet, ideoque paſſim *Diſtinctio rationis* ſalutatur. Homo e. g. nunc concipi poteſt tamquam ens facultate ſentiendi præditum, ſeu, ut mos loquendi fert, tamquam *animal*, nunc tamquam ens facultate ratiocinandi inſtructum, ſeu tamquam *rationale*; quo caſu homo tamquam animal dicetur diſtinctus a ſe ipſo tamquam rationali, ſed nempe diſtinctione rationis.

SCH. Diſtinctio rationis, cujus nunc mentio facta eſt, rationis ratiocinatæ *fert nomen: eſt præter eam alia, quam* rationis ratiocinantis *vocant. Circa utramque Suarez, quem Vvolffius res metaphyſicas profundius meditatum fatetur, ſequentia annotavit Diſp.* 7. *Sect.* 1. *N. IV.* „ *Eſt certum dari præter diſtin-* „ *ctionem realem, diſtinctionem rationis, & eſt* „ *illa, quæ formaliter, & actualiter non eſt in* „ *rebus, quæ ſic diſtinctæ denominantur, prout in ſe* „ *exiſtunt, ſed ſolum prout ſubſtant conceptibus no-* „ *ſtris, & ab eis denominationem aliquam acci-* „ *piunt* - - - *Hæc autem duplex diſtingui ſolet,* „ *una, quæ non habet fundamentum in re, & dicitur* „ *rationis ratiocinantis, quia oritur ſolum ex negotia-* „ *tione, & operatione intellectus, alia, quæ habet* „ *fundamentum in re, & a multis vocatur rationis* „ *ratiocinatæ.* - - - *Hæc autem duo diſtinctionum* „ *rationis genera, quamvis ab aliis aliter explicen-* „ *tur, commode tamen poſſunt in hunc modum de-* „ *clarari, nimirum, ut diſtinctio rationis ratioci-* „ *nantis ſit in ordine ad eumdem conceptum adæ-* „ *quatum, ſeu ſimplicem ejuſdem rei ſolum per* „ *quamdam repetitionem, vel comparationem ejus, quæ* „ *in mente ſit. Sic enim diſtinguitur Petrus a ſe ipſo,*

vel

„ *vel in ratione ſubjecti, & prædicati, quando de ſe „ ipſo enuntiatur, vel in ratione termini, & ſubjecti „ relationis, quando* idem ſibi *dicitur; in his enim „ & ſimilibus diſtinctionibus rationis idem eſt, atque „ integer conceptus Petri, ſolumque ſit quædam re- „ petitio, & comparatio ejus. At vero poſterior di- „ ſtinctio rationis fit per conceptus inadæquatos ejuſ- „ dem rei: nam licet per utrumque eadem res conci- „ piatur, per neutrum tamen exacte concipitur to- „ tum id, quod eſt in re, - - - quod ſæpe fit conci- „ piendo rem illam per habitudinem ad res diverſas, „ vel ad modum earum, & ideo talis diſtinctio ſem- „ per habet fundamentum in re, formaliter autem „ dicetur fieri per conceptus inadæquatos ejusdem rei. „ Sic diſtinguimus in DEO juſtitiam a miſericordia, „ quia non concipimus ſimpliciſſimam virtutem DEI, „ prout in ſe eſt, - - - ſed eam conceptibus partimur „ in ordine ad diverſos effectus, quorum eſt princi- „ pium illa eminens virtus, vel per proportionem ad „ diverſas virtutes, quas in homine invenimus di- „ ſtinctas.*

„ *N. VI. Ex quibus intelligitur primo, diſtinctio- „ nem rationis non appellari, eo, quod inter entia „ rationis verſetur, in quo multi decepti ſunt; - - - „ conſtat enim ex dictis exemplis, ea, quæ ſic diſtin- „ gui dicuntur, entia realia eſſe, vel potius ens rea- „ le diverſis modis conceptum; rationeque etiam id „ patet, quia ratio non fingit entia, quæ ſic diſtinguit, „ ſed ſolum per modum diſtinctorum concipit, quæ di- „ ſtincta non ſunt; ergo non ea, quæ diſtinguuntur, „ ſed ſola ipſa diſtinctio per rationem reſultat. Nec „ tamen mens fallitur ſic diſtinguendo, quia non af- „ firmat, in re eſſe diſtincta, quæ ſic concipit, ſed „ ſimpliciter, & abſque compoſitione, ſeu affirmatio-*

ne,

Digitized by Google

„ *ne, aut negatione ea concipit, ut diſtincta per abſ-*
„ *tractionem præciſivam, per quam quaſi efficit hu-*
„ *jus diſtinctionem. Quod ſi poſtea per reflexionem,*
„ *vel compoſitionem illam prædicat de rebus ſic con-*
„ *ceptis, non affirmat ſimpliciter illas eſſe diſtinctas,*
„ *ſed tantum ſecundum quid, id eſt ſecundum ra-*
„ *tionem.*

Fallor vehementer, aut quidquid de diſtinctione rationis utiliter afferri poteſt, id totum Vir eximius egregie, clareque complexus eſt; hinc ipſa ejus verba adducere libuit. (22)

72. Præter diſtinctionem rationis, eamque, de qua ſub principium egimus, quamque ideo *realem* dici volunt, quod inter res ſecundum ſe ſpectatas, & ad mentem cognoſcentem non relatas obtineat, ſolet a Philoſophis commemorari, adhuc quædam alia, *modalis* dicta, locum ſibi vendicans inter ſubjectum modificatum, & modum, e. g. inter menſam, & ejus rotunditatem. Hanc 1. dici nolunt *rationis* ex eo, quod a mente cognoſcente nullo modo pendeat; 2. autem neque *realem* propterea, quod non inter rem, & rem, ſed rem, & modum rei intercedat. Cæteræ diſtinctionum ſpecies, ac diviſiones hæ fere ſunt: I. Diſtinctio *adæquata*, quæ eſt inter illa, quorum unum non eſt pars alterius, ut *corpus*, & *anima*. II. Diſtinctio *inadæquata*, quæ datur inter

---

(22) Et de virtuali ſecundum Thomiſtas diſtinctione aliquid attingamus. Virtualis diſtinctio non eſt proprie diſtinctio, ſed potius diſtinctionis rationis eſt fundamentum: id enim virtualiter diſtinctum appellatur, quod unum & ſimplex quum ſit pluribus tamen æquivalet, adeoque menti noſtræ præbet occaſionem, ut plures in eo partes diſtinguat.

ter totum, & ejus partem, e. g. *inter hominem, & animam*. III. Diſtinctio *poſitiva*, quæ habetur inter terminos poſitivos, quales ſunt *corpus*, *& anima*; in ſpecie *adæquate poſitiva* habetur, ſi terminus uterque poſitivus eſt, ſecus *inadæquate poſitiva* audit, cujuſmodi intercedit inter *ſenſum tactus*, & *cæcitatem*. IV. Diſtinctio *negativa* vel *adæquate*, vel *inadæquate*. Diſtinctio adæquate negativa utrumque terminum negativum habet; inadæquate negativa eſt hoc ipſo inadæquate poſitiva. De quibus cunctis non eſt, cur nunc plura in medium adferantur. (23)

CAPUT III.

De Singulari, & Univerſali.

73. EGimus in Logica de notionibus ſingularibus, & univerſalibus: nunc earumdem objecta nonnihil curatius expendere convenit. Primum itaque *Singulare*, vel *Individuum* dicimus, *quod omni-*

(23) Diſtinctionem quamdam ab omnibus, quas retulit A., diverſam excogitavit Scotus, inter diſtinctionem realem, & rationis mediam, eamque appellavit *formalem ex natura rei* : *formalem* quidem, quia non inter res diverſas, ſed inter ejusdem rei formalitates, ut ipſe loquitur, verſatur; *ex natura rei*, quia citra omnem intellectus operationem rebus ipſis ex propria earum natura convenit. Hanc diſtinctionem eſſe vult Scotus inter gradus metaphyſicos; nec veretur in DEO, qui ſimpliciſſimus eſt, infinitas formalitates hoc modo diſtinctas admittere. Hujuſmodi tamen exploditur ab omnibus diſtinctio. Contra Scotum argumentatur P. Sicco *pag.* 290. inquiens: „ Equidem diſtinctio eſſe dicitur „ en-

omnimode eſt determinatum, ſeu *in quo nihil relinquitur, quod indeterminatum ſit, atque adeo quadam porro ratione determinari exigat*: e. g. dum menſam aliquam coram intuemur, in ea omnia, ac ſingula determinata deprehendimus, puta materiam, figuram &c.; hinc menſa talis eſt quid ſingulare.

SCH. *Exactiſſima exempla Matheſis ſuppeditat. Si in figura determinatus eſt numerus laterum, & angulorum, itemque determinata ratio laterum tum inter ſe, tum ad lineam aliquam datam, nec minus ratio angulorum tum ad ſummam eorum, tum ad quatuor rectos, nihil relinquitur in figura; quod porro determinari exigeret in ordine ad hoc, ut actu eſſe poſſit: eſt proinde figura hujuſmodi ens ſingulare.*

74. Ex eo itaque, quod ens omnimode ſit determinatum, intelligitur, cur ens ſit ſingulare, vel individuum: eſtque adeo omnimoda determinatio ſufficiens ratio intrinſeca ipſius individui; conſequenter ſi per ſufficientem rationem intrinſecam ipſius individui intelligimus, id, quod alias *Principium individuationis* dici ſolet, relinquitur, PRINCIPIUM INDIVIDUATIONIS ESSE OMNIMODAM DETERMINATIONEM EORUM, QUÆ ENTI ACTU INSUNT. (24) SCH.

„ entis proprietas; tum enim unum ab alio diſtingui „ cenſemus, quum unum non eſt aliud; proindeque „ tot eſſe debent diſtinctionum genera, quot ſunt en- „ tium: atqui inter ens reale, & rationis non adeſt „ ens medium: ergo neque inter realem, & a ratione „ excogitatam mediam ullam diſtinctionem comminiſci „ poſſumus „. Inutile foret heic Scotiſtarum fundamenta exponere, quæ vel nimis probant, adeoque nihil; vel facile diſtinctione rationis ſolvuntur.

(24) Omnimoda eorum, quæ enti inſunt determinatio dicitur in Scholis *Individuatio*, vel (ſatis barbare) *Hæcceitas*.

SCH. Applicetur huc exemplum præcedens ex Matheſi repetitum. Exemplis vulgaribus difficulter propoſitionem quis illuſtraverit; neque enim in iis, quæ in communi vita occurrunt, quævis determinationes intrinſecæ æque patent, ac patere poſſunt in objectis mathematicis.

75. Quemadmodum ens omnimode determinatum dicitur, in quo nihil relinquitur, quod porro determinari exigat: ita ex adverſo dicendum erit ens non omnimode determinatum, in quo aliquid relinquitur indeterminatum; quod niſi determinetur, ens actu eſſe, ſeu exiſtere nequit: unde manifeſtum fit, *quidquid exiſtit, omnimode determinatum, conſequenter ſingulare, & individuum eſſe* (§. 73.).

SCH. Oſtendimus alibi, experientia ſatis certum haberi poſſe, quæ exiſtunt, ea omnimode determinata eſſe, adducto exemplo artificis non valentis opus quoddam artis ſuæ ad exiſtentiam, ſeu actum perducere, niſi in eo omnia determinentur.

76. Inter determinationes, ex quibus entia omnimode determinata, ſeu individua conſtant, aliæ ſunt *communes*, aliæ *diverſæ*: communes nempe determinationes vocamus, vi quarum plura individua ſub communi quadam notione, puta definitione, vel conditione eidem adjecta, continentur, atque adeo reſpective eadem evadunt: diverſas dicimus, vi quarum unum peculiarem notionem ſibi vendicat, ideoque ab altero aut diſtinctum, aut diverſum eſt.

SCH. E. g. Poſſe ratiocinari *eſt determinatio communis Cajo, & Sempronio. Si duo habes deſcripta triangula æquilatera, in quorum uno latus quodvis ad lineam datam eſt, ut 6. ad 2., in altero ut* 8.

ad

ad 2., *hæ rationes ſunt determinationes triangulorum diverſæ.*

77. Determinationes communes ens relinquunt aliquo modo indeterminatum. *Ens aliquo modo indeterminatum, ſeu non omnimode determinatum, Univerſale* appellamus. Hinc autem ſequentia deducuntur. I. Univerſalia conſtituuntur ex determinationibus communibus individuorum, ſive ex eorum reſpectiva identitate. II. Univerſalia, tametſi per ſeſe non exiſtant, cum tamen non contineant, niſi quæ in individuis continentur, individuis inſunt, indeque plane eſt, quod ex contemplatione ſingularium, & individuorum cognitionem univerſalem adipiſci poſſimus. III. Univerſalia non ſunt mera nomina, neque ſolum res mentis cognoſcentis opera procuſæ.

78. Determinationes communes, minus, magiſve communes deprehenduntur: itaque ſui univerſalitati ſunt gradus. Determinationes minus communes *minus univerſale*, magis communes *magis univerſale* conſtituunt; unde naſcuntur ſpecies, genera, genera ſuperiora, de quibus in Logica plura ſcitu neceſſaria allata, ſtabilitaque ſunt: quædam e veſtigio addentur.

SCH. In Cajo, quod per homo *ſignificatur, eſt communis determinatio Sempronio, & Titio; at eſt communior determinatio, quod per* animal *indigitatur: hinc in poſteriori caſu magis univerſale habetur, ſcilicet* genus; *in priori minus univerſale, nempe* ſpecies.

79. Individua reſpectu ſpecierum, ſpecies reſpectu generum, genera reſpectu generum ſuperiorum *Inferiora* dicuntur. Determinationes in inferioribus diverſæ paris nominis *Differentiam*

con-

conſtituunt: nempe determinationes in individuis diverſæ abſolvunt differentiam *individualem*, ſeu *numericam*, diverſæ determinationes in ſpeciebus *ſpecificam*, in generibus *genericam* &c. Sed de his quoque in Logica jam actum eſt.

80. Species conſtituuntur ex determinationibus eſſentialibus (§. 26. Log.) : quod ſi plura individua communem geneſim, ſive modum generandi habent, communia eſſentialia, ſeu communem eſſentiam habeant, oportet: itaque, quod conſequitur, individua, quæ communem geneſim, ſeu modum generandi habent, ejuſdem ſpeciei ſunt.

SCH. Uſitatiſſima hæc ratio eſt res propoſitas ad ſuas ſpecies referendi. Cæterum haud difficulter quis agnoſcere poteſt propoſitionem allatam convertibilem eſſe, ſcilicet: Individua quæ ejuſdem ſpeciei ſunt, communem geneſim, ſeu modum generandi habent; *ſi namque non haberent, non eſſent ejusdem ſpeciei (per dicta hoc §.), id quod hypotheſim evertit.*

81. Quidquid actu eſt, ſeu exiſtit, omnimode determinatum eſſe debet (§. 74.): itaque etiam geneſim aliquam actualem, ſeu quæ actu datur, nihil ingredi poteſt, quod determinatum non ſit, quamdiu in geneſi aliquod ingrediens indeterminatum relinquitur, etſi ipſa geneſis intelligi poterit, non tamen actu dari poterit. Hinc profluit modus agnoſcendi, quænam determinationes ſint *individuales*, ſeu *numericæ*; ac contra quænam *ſpecificæ* ſint. Individuales nempe ſunt *ſine quibus geneſis actu dari nequit*; ſpecificæ vero ſunt *per quas rei geneſis ſufficienter intelligi quidem poteſt, non tamen actu dari*.

SCH. In Geometria paſſim traditur modus, quo figu-

gura generari, ac deſcribi poteſt, qualis nominatim propoſitio I. lib. I. Euclid. exemplum præbet; & *vero ita traditur, ut ſufficienter intelligi poſſit. Sed enim actu figuram deſcripturus opere ipſo experietur, ultra ea, quæ quidem ad deſcriptionem præſcripta ſunt, quædam aſſumi debere; alioqui non futurum, ut deſcriptio ipſa perficiatur. E. g. deſcripturus juxta memoratam propoſ. I. lib. I. triangulum æquilaterum experietur dari debere lineam rectam, cui ſingula latera, vel æqualia eſſe, aut determinatam rationem ad eam dicere debeant; de quo autem ipſo in propoſitione Euclidis mentio non ſit: hinc diſcimus, quæ geneſim trianguli ab Euclide traditam ingrediuntur, ſpectare ad determinationes ſpecificas, perque ea ſolum ſufficienter ipſam geneſim intelligi; quibus vero præter illa ad ipſam actualem deſcriptionem opus eſt, ea pertinere ad determinationes individuales.*

CAPUT IV.

De Oppoſitis, & *Diſparatis.*

82. OPpoſita ſunt, *quorum unum infert negationem alterius*. In ſpecie *contradictorie oppoſita* dicuntur, *quæ ſimul eſſe non poſſunt*: e. g. *album*, & *non album*: nempe impoſſibile eſt, ut cum eſt album, etiam non ſit album (§. 9.). *Contrarie oppoſita* appellantur, *quæ etſi ſimpliciter ſimul eſſe poſſint, uni tamen, eidemque enti ſimul ineſſe non poſſunt*, ut *album*, *nigrum*.

83. *Ens conſideratum, ut aliquid* (§. 17.), *Rem* appellamus. *Defectus rei, ſive*, ut aliis loqui placet, *realitatis, quæ eſſe poterat, Privatio* nominatur: quoniam autem hujusmodi defectus, ſive

privatio actu datur, idcirco inſtar entis conſiderari ſolet. *Privatio inſtar entis conſiderata*, *Ens privativum* audit; *res* vero *ipſa indicans privationem ſibi reſpondentem*, *tamquam ens privativum*, *Entis poſitivi* nomine inſignitur. Entia poſitiva e. g. ſunt *Viſus in homine*, *Lux in conclavi*; privativa autem *Cæcitas*, & *Tenebræ*.

84. Itaque inter ens poſitivum, & reſpondens ei privativum re vera negatio intercedit; conſequenter oppoſita ſunt (§. 82.): dicuntur vero ſpeciatim *privative oppoſita*.

SCH. Nunquam non in Scholis defectus realitatis, quæ eſſe poterat, ſeu, ut ajebant, in ſubjecto capaci, privatio dictus eſt; dum tamen ex adverſo defectus realitatis, quæ eſſe non poterat, ſeu in ſubjecto incapaci, ſimpliciter negatio fuit appellatus. Porro tam de negationibus, quam privationibus quæſitum fuit, iiſne aliquod prædicatum competere poſſit? Quid ſtatuendum videatur ſequens propoſitio indicabit.

85. Enti privativo (pariter negativo) nullum prædicatum poſitivum competere poteſt. Ens quippe privativum non niſi defectu rei, ſeu realitatis abſolvitur; itaque in ejus notione nihil ponitur, ex quo intelligi poſſit, cur aliquid de eo affirmandum ſit; hoc eſt, in ente privativo non continetur ratio ſufficiens alicujus prædicati ipſi tribuendi: quod ſi proinde enti privativo aliquod prædicatum competit, competit ſine ratione ſufficiente; ſed iſtud aſſerere integrum non eſt (§. 20.): ergo neque illud.

SCH. 1. De privationibus, & negationibus nil poſitivi enuntiari poſſe ſtatuimus. Quod ſi contingat formari propoſitiones, in quibus videtur aliquid poſitivi de iis enuntiari, dicendum, verba ſolum poſitiva

va eſſe; notionem autem iis reſpondentem nonniſi mero defectu abſolvi; conſequenter privationem eſſe: ſcilicet, dum de ente privativo aliquid affirmari videtur, nihil realitatis ponitur, ſed re ipſa aliquid tollitur; vel ponitur realitas, quæ poni aut non poteſt, aut non ſolet, niſi alia ſublata. E. g. dum dicimus: Tenebræ hominibus metum injiciunt, *tenebris tribuitur, quod iis minime convenit; homines enim, quos lux deficit, ſibi ſaltem confuſe repræſentant e. g. foveas, in quas ruere, lapides in quos offendere, homines perditos, a quibus vita, vel opibus orbari facile poſſunt, in quibus adeo ratio enaſcentis in mente metus continetur: nulla tenebris actio, qua tanquam realitate metus procreatur, tribuenda venit, ſed, poſitis tenebris, vel potius ſublata luce, ponuntur poſitiva quædam, quæ cum tenebris, ſeu ſublata luce cohærent.* (25)

SCH. 2. *Ne quis hæc pro inanibus ſubtilitatibus habuerit: deſervire eo debent, ut non in numerum poſitivorum continuo referantur, quæ poſitiva eſſe tantum apparent. Frigus paſſim aliquid poſitivi audiebat,*

(25) Ex iis, quæ de *Nihilo* prædicantur, ea, quæ hoc Scholio habet A., poſſunt illuſtrari. Annon enim nobis dicere licet, nihilum immutabile eſſe, immobile, infectum, incorruptum, æternum, nihilum nihilo ſimile eſſe, differre a rebus creatis, eſſe contrarium enti, ex nihilo Orbem a Deo eſſe creatum, ceteraque, quæ elegantiſſimo Poematio Nihilo tribuit vir ameniſſimi ingenii Paſſeratius? Atqui hæc immutabilitas, hæc immobilitas, ceteraque, quæ nihilo per hujuſcemodi locutiones tribuuntur, meræ ſunt negationes, mutabilitatis nempe, mobilitatis, generationis, corruptionis, finis, diſcrepantiæ a nihilo, ſimilitudinis cum rebus creatis, convenientiæ cum ente, exiſtentiæ rei ullius ante mundi creationem. Conſulatur Huetius *in Cenſura Philoſ. Carteſ. p. m.* 149.

cum hodie plurimis Philoſophis contrarium ſit perſuaſiſſimum. (26)

86. Inter oppoſita numerantur quoque illa relata, quorum unum alterum eſſe non poteſt, appellanturque *relative oppoſita :* cujuſmodi ſunt *Pater*, *& Filius ; Dominus*, *& Servus*.

SCH. Circa oppoſita a compluribus hæ leges ſtatuuntur. I. Inter contradictorie oppoſita non datur medium, neque per excluſionem, neque per participationem. II. Inter contrarie oppoſita datur medium tum per excluſionem, tum per participationem. III. Inter relative oppoſita datur medium per excluſionem, itemque inter privative oppoſita. Exempla adducemus in Prælectionibus. (27)

87. *Quorum unum alterius negationem non involvit, tamen inter ſe diverſa ſunt*, *Diſparata* dicuntur. E. g. *Album*, & *dulce*.

CAPUT V.

De Neceſſario, & Contingente.

88. N*Eceſſarium eſt, cujus oppoſitum impoſſibile eſt.* E. g. *DEUS eſt verax ;* quoniam impoſſibile eſt, ut DEUS non ſit verax, vel ut ſit mendax, idcirco DEUS eſt neceſſario verax.

89.

(26) Plurimis hodieque perſuaſiſſimum eſt Philoſophis, frigus aliquid eſſe poſitivi. Verum de hoc in Phyſica.

(27) Exempla communia ſubjungimus. Inter contradictorie oppoſita non datur medium, neque per excluſionem, neque per participationem: e. g. *album*, & *non album* ; *homo*, & *non homo* : omne enim vel eſt, vel non eſt. Inter contrarie oppoſita datur medium tum per excluſionem, tum per participationem: e. g. *Color viridis non eſt flavus*, *nec ruber* : tepor item, ſecun-

89. Fieri nequit, ut idem ſimul ſit, & non ſit (§. 9.); itaque quæ ſibi non repugnant, non poſſunt ſimul ſibi repugnare; itemque viciſſim, quæ ſibi repugnant, non poſſunt ſimul non repugnare; conſequenter quæ ſibi non repugnant, neceſſario non repugnant, ac quæ ſibi repugnant, neceſſario repugnant; hoc eſt: POSSIBILE EST NECESSARIO POSSIBILE: itemque: IMPOSSIBILE EST NECESSARIO IMPOSSIBILE (§. præc.).

SCH. Ex propoſitione I. lib. I. Euclidis manifeſtum eſt, non repugnare, ut tres lineæ rectæ æquales ſpatium comprehendant; itaque triangulum æquilaterum eſt poſſibile, & quidem neceſſario poſſibile. Similiter ex definitione lineæ rectæ deducitur, duas rectas ſpatium claudere non poſſe; hinc figura bilinea rectilinea impoſſibilis eſt, & quidem neceſſario impoſſibilis.

90. QUODLIBET, DUM EST, NECESSARIO EST. Quodlibet enim dum eſt, eſt (§. 15.); ſed fieri nequit, ut quidpiam ſimul ſit, & non ſit; igitur dum quidpiam eſt, ita eſt, ut ſimul non poſſit non eſſe: conſequenter quodlibet, dum eſt, neceſſario eſt (§. 88.).

SCH. Dicere ex. g. poſſumus: Dum lapis eſt calidus, neceſſario eſt calidus, *ex eo nempe, quod lapis, dum eſt calidus, non poſſit ſimul eſſe frigidus, ſive non calidus: quo equidem in caſu ita proceditur: primum ratio ſufficiens ponitur, cur lapidi competat eſſe calidum, e. g. quia radiis Solis longiori tempore* E 3 *ex-*

---

cundum communem loquendi modum, de calore participat aliquid, & de frigore. Inter relative oppoſita datur medium per excluſionem: e. g. *Lapis neque dominus eſt, neque ſervus; nec filius eſt, nec pater.* Pariter inter privative oppoſita datur medium per excluſionem: e. g. *lapis neque cæcus eſt, neque videns.*

Digitized by Google

expoſitus fuit, tum accedente principio contradictionis fit, ut lapis calidus factus neceſſario ſit calidus: quoniam autem non neceſſario lapis tanto tempore radiis Solis expoſitus fuit, idcirco etiam non neceſſario calidus factus eſt, ſed poſtquam calidus factus eſt, neceſſario calidus eſt. (28)

91. Si ens continet quidpiam, in cujus locum aliud quid ſubſtitui poteſt ita, ut cætera, quæ enti inſunt, eadem maneant, tam hoc, cui aliud quid ſubſtitui poteſt, quam ipſum ens ex hoc latere *Mutabile* dicitur: contra appellamus *Immutabile*, in cujus locum dicta ratione aliud quid ſubſtitui nequit.

SCH. In cera e. g. durities eſt quid mutabile, in ejus enim locum ſuccedere poteſt mollities ita, ut cætera

---

(28) Lapis in hypotheſi Auctoris dicitur calidus neceſſario hypothetice; itaque neceſſarium multiplex eſt. *Id, cujus oppoſitum eſt intrinſece impoſſibile*, dicitur *intrinſece neceſſarium*: e. g. *DEUS eſt neceſſario intrinſece juſtus*. *Cujus oppoſitum eſt extrinſece impoſſibile*, dicitur *extrinſece neceſſarium*: e. g. *Neceſſario qui eſt mortuus, remanet mortuus, ſi conſideretur tantum vis creata*. *Abſolute neceſſarium* eſt, *cujus oppoſitum eſt abſolute impoſſibile*: e. g. *Homo neceſſario conſtat ex anima rationali, & corpore organico*. *Hypothetice neceſſarium* eſt, *cujus oppoſitum eſt hypothetice impoſſibile*. Exemplum a *lapide calido* deſumatur. *Neceſſarium phyſice* illud eſt, *cujus oppoſitum eſt phyſice impoſſibile*: e. g. *Lapis ſibi relictus neceſſario deſcendit*. *Neceſſarium moraliter* eſt, *cujus oppoſitum eſt* moraliter impoſſibile. Sic *homo pius* neceſſario moraliter *eſt incapax* quorumdam facinorum, puta *furti*. Dicitur quandoque neceſſarium moraliter, cujus oppoſitum difficillime, vel nonniſi raro contingit evenire. Rectius hoc diceretur *valde probabile*. Non eſt tamen ea moralis neceſſitatis acceptio negligenda, qua gravis difficultas indicatur, quum ea ſæpe in Libris ſanctis, atque in SS. Patrum Operibus occurrat. Conſulatur & N. (23) Log.

tera in cera eadem maneant: ex adverſo numerus ternarius laterum in triangulo eſt quid immutabile; ei enim alius ſubſtitui nequit, ita, ut eadem figura maneat.

92. Quod necessarium est, etiam immutabile est. Si enti A inſit neceſſario B, per definitionem neceſſarii fieri nequit, ut B non inſit ipſi A (§. 88.); conſequenter in locum ipſius B nihil ſubſtituere licet ita, ut in A cætera maneant eadem: igitur B eſt immutabile (§. præc.).

SCH. Obtinet quoque converſa hujus, ſcilicet: Quod immutabile est, etiam necessarium est. *Si enim B, quod ineſt ipſi A, eſt immutabile, in ejus locum nihil aliud ſubſtituere licet; conſequenter oppoſitum impoſſibile eſt, ſeu B neceſſarium eſt* (§. 88.).

93. Essentiæ rerum in abstracto, ac proprie sumptæ sunt necessariæ. Eſſentiæ namque ſic ſumptæ conſiſtunt in non repugnantia eorum, quæ rei inſunt; jam cum fieri nequeat, ut quæ ſibi non repugnant, ſimul etiam repugnent, non repugnantia illa neceſſaria eſt (§. 88.): conſequenter eſſentiæ ſunt neceſſariæ.

94 Essentiæ rerum sunt immutabiles. Conſtituitur ſiquidem rei eſſentia per determinatum quemdam eſſentialium numerum, in quorum unius locum, ſi ſubſtitutum aliud fuerit, minime res eadem manebit, ſed ad ſpeciem diverſam continuo pertinebit: eſſentiæ ergo ſunt immutabiles (§. 91.). (29)

(29) Contra hanc ſententiam, quam omnes tuentur ſanæ mentis Philoſophi, nonnulla objiciunt Carteſius, & Poiretus. Ita ergo argumentantur I. DEUS eſt omnipotentiſſimus: efficere ergo poterit, ut trian-

gu-

95. *Contingens* dicitur, *cujus oppoſitum impoſſibile non eſt*, ſeu *nullam contradictionem involvit*. E. g. impoſſibile nequaquam eſt, ut lapis ſit frigidus; ſi ergo nihilominus fuerit calidus, calor in lapide contingens erit.

96. Hinc autem clare ſequitur, CONTINGENS ESSE MUTABILE; porroque etiam MUTABILE viciſſim ESSE CONTINGENS. Ponatur enim B, quod ineſt ipſi A, eſſe contingens; quoniam oppoſitum contingentis impoſſibile non eſt, aliud, quod non eſt B, ipſi A ineſſe poteſt: B igitur mutabile eſt (§. 91.):

---

gulum non tribus, ſed quatuor conſtet lateribus. II. Si rerum eſſentiæ dicantur neceſſariæ, & immutabiles, aliquid præter DEUM neceſſarium admittitur, & immutabile. III. Nihil eſt apud DEUM impoſſibile: quamquam igitur nos clare, diſtincteque cognoſcamus aliquid non involvere contradictionem, efficere tamen DEUS poterit, ut contradictionem involvat.

Sed leviſſime hæc diſpelluntur: unde ad I. dicendum, ea, quæ manifeſtam involvunt contradictionem, non eſſe poſſibilia, nec entis habere rationem: at quæ poſſibilia non ſunt, neque ſunt entia, eſſe a DEO recipere nequeunt; non ergo poſſunt creari: non quidem defectu potentiæ in DEO, ſed aptitudinis in ipſis impoſſibilibus (ex §. 40.). Ad II. Rerum eſſentiæ in abſtracto conſideratæ non ſunt aliquod ens reale exiſtens: non igitur datur aliquod præter DEUM neceſſarium, & immutabile, quamvis eſſentiæ rerum neceſſariæ, & immutabiles dicantur. Reſponderi aliter poſſet, rerum eſſentias poſſibiles realiter conſideratas non aliquid eſſe ab ipſa divina eſſentia diſtinctum, prout ea eſt infinitis modis participabilis: eſſentiæ igitur rerum poſſibiles nil aliud ſunt, quam ipſa divina eſſentia: ſi vero de actualibus eſſentiis loquamur, mutabiles ſunt utique, & contingentes, quatenus a DEO poſſunt in nihilum redigi, ſicuti ex nihilo factæ ſunt. Ad III. Omnia, quæ rationem entis poſſunt participare, a DEO creari poſſe negabit ſanus nemo: at quæ non ſunt entia, nec ſunt (ex §. 40.) poſſibilia.

(§. 91.): quod erat unum.

Quod ſi B ponitur eſſe mutabile, in ejus locum aliud ſubſtitui poteſt, ſalvo ipſo A, cui B ineſt; conſequenter oppoſitum ipſius B impoſſibile non eſt: unde B contingens eſt (§. præc.): quod erat alterum.

97. Si in re non niſi ad ejus eſſentiam, ſeu, quæ ejus loco eſt, definitionem attendimus, *res abſolute, ſive in ſe ſpectari* dicitur. Ubi autem præter eſſentiam, vel definitionem in re aliæ determinationes rationem ſui in eſſentia non agnoſcentes præſupponuntur, ac conſiderantur, *res ſub data conditione, ſeu in hypotheſi ſpectatur*. Hinc eſt, quod alia ſint *neceſſaria abſolute*, alia *hypothetice neceſſaria*: abſolute neceſſarium appellatur, *cujus in ſe, ſive abſolute ſpectati oppoſitum impoſſibile eſt*: hypothetice vero neceſſarium dicitur, *cujus ſub data conditione ſpectati oppoſitum eſt impoſſibile*.

SCH. In triangulo abſolute neceſſarius eſt numerus ternarius laterum: calor vero in lapide ſolum hypothetice neceſſarius eſt, ſcilicet ſub conditione, quod is radiis Solis fuerit expoſitus, ut mox manifeſtum erit.

98. Attributorum ratio determinans in eſſentia continetur, atque adeo, poſita eſſentia, ponuntur attributa, & quidem ita, ut non poni non poſſint: unde attributa ſunt quid neceſſarium (§. 88.): & quoniam neceſſitas hæc oritur ex re in ſe, ſive abſolute ſpectata, ſequitur, ATTRIBUTA ESSE QUID ABSOLUTE NECESSARIUM.

99. MODI RERUM SUNT HYPOTHETICE NECESSARII. Univerſim enim, ſi ponitur ratio determinans, etiam ponitur determinatum (§. 32.): & quoniam fieri nequit, ut dum quid ponitur ſimul non ponatur, hoc ſenſu neceſſario ponitur

tur (§. 90.): modorum ratio determinans continetur in una, vel pluribus conditionibus definitioni, ſive eſſentiæ rei adjectis; iis ergo poſitis, ponuntur modi, ac ita quidem, ut dum poni concipiuntur, ſimul non poni non poſſint; conſequenter neceſſario ponuntur: quoniam vero hæc neceſſitas non proficiſcitur, niſi ex re ſub conditione quadam ſpectata, relinquitur, modos hypothetice eſſe neceſſarios.

SCH. 1. *Fieri poteſt, ut conditiones definitioni, ſive eſſentiæ adjectæ in caſu uno ſufficientem rationem determinantem præbeant, non item in alio. E. g. fit ex eo quod lapis longiori tempore radiis Solis exponatur, ut calidus fiat: atqui vero fieri etiam poteſt, ut tametſi lapis radiis Solis fuerit expoſitus, is tamen calidus non fiat; ſed enim tunc aliud accedere oportet, quod rationem ſufficientem præbeat, ut calor in lapide non obtineat; e. g. miraculoſa actio DEI, cui tamquam novo determinanti determinatum aliud reſpondebit: hinc autem minime deducitur, modos, dum rei inſunt, hypothetice neceſſarios non eſſe dicendos; ſemper enim, dum inſunt, cum ratione ſufficiente inſunt, unde etiam actu ineſſe agnoſcuntur; & quoniam per principium contradictionis ineſſe ſimul, ac non ineſſe non poſſunt, neceſſario ineſſe intelliguntur; ſed nempe neceſſitate hypothetice tali, ſeu fundata in conditionibus definitioni, ſeu eſſentiæ adjectis, non abſolute tali, quæ in ipſa rei eſſentia, ſive definitione fundatur.*

SCH. 2. *Ex dictis etiam intelligere licebit, quomodo ea, quæ naturaliter fiunt, hypothetice neceſſaria dicenda ſint, ita, ut tamen ab abſolute neceſſariis differant: conſtat enim ea abſolute eſſe neceſſaria, quatenus poſſibilia ſunt, hypothetice, quatenus actu ſunt.*

100. QUOD NON NISI SUB DATA CONDITIONE NE-

CES-

CESSARIUM EST, IN SE CONTINGENS EST. Quod enim ſub data conditione neceſſarium eſt, ideo ſolum neceſſarium eſt, quia poſita eſt conditio, ceu ratio determinans, qua poſita ita ponitur determinatum, ut ſimul non poni non poſſit (per demonſtrata); igitur ſi conditio non poneretur, etiam determinatum non poneretur: oppoſitum ergo determinati in ſe poſſibile eſt: cujus oppoſitum poſſibile eſt, contingens eſt: ergo quod non niſi ſub data conditione neceſſarium eſt, in ſe contingens eſt.

SCH. Si lapis radiis Solis longiori tempore exponitur, conditio eſſentiæ lapidis adjicitur præbens rationem ſufficientem in caſu, quo nihil aliud tamquam ratio determinans accedit, ut lapis calidus fiat: & quoniam poſita ratione determinante ponitur determinatum, lapis longiori tempore radiis Solis expoſitus fit calidus ita, ut ſimul non calidus fieri non poſſit, hoc eſt, fit neceſſario calidus. Enimvero ſi lapis radiis Solis, præſcindendo ab aliis modis, quibus lapis calidus fieri poteſt, non exponeretur, calidus non fieret: itaque calor in lapide de ſe abeſſe poteſt, ſeu oppoſitum caloris in lapide eſt poſſibile; conſequenter ipſe calor in lapide de ſe aliquid contingens eſt.

101. CUJUS RATIO SUFFICIENS IN ESSENTIA ENTIS CONTINETUR, ID ABSOLUTE NECESSARIUM EST: contra CUJUS RATIO IN ALIO AB ESSENTIA DIVERSO CONTINETUR, NON NISI HYPOTHETICE NECESSARIUM, CONSEQUENTER CONTINGENS EST. Poſita ratione ſufficiente ponitur id, quod per eam potius eſt, quam non eſt (§. 33.), & quidem ita, ut ſimul non poni non poſſit (§. 90.), hoc eſt neceſſario ponitur: itaque ſi ratio ſufficiens in eſſentia continetur, neceſſitas ex eſſentia, ſeu re abſolute ſpectata oritur; conſequenter quod per

illam

illam rationem eſt, abſolute neceſſarium eſt: ſi vero ratio ſufficiens continetur in aliquo ab eſſentia diverſo, neceſſitas proficiſcitur ex re ſub conditione ſpectata; conſequenter quod per talem rationem eſt, non niſi hypothetice neceſſarium, atque adeo contingens eſt. (30)

SCH. 1. *Hinc patet univerſim, principium rationis ſufficientis minime inducere abſolutam neceſſitatem, in quod nos inveſtigaturos alibi polliciti ſumus (Schol.* §. 21.).

SCH. 2. *Quænam in numerum abſolute neceſſariorum, quæ contra in claſſem hypothetice ſolum neceſſariorum referenda ſint, accuratius perſpexiſſe ſuo loco nobis plurimum proderit; nec minus proderit ſequentia adhuc rite expendiſſe.*

102. *Ens neceſſarium* appellatur, *quod neceſſario exiſtit*; exiſtit autem neceſſario, quod exiſtentiæ ſuæ rationem ſufficientem in ſua eſſentia agnoſcit (§. præc.). *Ens contingens* vocatur, *quod contingenter exiſtit*; exiſtit vero contingenter, quod exiſtentiæ ſuæ rationem ſufficientem non in ſe, ſed in alio extra ſe habet (§. præc.). (31)

103.

(30) Ut rite, quæ tradit A., percipiantur, adnotare juverit, non omne, cujus ratio in eſſentia quacumque continetur, abſolute eſſe neceſſarium; quæ enim in eſſentia agentis liberi, quatenus liberum eſt, rationem ſufficientem agnoſcunt, non abſolute ſunt neceſſaria, ſed contingentia, & libera, ut alibi demonſtrabit noſter A.

(31) Alia hinc emergit principii rationis ſufficientis demonſtratio. Enimvero quidquid exiſtit, vel eſt ens neceſſarium, vel ens contingens: atqui ſi ens eſt neceſſarium ſufficiente non deſtituitur ratione, cur exiſtat, eam enim in ſua eſſentia habet; ſi eſt ens contingens eam habet in alio extra ſe: igitur quidquid exi-

Digitized by Google

103. QUANTACUMQUE SERIES ENTIUM CONTINGENTIUM, QUORUM UNUM PER ALTERUM DETERMINATUR AD EXISTENDUM, STATUATUR, IN EA NON CONTINETUR RATIO SUFFICIENS, CUR QUODCUMQUE POTIUS SIT, QUAM NON SIT. Sint in ſerie contingentium A, B, C, D &c., & A determinetur per B, B per C, C vero per D &c.: itaque A exiſtere nequit, niſi prius exiſtat B; ſed quoniam B per hypoth. eſt contingens, rationem ſufficientem exiſtentiæ in ſe non habet, ſed in alio, eoque diverſo; conſequenter B exiſtere nequit, niſi prius exiſtat aliquid ab ipſo diverſum, nempe in noſtra hypotheſi C: igitur A non habet rationem ſufficientem in ſolo B: enimvero pari modo demonſtratur nec habere in C, nec in D, nec in quocumque alio, hoc eſt in tota ſerie: patet ergo, in ſerie contingentium rationem ſufficien-

exiſtit habet rationem ſufficientem: atque adeo NIHIL EST SINE RATIONE SUFFICIENTE. Non diſſimilis fieri poteſt demonſtratio de quacumque enti cuilibet inexiſtente realitate, & de quacumque mutatione, quæ in ente quolibet jam exiſtente fiat: quæcumque enim realitas vel neceſſario, vel contingenter enti ineſt; ſi neceſſario, vel tamquam eſſentiale quid, vel tamquam attributum; ſi tamquam eſſentiale, ejus ratio ſufficiens eſt non repugnantia; ſi tamquam attributum, ejus ratio ſufficiens eſt in eſſentialibus: ſi contingenter, ejus ratio ſufficiens partim in eſſentialibus, partim in modis aliis præcedentibus, vel in ente alio continetur (ex §§. 98. 99.): ergo &c. Mutatio, quæ fit in ente jam exiſtente, non eſt, niſi modificatio, ſive variatio modi eſſendi: quare cum modi non inexiſtant enti abſque ratione ſufficiente, nulla quoque fit in ente jam exiſtente mutatio ſine ratione ſufficiente: atque adeo NIHIL EST, AUT FIT SINE RATIONE SUFFICIENTE, CUR SIT, AUT FIAT.

ſicientem non contineri, cur unum aliquod potius ſit, quam non ſit.

104. Hinc autem manifeſte duo fluunt:

I. *Series entium contingentium, quorum unum per alterum determinatur, quantacumque ſit, ipſa non niſi ens contingens eſt:* eſt quippe ens contingens, quod rationem exiſtentiæ in ſe non continet.

II. *Si ſeries entium contingentium, quorum unum per alterum determinatur, exiſtit, rationem ſufficientem exiſtentiæ in ente extra ſeriem habet:* quod namque exiſtit, ratione ſufficiente, cur potius exiſtat, quam non exiſtat non deſtituitur: ſi igitur in ſe non habet rationem ſufficientem, extra ſe habeat, oportet.

SCH. Id, in quo ſeries contingentium rationem ſufficientem exiſtentiæ habet, ipſum quoque contingens non eſſe, inde conficitur, quod alioqui ad ſeriem ipſorum contingentium pertineret; nec proinde in eo ratio ſufficiens contineri poſſet (per demonſt.): unde relinquitur, id ipſum neceſſarium eſſe. (32)

CAPUT IV.

De Qualitate, & Agnatis Notionibus.

105. D*Eterminationem quamlibet rei intrinſecam, quæ per ſeſe, ac ſine alio aſſumpto agnoſci, ac intelligi poteſt*, hic *Qualitatem* appellamus.

SCH. Color ruber e. g. per ſe ſe ſufficienter agnoſci

(32) Quæ contra hanc demonſtrationem quidam impii homines afferunt opportunius in Theologia Naturali ſolvemus.

Digitized by Google

ſci poteſt, tametſi nullus unquam alius color in ſenſus incurrerit: hinc namque audito nomine globi rubri minime hærebis in notione ejus formanda; atque idcirco color ruber *e. g. in globo qualitas eſt.*

106. Qualitates dividuntur in *primitivas*, & *derivativas*. Primitivæ dicuntur, *quæ alias ante ſe non ſupponunt, in quibus ſui rationem ſufficientem habeant*: derivativæ nuncupantur, *quæ ex aliis ſuppoſitis deducuntur, & probantur.*

SCH. In numerum qualitatum primitivarum referuntur eſſentialia entis*; ad claſſem derivativarum, partim* attributa, *partim* modi *pertinent.*

107. Qualitates rebus a se invicem discernendis destinantur. Rebus diſcernendis deſtinantur ea intrinſeca, quæ ſine alio extra eadem aſſumpto intelligi poſſunt: quod exinde colligitur, quia aliter nec differentia alteri explicari, nec ens obvium a nobis agnoſci poterit, niſi detur illud intrinſecum, ſine quo intelligi nequit: quoniam ergo qualitates ejuſmodi intrinſeca ſunt, patet, qualitates rebus diſcernendis deſtinari.

108. Si plures res eaſdem qualitates continent, *ſimiles* dicuntur: eſtque adeo *qualitatum identitas*, quod *Similitudinem* ſalutamus.

SCH. Quoniam Qualitates rebus a ſe invicem diſcernendis deſtinantur (§. 107.), *patet*, Similitudinem *dici quoque poſſe* identitatem eorum, quæ rebus a ſe invicem diſcernendis deſtinantur.

109. Similitudo eſt identitas qualitatum, hoc eſt determinationum intrinſecarum, quæ per ſeſe intelligi poſſunt. Harum aliæ conſtituunt genus rei, aliæ ſpeciem, aliæ cum prioribus ſumptæ ipſum individuum: hinc facile quis intelliget, quid ſibi velit *ſimilitudo generica*, quid *ſpecifica*? Quod ſi

ſi in A nullæ forent determinationes, quæ etiam ipſi B non forent communes, A, & B dicenda forent abſolute ſimilia. Enimvero quoniam A conſtat ſuis determinationibus numericis, ſeu individualibus, itemque B ſuis conſtat, ac ita quidem, ut quæ in A ſunt, diverſæ ſint ab iis, quæ ſunt in B; idque cum verum maneat, ſi pro A, & B, quæcumque alia C, D, E, &c. ſumantur, univerſim relinquitur, DUO ABSOLUTE SIMILIA DARI NON POSSE.

SCH. Numquam non in Scholis exiſtimatum eſt, duo individua numero eadem eſſe non poſſe. Quod ſi duo individua abſolute ſimilia darentur, manifeſte ex dictis colligetur, ea numero eadem eſſe. Itaque ſi admittendum non videtur, duo individua eadem numero eſſe poſſe, nec admittendum, quod duo individua abſolute ſimilia eſſe queant. (33)

110.

(33) 1. Hæc propoſitio ab Auctore probata celebre illud eſt principium, quod *Principium indiſcernibilium* vocant Vvolffiani. De hujus veritate principii, tamquam de re nova, acriter eſt a pluribus diſputatum:

„ Sed neque tam facilis res ulla eſt, quin ea primum
„ Difficilis magis ad credendum conſtet: itemque
„ Nil adeo magnum, nec tam mirabile quicquam
„ Principio, quod non minuant mirarier omnes
„ Paullatim.

Adjicienda aliqua putamus, quibus Vvolffianum principium firmetur.

2. Itaque principium indiſcernibilium ex contradictionis principio neceſſario conſequitur: nam S. Thomas, a quo non facile audent ſive Philoſophi, ſive Theologi recedere *in lib. cont.Gentes cap.* 42. plures Deos eſſe impoſſibiles ex eo probat, quod plures Dii deberent eſſe perfecte ſimiles, ac proinde ab invicem diſcerni non poſſent, atque diſtingui. „ Impoſſibile eſt, „ inquit Magiſter Angelicus, plures Deos haberi; nam „ ſi

110. Quemadmodum res, quæ eaſdem qualitates continent, in quantum eas continent, ſimiles dicuntur; ita, *quæ diverſas qualitates habent*,

„ ſi nulli eorum deeſt aliqua perfectio, neque aliqua „ imperfectio ei admiſcetur, non erit, in quo ad in„ vicem diſtinguantur „. Clarius profecto, vividius, ſolidius probari nequit, duo entia perfecte ſimilia abſolute eſſe impoſſibilia: denegato igitur indiſcernibilium principio, & principium contradictionis ruit.

3. Sed & ex rationis ſufficientis principio illud neceſſario conſequitur. Si enim duo entia darentur perfecte ſimilia, horum unum, nulla facta in compoſito mutatione, alterius loco poſſet ſubſtitui: nulla ergo ratio habetur, nec haberi poteſt, quorſum unum ſit in uno compoſito, & non aliud.

4. Idem confirmat experientia, quatenus inter ea, ut Vvolffius advertit, quæ ſunt ejuſdem ſpeciei, non licet reperire duo individua ſimilia; ſed ubi nudo oculo talia apparent, per microſcopia tamen in uno deprehenditur, quod alteri non ineſt. Exemplum fruſtraneo ſucceſſu duorum objectorum ſimilium quæſitorum refert Leibnitius *in Ep.* 4. *ad Samuelem Clarkium*. Quintilianus quoque *lib. X. Inſtit. Orat.* dixit: „ Res ſim„ pliciſſimæ, quæ pares maxime videntur, diſcrimine „ aliquo diſcernuntur „.

5. Aliqua opponuntur a P. Fortunato a Brixia, & a Volterio. Primi argumenta p. 1. Phyſ. gen. §. 530. ſic contrahi poſſunt. Quamquam primitiva corporum elementa ſint inter ſe perfecte ſimilia, adhuc tamen omnia naturæ phœnomena poſſunt explicari: nam omnis mutatio, quæ in corporibus contingit eſt penes figuram, magnitudinem, partium ſitum, & locum totius. Quis autem dubitet corpuſcula parva mutare poſſe figuram, magnitudinem, partium ſitum, & locum, datis primis corporum elementis perfecte ſimilibus? Atqui corpuſculorum

„ Intervalla, viæ, connexus, pondera, plagæ,
„ Concurſus, motus, ordo, poſitura, figuræ
„ Cum permutantur; mutari res quoque debent.

Præterea nonne fatetur Vvolffius §. 190. Coſmol. figuram

bent, *diſſimiles* appellantur. Itaque I. Diſſimilia, tametſi ea quantitate non differre contingat, intrinſeci quid habent, unde a ſe invicem diſcerni

---

ram athomi materialis eſſe qualitatem occultam, quia ratio ſufficiens nulla dari poteſt, cur eidem inſit, vel ſaltem ineſſe poſſit; quoniam in ea nihil ſupponitur, unde intelligatur, cur ea ipſi potius figura conveniat, vel convenire queat, quam altera. Igitur fruſtra laborat, dum rationem ſufficientem quærit, quorſum datis duobus entibus perfecte ſimilibus unum eſt in uno compoſito, & non aliud.

6. Reſp. ad I. Principium indiſcernibilium ex primis Ontologiæ principiis probatur, non quia ſecus naturæ phœnomena non poſſent explicari, ſed quia ex principiis contradictionis, & rationis ſufficientis conſequitur. Quamquam neque corpuſcula parviſſima, quæ tamquam ſecundaria corporum elementa ſunt habenda, uti dicemus in Coſmologia, denegato indiſcernibilium principio, figura, magnitudine, partium ſitu, & loco differre inter ſe poſſunt: nam cum unionis diverſæ elementorum primorum ratio omnis ceſſet in hypotheſi, corpuſcula diverſa oriri non poterunt. Haud igitur poſſunt abſque tali principio naturales effectus explicari; immo

„ Nec res ulla geri ſub cæli tegmine poſſet;
„ Nec foret omnino cælum, neque lumina Solis.

7. Ad II. Si docente Quintiliano relato a P. Fortunato §. 355. Logicæ, Viri ſummi & labant aliquando, & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati, nec ſemper intendunt animum, & nonnumquam fatigantur, ita ut Ciceroni dormitare quandoque Demoſthenes, Horatio etiam bonus ipſe Homerus ſit viſus; licet enim ſummi fuerint, homines fuere tamen: quid non iis accidet, qui homines cum ſint, non tamen ſummi? Vvolffium §. 190. Coſmol. in objectione citatum contra Athomiſtas ex abſurdo, ut ajunt, argumentari, legenti patet ſplendidiſſime: ibi autem probat, futurum aliquid ſine ratione ſufficiente, ſi prima corporum elementa compoſita ſint, non ſimplicia. Quid ergo? Miror in tam craſſum errorem potuiſſe Fortunatum, Philoſo-

ni poſſunt, quin opus ſit unum alteri, aut idem utrique applicare. II. Diſſimilitudo tum generica, tum ſpecifica eſſe poteſt. III. Quodvis individuum alteri diſſimile eſt.

---

loſophum ceteroquin eruditum, prolabi; verum non mirandum, ſi „ plerumque animum, ut inquit idem Fortu-„ natus §. 492. Log., ad id in Adverſario improban-„ dum intendimus, quod vere ipſe non docet, & fortaſ-„ ſe ne ſomniavit quidem, ut hinc appareat, nos op-„ pugnare, penituſque convellere, quod, ut infringe-„ retur, vocatum a nobis in dubium fuerat.„

8. Hæc vero in Metaphyſica Nevvtoni cap. 3. objicit contra indiſcernibilium principium Volterius. I. Materia ex ſe indifferens eſt ad quodcumque componendum compoſitum: inter res autem indifferentes nulla datur alia melior, ſive aptior ad hoc compoſitum conſtituendum. II. Elementa compoſitorum debent eſſe ſimilia, ut ſimiles producant effectus: e. g. elementa radiorum rubrorum debent eſſe perfecte ſimilia, ut radios rubros componant: aquæ elementa debent eſſe eadem, ut aquam componere valeant. III. Si quiſpiam petat rationem ſufficientem, cur hæc athomus, ſeu hoc ens ſimplex A ſit in uno loco, & aliud B illi perfecte ſimile ſit in alio, dicetur, eſſe in motu, quo duo illa entia moventur: ſi petatur ratio ſufficiens illius motus, vel dicendum erit, hunc motum eſſe neceſſarium, vel dicendum, eam rationem eſſe voluntatem DEI, qui talem motum impreſſit: ſi petatur, cur DEUS eum impreſſerit motum, dicetur: ut exequeretur, quod ſapienter decreverat. At cur eum motum impreſſit ad dexteram potius, quam ad ſiniſtram, ad occaſum potius, quam ad ortum, eo potius tempore, quam alio? Nonne heic oportet confugere ad voluntatem indifferentem Creatoris? Id expendendum relinquitur, concludit Volterius, quaſi demonſtrationem protuliſſet ineluctabilem, lectoribus nullarum partium ſtudioſis.

9. Non adeo tamen eſt difficile & his argumentis reſpondere: Ad I. Materia, qua corpora componuntur, dupliciter poteſt ſpectari, mathematice ſcilicet, & ontologice, ſive realiter. Materia mathematice conſiderata

rata

CAPUT VII.

De Quantitate, & connexis Notionibus.

111. QUemadmodum determinationes intrinſecæ, quæ ſine alio aſſumpto agnoſci poſſunt, qualitates ſunt appellatæ, ita *quod in rebus intrinſecum ſolum dari, per ſe vero, ac ſine alio aſſum-*

---

rara nonniſi ut pura extenſio ſpectatur habens perfectam partium homogeneitatem, qua ſit, ut quælibet pars ad quamlibet figuram, & poſituram ſit indifferens: non idem tamen de materia realiter conſiderata eſt dicendum; partes enim primitivæ materiæ realis ſunt entia ſimplicia, ut in Coſmologia tradetur, phyſice, & realiter inter ſe diſtincta: ergo & ſunt diverſa (ex prima propoſitionis demonſtratione). Pariter corpuſcula parviſſima ex entibus ſimplicibus immediate genita diverſa ſunt, quum contineant elementa diverſa:

„ Debent nimirum non omnibus omnia prorſum
„ Eſſe pari filo, ſimilique affecta figura.
„ Præterea genus humanum, mutæque natantes
„ Squammigerum pecudes, & læta arbuſta, feræque,
„ Et variæ volucres, lætantia quæ loca aquarum
„ Concelebrant circum ripas, fonteſque, lacuſque,
„ Et quæ pervolgant nemora avia pervolitantes:
„ Horum unum quodvis generatim ſumere perge:
„ Invenies tamen inter ſe diſtare figuris.

10. Ad II. Fila lucis componentia ipſum radium homogeneum diverſam habere naturam, diverſumque colorem demonſtrabitur in Phyſica. Quia tamen inter hoſce diverſos colores fila hujuſmodi parum inter ſe differunt, eodem nomine nominantur: „ Rubei e. g., inquit Boſcovichius *lib. V. de Defectibus &c. pag.* 282. „ dicuntur quamplurimi, quorum alii magis, alii minus,

ſumpto cognoſci nequit, *Quantitas* nuncupatur : cujuſmodi ſunt *Numerus*, & *Magnitudo*, quæ hoc loco expoſituri ſumus.

112. Fieri nequit, ut ea, per quæ ens in ſuo eſſe conſtituitur, ſalvo ipſo ente, mutentur, vel a ſe invicem ſeparentur (§. 94.): in hoc ipſo autem ratio continetur, quod unumquodque ens ita ſit aliquid, ut aliud idem eſſe non poſſit. *Ens quatenus ita eſt aliquid, ut aliud idem eſſe nequeat*, *Unum*; *ipſam* vero *inſeparabilitatem*, *ſeu indiſpenſabilem conjunctionem eorum, per quæ ens in ſuo eſſe conſtituitur*, *entis Unitatem* appellamus.

SCH. Sive ens univerſale, ſive ſingulare tibi propoſueris, utrobique modo dicta valeant. (34)

„ nus, ut ita dicam, rubei ſunt ; & a colore unius „ nominis ad colorem alterius tranſitur per quoſdam „ velut gradus continuos, ſive, ut Itali appellant, „ *con una sfumatura* „. Hinc patet effectuum ſimilitudinem non eſſe perfectam, ſicuti non ſunt cauſſæ perfecte ſimiles : ſed neque ſpecifica partium aquam componentium ſimilitudo cum ſimilitudine perfecta eſt confundenda.

II. Ad III. Quæ ad DEI voluntatem pertinent in Theologia Naturali erunt tradenda : adnotaſſe modo ſufficiat, DEUM ſapientiſſimum non agere inſipientium more, & abſque conſilio : unde vehementer erraverit, qui DEUM putaverit velle, quia vult.

(34) I. Si de ente ſingulari ſit ſermo, vacillare propoſitio Auctoris videtur, niſi parce admodum intelligatur. Nam Petrus e. g. nonne idem cenſetur homo in infantia, in adoleſcentia, in virilitate, in ſenectute? Quot tamen in eo contigere mutationes ? Tranſpiratio enim continua eſt, & plures partes eidem corpori additæ, pluresque detractæ ; ut nihil de mutationibus animæ dicamus : quomodo igitur idem homo in tot mutationibus intrinſecis perſeverat ?

2. Ut hanc ſolvant difficultatem, & defendant eumdem hominem toto vitæ ſuæ tempore permanere, no-

vam

113. *Multa* dicimus, *quorum unumquodque in ſuo eſſe determinatum, conſequenter unum eſt; ipſa tamen idem non ſunt*. E. g. *Equus*, *Leo*, *Vulpes* multa ſunt;

---

vam quamdam hypotheſim excogitarunt Ab. Lignaccus *in Opere De præſentia ſimultanea ejuſdem hominis in pluribus locis*, & Nievventitius apud Lignaccum. Duplex corpus, inquit Lignaccus, in quolibet homine diſtinguamus, oportet; unum viſibile, aliud inviſibile; unum magnum, alterum parvum; unum primarium, aliud ſecundarium; unum ſubſtantiale, aliud accidentale. Corpus ſubſtantiale, quod bene *Prototypum* appellari poteſt, eſt illud corpuſculum organicum, cui immediate unitur anima in momento creationis: huic corpori prototypo alia additur materia; ſed hæc accidentalis eſt, non eſſentialis ad talem hominem componendum. Hæc perſona humana non connotat niſi hanc animam, & hoc corpus prototypum: eadem igitur ſemper, quoad homo vivit, permanet perſona; quamquam in materia accidentali corporis variationes, additiones, diminutiones perpetuo ſuccedant.

3. Si ab his Auctoribus quæratur, num in iſto prototypo corpuſculo contineatur ſanguis, lympha, pinguedo? Reſpondet Nievventitius: Quum ſanguis aliique humores facile mutationibus ſint obnoxii, quæ non poſſunt in corpus prototypum cadere, alias non permaneret idem; in corpore prototypo partes tantum ſolidæ continentur, fluidæ nullæ. O mirabile profecto corpus humanum prototypum! In illo ergo eſt cerebrum, ſed abſque ſpiritibus animantibus: ſunt oculi, ſed abſque humoribus: eſt cor, ſed abſque ſanguine: ſunt venæ, arteriæque, ſed vacuæ: ſunt nervi, ſed exſucci. Et hoc corpus prototypum hoc modo fabricatum appellat quis humanum, primarium, eſſentiale? Ingenue fatear: mihi non corpus humanum hoc videtur, ſed materies ſtipiti, ſaxoque ſimillima. Anima in hoc corpore ſita quid percipit? A quo ad percipiendum determinatur? Num a ſpiritibus animantibus? Num a motu ſanguinis, aut cerebri mutationibus? At humores in corpore prototypo, ſi Nievventitium audiamus, nulli ſunt. Quid ergo? Puta eſt fabella hoc inventum fabella omni poetica futilior.

4.

ſunt; ſiquidem eorum unumquodque in ſuo eſſe ſpecifico determinatum eſt, neque tamen idem ſunt. Similiter *Petrus*, *Paullus*, *Jacobus*, multa ſunt, cum unuſquiſque illorum in ſuo eſſe individuali ſit determinatus, non tamen idem ſunt.

114. Unum vel conſideratur in concreto, vel in abſtracto; itemque ita conſiderantur, quæ multa dicimus. *Unum in abſtracto* nomine *Unitatis*, *multa in abſtracto* nomine *Multitudinis* ſolent indigitare.

SCH. In Arithmetica agitur de uno, & multis in abſtracto: etenim ibidem loquimur de uno non attendentes, qualia ſint entia, quorum unumquodque unum F 4 *eſt*

4. Ego vero, inquit Ab. Lignaccus, in corpuſculo prototypo admitto perfectam omnium organorum ſtructuram, item ſanguinem, alioſque humores omnes; eſt enim corpus prototypum corpus vivum a parentibus genitum: verum hoc corpuſculum prototypum, cui anima primum copulatur, immutabile eſt, nec intrinſecis variationibus obnoxium.

5. Hæc quoque reſponſio altera melior non eſt; nam in hac Lignacci opinione mors hominis in ſeparatione animæ a corpore prototypo conſiſtet: atqui ſeparatio animæ a corpore prototypo numquam futura eſt; nam animæ corpori præſentia ceſſat, quum in corpore mechaniſmus neceſſarius deſtruitur; deſtruitur autem mutationibus intrinſecis: ſi ergo corpus prototypum intrinſece eſt immutabile (ex hypoth.), nullæ in eodem erunt, proindeque nec accident mutationes intrinſecæ: igitur mechaniſmus corporis prototypi ſemper erit ordinatiſſimus, nullaque adeo in illo perturbatio humorum, & ſolidorum, corruptio nulla: corpus ergo prototypum conſtanter eſt aptum animæ habitaculum. Quorſum ab hoc prototypo ſuo ſeparari debet anima?

6. Quapropter quia corpus humanum e. g. pluribus ſubjacet mutationibus intrinſecis non eſt *idemmet* in pueritia, in adoleſcentia, in virilitate, in ſenectute; eſt tamen *idem*, quia pedetentim hujuſmodi fiunt mutationes.

eſt ; ſimiliter loquimur de multis in abſtracto, non attendentes, qualia ſint, quæ ſimul multa ſunt.

115. Multitudo oritur ex unitatibus iteratis, ut conſideranti ſatis patet. Quod ſi unitates, ex quibus multitudo oritur, denotant talia, quæ ejusdem ſunt ſpeciei, ac conſequenter ſub communi notione, & nomine continentur, recte *eædem* dicuntur: contra *diverſæ* merito appellantur, quæ deſignant talia, quæ diverſæ ſpeciei ſunt, ac conſequenter diverſam notionem, diverſumque nomen ſibi vendicant.

SCH. Nempe unitates denotantes talia, quæ ejuſdem ſunt ſpeciei, ſalva multitudine, quæ ex iis reſultat, ſibi ſubſtitui poſſunt: contra ita ſibi ſubſtitui nequeunt, quæ deſignant talia, quæ diverſæ ſpeciei ſunt: igitur illæ merito eædem, *hæ vero* diverſæ *dicuntur* (*Sch.* §. 64., & 65.).

116. *Multitudo, quæ ex unitatibus iiſdem reſultat, Numerus* dicitur.

SCH. De numero in abſtracto ſermo hic eſſe videbitur, cum & multitudo, & unitates abſtractum quid innuant. Alias is numerus numerans *ſolet dici, exprimiturque proprie per* binarium, ternarium, quaternarium *&c. Numerus in concreto, alias* numeratus *dici ſolitus, conſtituitur per multa in concreto, exprimiturque proprie per* duo, tria, quatuor *&c.; ita, ut tum ſenſum eſſe oporteat*, duo *e. g.* latera, tria corpora, quatuor figuræ: *ubi quidem nemo non facile diſpicere poteſt, qua ratione definitio numeri numerantis ad numerum numeratum applicari queat.* (35)

117.

(35) Numerus numeratus dicitur etiam *primitivus*, & numerus numerans *derivativus*.

117. Si ponimus A, & B &c. eſſe multa, ac per ea conſtitui *unum*, quod e. g. nominetur G; G dicitur *Totum*; A vero, & B &c. *Partes*; & quodlibet eorum *Pars*: ſeu in genere: *Totum eſt unum idem cum multis*; *Partes ſunt multa ſimul ſumpta idem cum uno*. (36)

SCH. E. g. Radix, Truncus, Rami, Folia tamquam multa, ſeu inter ſe diſtincta, ac diverſa, conſtituunt Arborem, quæ eſt quid unum, ac idem cum enumeratis ſimul ſumptis. Hinc Arbor *dicenda totum;* Radix, Truncus, Rami, Folia *partes*.

118. *Multitudo partium totum conſtituentium, quarum una eſt extra alteram*, appellatur *Magnitudo*; ut adeo magnitudinem tribuere liceat omnibus, in quibus partes extra ſe invicem concipi poſſunt, e. g. *calori*, *duritiei*, *flexibilitati &c.* (37)

119.

---

(36) Totum multiplex eſt, nimirum *naturale*, *artefactum*, & *per accidens*. Totum naturale illud eſt, *quod ex pluribus diſtinctis coaleſcit ab ipſa natura ad tale compoſitum componendum ordinatis*, ut *Planta*. Dici hoc etiam ſolet *Totum per ſe*. Totum artificiale dicitur illud, *quod ex pluribus diſtinctis componitur ab arte deſtinatis ad tale compoſitum conſtituendum*, ut *Domus*. Totum per accidens eſt illud, *quod ex pluribus conſtat nullo glutine inter ſe unitis*, ut *Acervus lapidum*. Addamus & totum *morale*, illud nempe, *quod ex pluribus diſtinctis conſtat per regulas morum ad invicem unitis*, ut *Exercitus*. Quandoque plures actiones morales cenſentur una actio ſecundum prudentum judicium.

(37) Partes aliquam componentes magnitudinem vel ſunt *homogeneæ*, vel ſunt *heterogeneæ*. Partes magnitudinis, *quæ naturam eamdem habent*, dicuntur homogeneæ; *quæ* vero *diverſa natura ſunt prædictæ* heterogeneæ appellantur. Anaxagoræ *homeomeria*, quam nitidiſſime exponit Lucretius *lib. I. de rerum nat.* continet partes homogeneas; eſtque ejusmodi:

„ Oſſa videlicet e pauxillis, atque minutis

Oſſi-

119. *Quæ ſalva magnitudine ſibi invicem ſubſtitui poſſunt*, *Æqualia* dicuntur. Quod æquale eſt alterius rei parti, *minus* eſt re illa; ac cujus pars æqualis eſt alteri toti, *majus* eſt. Hinc illa axiomata: *I. Totum eſt æquale partibus ſimul ſumptis. II. Totum eſt majus ſua qualibet parte. III. Qualibet pars eſt minor ſuo toto.*

120. Si magnitudo una aliqua comparatur cum altera, innoteſcit, ſitne una alteri æqualis, anne major, an vero minor? Quod ſi in comparatione magnitudo una alias jam nota ſumitur pro unitate, examineque inſtituto, detegitur, quoties ipſa in altera adhucdum ignota contineatur, determinato numero magnitudinem explicare licet. Sumere magnitudinem aliquam pro unitate, ac inquirere, quoties in altera contineatur, eſt *magnitudinem metiri*. Magnitudo ſumpta pro unitate, *Menſura*; magnitudo altera, cum qua comparatio inſtituitur, *Menſuratum* appellatur. Quoniam autem numerus non oritur niſi ex unitatibus iisdem, patet, *menſuram*, & *menſuratum ejuſdem ſpeciei eſſe debere* (§. 115.).

SCH. Exemplis ſuperſedemus, cum iis, qui vel a limine ſalutarunt Matheſim, ſe ſe plurima ultro oblatura ſint.

CA-

„ Oſſibu'; ſic & de pauxillis, atque minutis
„ Viſceribus viſcus gigni: ſanguenque creari
„ Sanguinis inter ſe multis coeuntibu' guttis;
„ Ex aurique putat micis conſiſtere poſſe
„ Aurum, & de terris terram concreſcere parvis:
„ Ignibus ex ignem: humorem ex humoribus eſſe.
„ Cetera conſimili fingit ratione, putatque.
Corporis humani partes heterogeneæ ſunt *oſſa*, *viſcus*, *ſanguis*, *venæ*, *nervi*, &c.

CAPUT VIII.

De Ordine, Veritate, & Perfectione.

121. Simili modo conjunguntur, quorum e. g. ſecundum cum tertio eandem ob rationem conjungitur, ob quam primum cum eodem ſecundo conjungitur. *Similitudo in modo, quo plura conjunguntur, Ordo* appellatur; *illa* vero *ratio, quæ in rerum conjunctione obtinet, Regula* audit.

SCH. Sic e. g. Ordo tribuitur libro, ſi in eo ſingula ita collocantur, ut, quod præbet argumentum probandi, numquam non præcedat illud, quod probari debet. Similiter dicitur ordo haberi in proceſſu quodam, ſi quotquot procedunt, eorum quilibet non niſi unum a latere ſecum procedere patitur; item ſi conſtanter antecedunt, qui digniores reputantur, ſequentibus minus dignis.

122. Itaque inter res ordinatas unaquæque agnoſcit rationem ſufficientem, cur hunc potius, quam alium locum occupet; eſtque hæc ratio apud ſingulas conſtans, ac invariata: quod ſi, ſalva eſſentia rerum, alia ratione loca eorumdem determinari nequeunt, ordo dicitur *neceſſarius*; ſecus *contingens* audit.

SCH. E. g. In triangulo æquilatero quodvis latus ita collocatur, ut angulo 60. graduum opponitur: hic locus autem alia ratione determinari nequit; hinc ordo iſte inter latera trianguli æquilateri eſt neceſſarius. Ex adverſo contingens eſt ordo e. g. inter arbores certa quadam ratione in horto collocatas, quarum utique

que loca alia ratione ſunt determinabilia.

123. Si in conjunctione plurium rerum uni alicui locus tribuitur contra, quam regula præſcribit, in ordine *Defectus* enaſcitur.

SCH. Si e. g., poſita regula, ut libri eodem idiomate conſcripti eodem loco reponantur, libris latino ſermone conſcriptis admiſcetur liber gallico idiomate conſcriptus, defectus in ordine habetur.

124. Non raro ratio, ſeu regula in rebus ordinandis in plures reſolubilis eſt; e. g. in caſu, quo eodem loco reponendi ſunt libri paris magnitudinis, eodem idiomate conſcripti, nec non eodem ævo editi. Ratio hujuſmodi, ſeu regula in plures reſolubilis *compoſita* nuncupatur. Nemo non autem ſine probatione concedet, dum res ſecundum plures regulas ordinandæ offeruntur, earum maxime rationem habendam eſſe, quæ obſervari maxime merentur.

125. Quod ordini opponitur, *Confuſio* vocatur, obtinet nempe illa tunc, cum res conjunguntur abſque eo, ut in conjunctione eadem ratio, ſive regula obſervetur; unde confuſio haud immerito *diſſimilitudo in modo, quo plura conjunguntur*, appellatur. Sic e. g. confuſe collocati dici poſſunt libri, ſi eodem loco repoſiti deprehendantur tum diſparis magnitudinis, tum diverſi idiomatis, & ævi, &c.

126. In rerum veritate nihil exiſtit, quod poſſibile concipi nequeat, itemque quod rationem ſufficientem non habeat, cur actu potius exiſtat, quam non exiſtat, curque hoc loco, ac tempore potius exiſtat, quam alio: itaque quæcumque in rerum veritate vel ſimul ſunt, vel ſibi ſuccedunt, per conſtantem rationem, ſive regulam

vel

vel ſimul ſunt, vel ſibi ſuccedunt; unde intelligimus hic ordinem adeſſe. Quæ in ſomnio alicui objiciuntur tum ut ſimul exiſtentia, tum ut ſibi ſuccedentia, ea partim ceu poſſibilia concipi nequeunt, partim ita comparata ſunt, ut, cur ſimul ſint, vel ſibi ſuccedant, intelligi non poſſit; exulante nimirum ratione ſufficiente, ac regulâ, tum ſimultaneæ, tum ſucceſſivæ rerum objectarum exiſtentiæ: hinc agnoſcimus a ſomnio ordinem abeſſe.

SCH. Veritatem adeo a ſomnio ordo diſtinguit; ſeu ordo diſtinguit ea, quæ re vera ſunt, ab iis, quæ cum eſſe appareant, ſumuntur, tamquam eſſent, cum revera non ſint.

127. Hinc ergo colligimus, veritatem, quæ *tranſcendentalis*, itemque *metaphyſica* ſolet appellari, ipſiſque rebus ineſſe cognoſcitur, conſiſtere in ordine eorum, quæ vel ſimul ſunt, vel ſe ſe invicem conſequuntur; eamque adeo pendere partim ex principio contradictionis, partim ex principio rationis ſufficientis.

SCH. Sublatis his principiis Mundus verus abiret in fabuloſum ſomnio per omnia ſimilem, quod ipſum in Prælectionibus uberius declarabitur. (38)

128.

(38) Sublato contradictionis principio Mundum verum in fabuloſum abire quis non ſentiat? Enimvero ſublato contradictionis principio omnes nutarent veritates. Exiſteret Mundus, & non exiſteret: Sol ſplendeſceret, & non ſplendeſceret: Plantæ germinarent, & non germinarent; Animalia ſentirent, & non ſentirent: Homines cogitarent, & non cogitarent eodem tempore: quibus quid fabuloſius proferri poteſt? Manifeſta pariter res eſt Mundum iſtum fabellæ ſimilem evaſurum, ſi rationis ſufficientis principium a Philoſophia excludatur; ſi enim abſque ſufficiente ratione res fiunt,

128. Quæcumque in quolibet ente vel ſimul ſunt, vel ſe invicem conſequuntur, ſemper, & ceu poſſibilia concipi poſſunt, & rationem ſufficientem agnoſcunt, cur potius ſint, quam non ſint: itaque in quolibet ente datur veritas tranſcendentalis, ſeu QUODLIBET ENS TRANSCENDENTALITER VERUM EST; *ens* quippe *verum* dicitur, *in quo veritas datur*.

SCH. Ens hic abſolute conſideratur, non in comparatione ad cognoſcentem. Nempe dicimus etiam: Maſſa hæc, quam tibi exhibeo, eſt verum argentum; *ubi tamen potius ſpectatur veritas judicii, ſeu logica, quam entis, ſeu metaphyſica, cujus utriuſque diſcrimen hic demum paucis exponere non abs re fuerit. Maſſam oblatam appellamus argentum ex eo, quod tenentes definitionem argenti agnoſcamus, ipſam maſſæ oblatæ convenire; dicique tali caſu poteſt, quod maſſa illa ſit verum argentum, hoc eſt, quod actus judicii, quo memoratam maſſam affirmamus eſſe argentum, ſit verus. En veritatem logicam. Enimvero etſi ponamus a nemine definitionem argenti teneri, in maſſa actu locum habere poterunt, quæ definitionem argenti ingredi debent; unde maſſa illa abſolute erit verum argentum, tametſi nemo illam affirmet eſſe*

---

fiunt, quorſum Sol oritur, & occidit; Planetæ non ruunt in Solem; corpora ſurſum non aſcendunt; plantæ ſtatis temporibus fructus producunt? Immo vero, denegato rationis ſufficientis principio, ſingulis diebus res cunctæ mutarentur, nulla eſſet conſtans naturæ lex, atque

„ E mare primum homines; e terra poſſet oriri
„ Squammigerum genus, & volucres: erumpere cælo
„ Armenta, atque aliæ pecudes: genus omne ferarum
„ Incerto partu culta, ac deſerta teneret:
„ Nec fructus iidem arboribus conſtare ſolerent;
„ Sed mutarentur: ferre omnes omnia poſſent.

eſſe argentum. En veritatem metaphyſicam, ſeu tranſcendentalem. (39)

129. Exulante in rebus veritate transcendentali, veritas logica non habetur. Veritas logica per hoc habetur, quod notio ſubjecto conveniens, exprimens vel definitionem, vel conditionem adjectam, rationem ſufficientem præbeat tribuendi prædicati; unde ipſam in determinabilitate prædicati per notionem ſubjecti conſiſtere docuimus (§. 155. Log.): quod ſi in rebus veritas tranſcendentalis exularet, ſubjectum quodvis ad quævis prædicata indifferens foret, quippe quæ abſque ratione mutari poſſent; atque adeo nec ex definitione, nec ex conditione adjecta demonſtrari poſſet, ſubjecto debere determinatum aliquod prædicatum tribui; ſeu prædicatum per notionem ſubjecti minime determinaretur: conſequenter, exulante veritate tranſcendentali, veritas logica non haberetur.

130. Siqua ad idem aliquod obtinendum tendunt, *conſentire* ea dicimus, *diſſentire* vero dicuntur, quorum unum impedit, quo minus obtinea-

(39) Ens dicitur quoque verum tranſcendentaliter, quatenus illius notio eſt poſſibilis in intellectu. Hinc *Veritas tranſcendentalis* definitur *Conformitas entis cum ſuo exemplari*, ſcilicet cum intellectu divino, a quo præcipue ens quodlibet denominationem ſumit, *quod ſit verum. Veritas entis, quatenus ens ſpectatur ut alicui intellectui repræſentabile*, dicitur *Veritas relativa; id* vero, *vi cujus ens eſt repræſentabile, Veritas abſoluta* nominatur. Veritatem abſolutam derivat Vvolffius ex ordine, qui inter eſſentialia, attributa, & modos ſervatur (ex §§. 50. 59. 61.): ſi namque concipiamus hunc ordinem ab ente tolli, nec eſſentialia, nec attributa, nec modi, atque ideo nec ipſum ens repræſentari ullo modo poterit intellectui etiam divino.

Digitized by Google

tineatur, quod obtinendum eſſet. Ipſe adeo *Conſenſus* eſt *tendentia plurium ad idem aliquod obtinendum*: *Diſſenſus contrarietate tendentiarum ad commune aliquid obtinendum* abſolvitur.

131. *Conſenſus plurium in re una* appellatur *Perfectio*; alias etiam *Bonitas*, eaque *transcendentalis*: *diſſenſus plurium in uno*, *Imperfectio*, alias etiam *Malum* audit.

SCH. E. g. in Horologio adeſt perfectio, quia in ipſo plura deprehenduntur ad id tendentia, ut tempus ſono, vel indice deſignetur. In oculo adeſt imperfectio, ſi quædam in ejus ſtructura occurrant, quæ impediunt, quo minus clara rei propoſitæ repræſentatio obtineatur.

132. In omni ergo perfectione adeſt generalis quædam ratio, ac inde fluens regula, per quam intelligitur, cur in eo, in quo perfectio datur, quodque adeo perfectum ſalutatur, talia, ac tanta potius, quam alia inſint. Speciatim ſi regula fuerit unica, perfectio dicetur *ſimplex*; ſi vero plures extiterint, *compoſita* appellabitur.

SCH. Si e. g. Hortus conſtruitur ſolius voluptatis capiendæ cauſſa, unica ratio, ac regula adeſt talia potius, quam alia horto inſerendi; perfectio itaque horti tali caſu eſt ſimplex: erit autem compoſita, ſi hortus non unius voluptatis, ſed etiam utilitatis percipiendæ cauſſa fuerit conſtructus.

133. In perfectionibus compoſitis regulæ fluunt ex diverſis rationibus, indeque fieri poteſt, ut ipſæ ſibi mutuo repugnent, ſive, ut ajunt, *inter ſe collidantur*; quo equidem caſu ſingulæ obſervari non poterunt, hoc eſt, indiſpenſabiliter *Exceptio* locum habebit: dicitur nempe exceptio *contraria regulæ determinatio ob regularum ſimul obſer-*

ſervandarum colliſionem.

SCH. E. g. fieri facile poterit, ut in conſtruendo horto voluptas percipienda præbeat regulam contrariam illi, quæ ex utilitate percipienda fluit.

134. Hinc autem circa exceptionem jure veniunt ſequentia adnotanda: I. Siquidem *defectus verus* dicatur, *qui evitari poterat*; *defectus apparens* autem, *qui evitari non poteſt*, clarum eſt, *exceptionem nequaquam parere defectum verum, ſed ſolum apparentem*. II. Quoniam imperfectio conſiſtit in diſſenſu plurium, obtinente autem exceptione, adhuc quidam conſenſus plurium locum habet, *exceptio non gignit imperfectionem*. III. In caſu enaſcentis exceptionis regula, quæ ex ratione primaria fluit, præferenda eſt illi, quæ ex ratione ſecundaria proficiſcitur: dicitur autem *ratio primaria, quæ ex determinationibus ſpecificis rei, quam intendimus, deducitur*; *ſecundaria* autem appellatur, *quæ derivatur a determinationibus genericis rei intentæ*.

SCH. Partem ultimam exemplo illuſtramus. Sit conſtruendum Templum: quoniam determinationes ſpecificæ ſunt, ut ſit ædificium aptum rebus divinis faciendis, in caſu emergentis exceptionis, potius accuranda ſunt, quæ eo ſpectant, ut templum ſit ædificium aptum rebus divinis faciendis, quam ut ea obtineantur, quæ aliis ædificiis communia ſunt.

135. Si ex pluribus unum perfectum conſtituitur, partium ſingularum perfectio pendet a ratione perfectionis ipſi toti competentis. E. g. Templum, quatenus eſt ædificium aptum rebus divinis faciendis, eſt unum perfectum conſtans ex multiplicibus partibus, puta feneſtris, porta una, vel pluribus &c.; harum adeo partium

perfectionem dicimus a ratione perfectionis ipſi toti competentis pendere. Scilicet feneſtræ, portæ &c. perfecta erunt in tantum, quod per ea obtineatur ædificium aptum rebus divinis faciendis, aliis rationibus, ob quas forte perfecta dicenda eſſent, hic minime attentis.

136. Bina exinde conſectaria fiunt: I. Ex ratione perfectionis ipſi toti reſpondentis colligi poteſt, quænam regulæ aliis ſint præferendæ in exceptionibus, quas circa partes totum conſtituentes enaſci contigerit. II. De perfectione partium judicaturi, eas ad totum referamus oportet, diſpecturi, quales eæ per rationem perfectionis toti reſpondentis eſſe aut poſſint, aut debeant.

SCH. Exemplum de partibus templi denuo huc facile applicari poterit.

137. Perfectioni ſui ſunt gradus. *Major perfectio* tribuitur illi, quod pluribus regulis, per quas perfectio aliqua explicatur, ſatisfacit; *minor* illi, quod paucioribus ſatisfacere deprehenditur. E. g. magis perfectus cenſetur hortus, ex quo tum voluptas, tum utilitas percipi poteſt; minus perfectus, ex quo unum ſolum ex iis, non item alterum obtinetur.

138. Notio perfectionis hoc loco data nequaquam abhorret a notione bonitatis tranſcendentalis in Scholis alias tradi ſolita; ſolum diſtincte illa exprimit, quod nonniſi confuſe per iſtam innuebatur: etenim cum ens ex hoc bonum ſit dictum, quod habeat ea, quæ ad eſſentiam talis entis, quale ipſum eſt, requiruntur, utique ſupponi debebat, dari aliquid, per quod intelligi poſſit, quænam, aut qualia enti ineſſe debeant,

ſalva

ſalva illius perfectione, hoc eſt, dari rationem aliquam generalem, unde perfectio dijudicatur, id quod nos aperte aſſeruimus. (40)

SECTIO IV.

De Speciebus Entium.

CAPUT I.

De Entis Compoſiti Eſſentia, nonnulliſque Affectionibus.

139. *Compoſitum* appellatur, *quod ex pluribus a ſe invicem diſtinctis conſtat*. Ex quo porro evidens fit, per certam plurium, atque a ſe invicem diſtinctarum partium conjunctionem, ac combinationem fieri, & conſtitui compoſitum, ita ut ubi hæ, vel aliæ partes fuerint, aut hæc, vel alia conjunctio, hoc, vel aliud compoſitum oriatur.

SCH. Exempla compoſitorum præbent quævis, quæ ſenſibus experimur. Sunt compoſita arbor, lapis, aqua, &c.

---

(40) Facilius hæc intelligentur, ſi advertamus, *ens conſideratum, ut id, cui nihil deeſt in ſuo genere*, dici *perfectum*, ſive *bonum*: *perfectiones* enim entis dicuntur ea, *quæ enti conveniunt*, *conſiderata tamen ſigillatim, ut tendentia ad hoc, quod ens ſit id, quod eſt*. Entis autem perfectio a fine præcipue, ad quem illud ens eſt ordinatum, deſumitur. *Imperfectio* tandem, ſive *Malum eſt privatio boni, vel debitæ rectitudinis*.

140. Quoniam ergo id, per quod aliquid in ſuo eſſe conſtituitur, eſſentiæ nomine venit, relinquitur, *eſſentiam compoſiti in certa talium partium combinatione, ac connexione conſiſtere*; atque adeo, qui cognoſcit, quales partes in compoſito ſint, qualique modo ſint connexæ, eum eſſentiam compoſiti intelligere (§. 52.).

SCH. Pulvis pyrius ens compoſitum eſt: qui ergo cognoverit, quibus ille partibus conſtet, ac quali modo illæ conjungantur, eſſentiam pulveris pyrii intelliget.

141. *Ex nihilo* dicitur *aliquid oriri*, ſi exiſtere incipit, cum de iis, ex quibus conſtat, nihil antea actu eſſet: ſimiliter *annihilari* dicitur, ſi ita exiſtere deſinit, ut nihil eorum, ex quibus conſtabat, actu ſuperſit. Sed enim *oriri* ſimpliciter dicimus aliquid, ſi quidpiam exiſtere incipit, cum antea non exiſteret; parique fere ratione ſimpliciter quidpiam *interire* dicimus, ſi exiſtere deſinit, cum prius exiſteret.

SCH. Si e. g. ponimus, quod lignum exiſtere incipiat, ejus materia antea in Univerſo non exiſtente, lignum orietur ex nihilo: dum vero ex nitro, ſulphure, &c. oritur pulvis pyrius, pulvis pyrius non oritur ex nihilo. Non abſimili ratione lignum annihilabitur, ſi ita exiſtere deſierit, ut nihil eorum, ex quibus conſtabat, relinquatur; non autem annihilabitur, ſi igni commiſſum diſſolvatur quidem, partes vero tenues varie diſpergantur, quin ex Univerſo ſimpliciter tollantur.

142. Partes, quæ antea disjunctæ erant, poſſibili quodam modo conjungi poſſunt; unde ens compoſitum conſtituetur, incipietque exiſtere, cum antea nondum exiſteret: igitur COMPOSITA

ORI-

ORIRI POSSUNT CITRA ORTUM REI EX NIHILO. Contra etiam partes actu conjunctæ ſeparari poſſunt; quo caſu compoſitum exiſtere deſinet, etſi partes ita ſeparatæ e medio non tollantur: COMPOSITA proinde ETIAM INTERIRE POSSUNT CITRA REI ANNIHILATIONEM. (41)

143. Hinc colligitur, ORTUS, ATQUE INTERITUS COMPOSITORUM NOTIONEM DISTINCTAM HABERI POSSE. Cum enim compoſita oriantur, ſi prius disjuncta certo modo conjungantur, intereant vero, ſi prius conjuncta ex certa quadam ratione ſeparentur, fieri ſane poterit, ut in primo caſu partes ipſæ compoſitum ingredientes ſingillatim cognoſcantur, moduſque earundem conjunctionis perſpiciatur; nec minus, ut in altero caſu ratio animo comprehendatur, cur partes pri-

(41) Poſſe citra rei annihilationem interire compoſita in morte hominis fatetur Lucretius ipſe *lib. 2. de rer. nat.* Quid enim hæc ſibi aliud volunt?

„ Cedit item retro, de terra quod fuit ante,
„ In terras: & quod miſſum eſt ex ætheris oris
„ Id rurſum Cæli rellatum templa receptant.

Nec aliter de rebus aliis compoſitis ſentit

„ - - - - - - Sed omnes
„ Diſſidio redeunt in corpora materiai.
„ - - - Pereunt imbres, ubi eos pater æther
„ In gremium matris terrai præcipitavit.
„ At nitidæ ſurgunt fruges, ramique vireſcunt
„ Arboribus; creſcunt ipſæ, fætuque gravantur.
„ Hinc alitur porro noſtrum genus, atque ferarum.
„ Hinc lætas vites pueris florere videmus:
„ Frondiferaſque novis avibus canere undique ſilvas.
„ Hinc feſſæ pecudes pingues per pabula læta
„ Corpora deponunt, & candens lacteus humor
„ Uberibus manat diſtentis . . . . .
„ Haud igitur penitus pereunt quæcumque videntur,
„ Quando alid ex alio reficit natura, nec ullam
„ Rem gigni patitur, niſi morte adjutam aliena.

us conjunctæ nunc ſeparentur, atque adeo compoſitum exiſtere deſinat ſeu ſimpliciter intereat: tam ortus ergo, quam interitus compoſitorum notio diſtincta haberi poteſt (§. 45. Log.).

144. *Extenſum* appellamus, *cujus partes ſunt extra ſe invicem in aliquo vero ſenſu, inter ſe tamen unitæ*. Dicitur aliud extenſum *in ordine ad ſe*, ſcilicet, *cujus partes unitæ ſunt actu a ſe invicem diſtinctæ, unaque exigentes occupare locum diverſum ab eo, quem quævis alia ſibi vendicat:* aliud in *ordine ad locum, cujus partes unitæ ſingulæ locum occupant diverſum ab eo, quem quævis alia occupat*. Dicuntur autem quædam *uniri*, cum ita conjunguntur, ut, ſublata pluralitate, unum quid fiant; quemadmodum accidit, ſi duæ, vel plures diſtinctæ partes plumbi liquefactæ unam portionem plumbi conſtituunt.

145. Si in compoſito plura ita conjunguntur, ut, ſublata pluralitate, unum quid fiant, ſalva unione, aliæ diverſæ partes iis interponi nequeunt: compoſitum hujuſmodi appellatur *continuum*.

146. Si in compoſito plura ita conjunguntur, ut ipſa tamen plura maneant, partes compoſiti ſolum *cohærere* dicuntur; quemadmodum in Horologio affabre facto videre eſt: in compoſito, ubi partes ſolum cohærent, nihil obſtat, quo minus his partibus aliæ diverſæ interponi poſſint. Compoſitum, *cujus partibus aliæ diverſæ interponi poſſunt, aut re ipſa interpoſitæ ſunt, Non continuum*, ſive *Interruptum* audit.

147. *Duo extenſa ita conjuncta, ut actu aliud extenſum inter ea non intercedat, ipſa tamen duo permaneant, Contigua* dicuntur. E. g. duo libri ſunt

con-

contigui, ſi ita penes ſe ſtatuuntur, ut nec alius liber, nec aliud quidpiam mediet.

148. Dedimus definitiones extenſi, & continui, alibi demum viſuri, anne, & qua ratione extenſum, ac continuum in ipſis rebus obtinere poſſit? Interim hæc adhuc adnotamus: I. Fit per ſenſuum imbecillitatem, ut continua reputentur, quæ re ipſa continua non ſunt. II. Extenſum vel ſpectatur *in abſtracto*, vel *in concreto*: extenſum in abſtracto ſpectatum, quod eſt Geometriæ objectum, partibus conſtare concipitur nulla qualitatum differentia diſcernibilibus, nullaque determinata magnitudine præditis, conſequenter perfecte ſimilibus: extenſum in concreto, quod Coſmologiæ, ac Phyſicæ contemplationi objicitur, partibus conſtare oſtenditur, quarum quævis ab altera intrinſeco diſcrimine differt. Partium ſimilitudo extenſo in abſtracto talia prædicata conciliat, qualia ab extenſo in concreto partium diſſimilitudo removet, ut clare in doctrina de Corporibus docebitur.

CAPUT II.

De cæteris Entis Compoſiti Affectionibus.

149. EXperientia teſte, plura entia ita exiſtunt, ut dum exiſtit A, etiam exiſtant B, C, D &c.; hujuſmodi *plura entia ſimul exiſtentia* dicuntur *Simultanea*. Non minus experimur, plura ita exiſtere, ut dum actu exiſtit A, actu ſimul non exiſtat B; incipiat autem exiſtere B, poſtea

quam A exiſtere deſiit; ſimiliterque ipſo B exiſtere deſinente, exiſtere incipiat C; ac ita porro: plura *entia*, *quorum quodvis*, *priori deſinente*, *exiſtere incipit*, *Succeſſiva* appellantur.

150. Dum ad ſimultanea attenti obſervamus, eorum loca ita determinata eſſe, ut unumquodque diverſo modo cum cæteris coexiſtat, ideam, ſive notionem *Spatii* nanciſcimur: hinc ſpatium dicitur *Ordo ſimultaneorum*, quatenus ſingula ita collocata ſunt, ut unumquodque a cæteris certo quodam modo diſtet. *Diſtare* nempe dicuntur, inter quæ aliud actu interpoſitum eſt, vel ſaltem, iis immotis, interponi poteſt.

151. Itaque ſpatium *actuale* non datur, niſi ſimultaneis exiſtentibus, perinde ac numerus non datur, niſi exiſtentibus rebus numerabilibus. Interim tamen, ſicut numerum tanquam diverſum quid concipimus a rebus numerabilibus; ita & ordinem ſimultaneorum, quem ſpatium diximus, tanquam diverſum quid a rebus concipere oportet.

152. Spatio actuali opponitur ſpatium *poſſibile*, quod non eſt, niſi *ſpatium in abſtracto conſideratum*, abſolviturque proprie loquendo ipſa non repugnantia, & compatibilitate ſimul extra ſe exiſtendi: inde autem fit, ut communiter ſpatium concipiatur tanquam extenſum ſimilare, indiviſibile, immobile, atque a rebus exiſtentibus penetrabile: cujuſmodi ſpatii notionem imaginariam eſſe ex eo patet, quod talia exhibeat, quæ in ſpatio actuali, & reali locum non habent, ut ex dictis colligitur, magiſque colligetur ex mox adjungendis.

SCH. Notio imaginaria eatenus veræ utiliter ſubſtituitur, quatenus in rebus ipſi aliquid veri reſpon-
det:

det : quoniam ergo, dum non niſi cum rerum extenſarum magnitudine, & motu, dimiſſis cæteris, nobis res eſt, notioni imaginariæ ſpatii aliquid veri reſpondet; conſequens fit, non incongrue quoad hæc notionem imaginariam ſpatii loco veræ ſuſcipi, & retineri, quemadmodum a Mathematicis fieri novimus. Verum enimvero periculo errandi ſeſe exponit, qui notionem imaginariam cum vera confundens ſpatium pro ente reali extra res ſimultaneas exiſtente habet; quo nempe caſu notionem imaginariam ultra eos limites extendit, intra quos veræ vicaria eſſe poteſt.

153. Solemniſſimum hominibus eſt ita loqui: *Mundus præſens eſt creatus, & exiſtit in ſpatio. Si DEUS alium Mundum crearet, crearet in ſpatio. Lapis iſte exiſtit in ſpatio.* Ex quibus modis loquendi evictum nonnulli ajunt, ſpatium a rebus ſeparatum indubitate eſſe admittendum: ſed enim exactius rem expendentes, atque imaginationi curatius temperantes, illos, ſimileſque alios loquendi modos ita demum recte accipi cenſent: *Mundus eſt creatus in ſpatio*, hoc eſt: *Priuſquam Mundus actu crearetur, aderat poſſibilitas, & compatibilitas ſimultaneorum, ex quibus Mundus conſtat. Si DEUS crearet alium Mundum, crearet in ſpatio*, hoc eſt: *Adeſt poſſibilitas, & compatibilitas aliorum ſimultaneorum. Mundus præſens, vel lapis iſte exiſtit in ſpatio*, hoc eſt: *Mundus præſens, vel lapis iſte conſtat ex ſimultaneis certo modo ordinatis.* Unde colligimus illis loquendi formulis non evinci, ut ſpatium tanquam receptaculum quoddam a rebus ſeparatum admittatur.

154. Quoniam ſpatium actuale eſt ordo ſimultaneorum, ſeu rerum ſimul exiſtentium, quatenus ſibi coexiſtunt, in eo partes aliæ admittendæ

dæ non ſunt, niſi quæ per res exiſtentes actu deſignantur: unde a ſpatio actuali excluduntur partes indeterminatæ, & perfecte ſimiles, cum tales exiſtere nequeant: quo rite obſervato, labyrinthus ille de ſpatii, quod inſtar continui permanentis concipitur, infinita diviſibilitate, feliciter evitatur.

155. Dum ſimultaneorum coexiſtentia ita determinata eſt, ut unumquodque diverſo modo a cæteris diſtet, patet, cuivis convenire proprium, ac determinatum modum coexiſtendi cum cæteris, qui nempe aliis actu communis non ſit. *Determinatus modus*, *quo* e. g. *A cum ſimultaneis B*, *C*, *D &c. coexiſtit*, *Locus* appellatur.

SCH. Locum inter, ac ſpatium ſolet hoc diſcrimen aſſignari: in ſpatio plurium ſimultaneorum diverſus modus coexiſtendi cum cæteris concipiendus eſt; unde ſpatium nobis exhibetur tanquam ex multis locis compoſitum: atque adeo notio ſpatii differt a notione loci, ut notio totius a notione partis.

156. Spatium tanquam quid diverſum a rebus exiſtentibus concipere oportet (§. 151.): idem ſtatuendum venit de loco tanquam relatione rei exiſtentis. Ex quo autem porro conficitur: I. Locum cum iis, per quæ res in ſuo eſſe conſtituitur, nihil neceſſariæ connexionis habere, nec eidem quidpiam intrinſecæ mutationis adferre. II. Cur res ſit in hoc, & non in alio loco, ratio minime continetur in ipſo loco, cum alioqui locus vel hoc ipſo rem intrinſece mutaret.

157. Ex eo, quod e. g. A certo, ac determinato modo ab aliis ſimultaneis diſtet, determinatum *Situm* habere dicitur. Quod ſi proinde A, B, C, & D datum quemdam ſitum habeant, & ſitu ipſius

ipſius A mutato, aliud quoddam e. g. M eundem obtineat ſitum, quem antea A habuerat, ſitu ipſorum B, C, & D non mutato, dicendum, quod M eundem locum teneat, quem tenuerat A. Patet exinde, quod M habeat tali caſu eundem modum coexiſtendi cum ſimultaneis, quem habuerat A; conſequenter eundem locum tenet (§. 155.).

158. Si coexiſtunt A, B, C, & D, & ordo coexiſtendi mutatur, ita ut diverſis temporibus diverſus deprehendatur, ratio vero mutationis in A continetur, non item in B, C, & D; A locum ſuum mutat, B autem, C, & D in eodem loco manent. Quippe tali caſu mutatur modus coexiſtendi ipſius A cum ſimultaneis B, C, & D; conſequenter locus (§. 155.).

SCH. E. g. Locum mutaſſe dicitur Planeta, ſi inter eum, & alias fixas modus coexiſtendi diverſus alio tempore deprehenditur, dum tamen ordo coexiſtendi inter fixas idem obſervatur. (42)

159.

---

(42) Quorumdam heic recenſere, & confutare de Spatio, & Loco Philoſophorum opiniones utile tironibus fuerit.

1. Philoſophi, qui putant ſpatium eſſe ſubſtantiam realiter a corporibus diſtinctam, ſpatium dicunt eſſe ſubſtantiam extenſam, interminatam, immobilem, indiviſibilem, penetrabilem. Aliqui ſpatium eſſe dicunt DEUM, ut Morus in Enchirid.; vel DEI immenſitatem, uti Clarkius in Epiſt. ad Leibnitium. P. Scarella tom. 1. Philoſ. gen. pag. 17., & in Ontol. animad. §. 154. propugnat, ſpatium nil aliud eſſe, niſi potentiam extenſa recipiendi, hancque DEO, tamquam illius attributum, ineſſe. P. de Turris Inſtit. Phyſ. Sect. 2. cap. 1. p. 73. ſpatium admittit eſſe ſubſtantiam creatam. Similia docet Muſchembroekius tom. 1. Elem. Phyſ. p. 52. P. Fortunato a Brixia viſum eſt par. 1. Phyſ.

159. Quemadmodum attentione defixa in ſimultaneis, obſervatoque in iis ordine coexiſtendi, notionem ſpatii nanciſcimur, ita attendentes ad

Phyſ. Gen. p. 41., ſpatium eſſe purum nihil.

2. Contra iſtas omnes de Spatio ſententias dicendum modo aliquid. I. Spatium non eſt DEUS, nec DEI attributum: nam ſpatium eſt ſubſtantia extenſa: atqui DEUS ſubſtantia extenſa non eſt, neque in DEO aliquid extenſum locum habere poteſt, cum DEUS ſubſtantia ſit ſimpliciſſima, & hæc extenſa eſſe nequit; quod facile probatur: Omne enim extenſum habet partes (ex §. 144.): quod habet partes eſt diviſibile in partes: quod eſt diviſibile in partes eſt compoſitum: quod eſt compoſitum non eſt ſimplex: nullum ergo extenſum eſt ſimplex: unde convertendo pariter argumentari poſſumus: Quod eſt ſimplex, compoſitum non eſt: quod ergo eſt ſimplex, non eſt extenſum: proindeque ſpatium non eſt DEUS.

3. II. Hanc ſententiam, quæ ſtatuit ſpatium eſſe DEUM, vel DEI attributum, eſſe audentiſſimam, ſolideque a Muſchembroekio rejici, ſcribit Orlandus in Notis ad eumdem pag. 53. tom. 1. Muſchembroekiana argumenta ſunt ejuſmodi. „ 1. Si non dentur corpora, ſpatium non „ videtur abſolute neceſſarium, quantum hucuſque de „ ejus uſu cognovimus; nihil vero in DEO poteſt poni, quod non ſit abſolute neceſſarium. 2. An vero „ in DEO ente actuoſiſſimo, & nullo unquam otio languente, de quo nihil niſi operantia attributa cognoſcimus, dabitur attributum iners, abſque ulla actione, aut intelligentia, ſed mere paſſivum? Id probabile non eſt. 3. An ulli ſpiritus, quos novimus, „ extenſi deprehenduntur? In mente humana nihil ſimile obſervamus: quo jure igitur DEO adſcribetur „ extenſio?

4. Antequam aliorum (Vvolffium excipio) opiniones de ſpatio impugnentur, videndum breviter, quid pro ſua ſententia afferant, qui DEUM eſſe ſpatium autumant, & quomodo iis occurrendum. Argumentatur I. Volterius in Metaph. Nevvtoni: DEUS exiſtit in omni loco, & ſpatio: ergo omnis locus, & ſpatium datur. II.

ad ſucceſſiva, obſervanteſque eorum loca ita determinari, ut unum in ſerie continua alterum conſequatur, notionem *Temporis* formamus. Hinc tem-

II. Si ante Mundi creationem nihil antea erat extenſi, DEUS non erat immenſus. III. Actor. XVII. inquit Ap. Paullus: *In ipſo* (*DEO*) *vivimus*, *movemur*, *&* *ſumus*; & ad Rom. II.: *Ex ipſo*, *&* *per ipſum*, *&* *in ipſo ſunt omnia*. IV. Ex Jobi II. *DEUS* eſt *excelſior cælo*, . . *profundior inferno*, . . *longior terra*, . . *latior mari*.

5. Reſp. ad I. Deus in omni loco exiſtit, non quaſi ipſis rebus corporeis coextendatur, vel ipſa corpora, veluti in vaſe, contineantur in DEO; cum ſumma enim DEI ſimplicitate non convenit iſte præſentiæ modus. DEUS exiſtit in omni loco, quia, inquit S. Thomas 1. p. q. 8. ar. 2. *dat eſſe omnibus locatis*, *quæ replent omnia loca*. *Deus eſt in omnibus rebus*, proſequitur idem S. Doctor, *ut dans eis eſſe*, *&* *virtutem*, *&* *operationem*. Exiſtit igitur in omni loco DEUS, quia corpora ab ipſo ex nihilo creata ſua omnipotentia conſervat, & movet: non vero exiſtit in omni loco DEUS, quaſi diffuſus ſit, ut quidam ſtolide imaginantur, per omnia loca: *incorporalia enim*, inquit S. Thomas, *non ſunt in loco per contactum quantitatis dimenſivæ*, *ſicut corpora*, *ſed per contactum virtutis*. Hinc S. Auguſtinus exponens illa verba Johannis I.: In Mundo erat, et Mundus per ipsum factus est inquit: „ Ne putes, „ quia ſic erat in Mundo, quomodo in Mundo eſt Cælum, in Mundo eſt Sol, Luna, cetera: non ſic iſte „ in Mundo erat: ſed quomodo erat? Quomodo artifex regens, quod fecit . . . Præſentia majeſtatis facit, quod facit: præſentia ſua gubernat, quod fecit. Sic ergo erat in Mundo, quomodo per quem „ Mundus factus eſt: per ipſum enim Mundus factus „ eſt. „ Apertius idem docet S. Gregorius Niſſenus lib. de Anima. „ Quum, inquit, natura intelligibilis fuerit in habitudine ad locum, vel ad rem in loco ſitam, abuſive dicimus, illam ibi eſſe propter operationem ejus, quod ibi eſt, locum pro habitudine, „ & operatione ſumentes: quum enim dicendum eſſet: „ *ibi operatur*, dicimus: *ibi eſt* „. Quid clarius?

6. Ad II. Quum ante Mundi creationem DEUS nulli

tempus dicitur *Ordo ſucceſſivorum*, *quatenus in ſerie continua unum alterum conſequitur*.

160. Itaque etiam tempus *actuale* non datur, niſi

---

li enti daret eſſe, conſequens eſt, DEUM ante Mundi creationem non fuiſſe actu immenſum, ſed tantum virtute, ſicuti non erat creator, ſed potens creare. Duplex immenſitas in DEO eſt diſtinguenda, actualis una, virtualis altera. Actualis ea eſt, qua DEUS eſt præſens per ſuam operationem ad extra omnibus omnino rebus: ea vero virtualis, qua DEUS poteſt creaturas producere. Hinc S. Thomas in I. Sent Diſ. 37. q. 2. ar. 3. quærens, *utrum eſſe ubique conveniat DEO ab æterno?* negantem tuetur ſententiam, duaſque affert rationes, quarum primam his verbis exponit: „ In „ quocumque eſt aliquid, illud oportet eſſe, quia in „ nihilo nihil omnino eſt: ſed neque locus, neque a- „ liqua res ab æterno fuerunt: ergo neque DEO ab „ æterno convenit ubique, ſeu in rebus eſſe „. Alteram vero ita exponit rationem: „ Quum dicitur: „ DEUS eſt ubique, importatur quædam relatio DEI ad „ creaturam fundata ſuper aliquam operationem, per „ quam DEUS in rebus dicitur: omnis autem relatio, „ quæ fundatur ſuper aliquam relationem in creaturas „ procedentem, non dicitur de DEO, niſi ex tempore, „ ſicut Dominus, & Creator, & hujuſmodi; quia „ hujuſmodi relationes actuales ſunt, & exigunt actu „ eſſe utrumque extremorum: ſicut ergo non dicitur: „ operari in rebus ab æterno; ita nec eſſe in rebus, „ quia hoc operationes ipſius deſignat „.

7. Ad III. *In DEO vivimus*, *movemur*, *& ſumus*; non quaſi in ipſa DEI ſubſtantia ſiti ſimus, ejuſque ſimus pars, uti quidam ſtolide imaginati ſunt, ait S. Cyrillus *lib. 9. in Johan. cap.* 40.; ſed 1. *in ipſo*, ideſt per ipſum: 2. vivimus, movemur, & ſumus in DEO, quatenus in DEI dominio, & juriſdictione vivimus. Unde S. Auguſt. in illud Matth. VI. Pater noster &c.: „ DEUS, inquit, eſt in ſe ipſo, ſicut *alpha*, & *omega*: „ in Mundo, ſicut rector, & auctor: in Angelis, ſi- „ cut ſapor, & decor: in Eccleſia, ſicut paterfamilias „ in domo: in Animo, ſicut ſponſus in thalamo: in „ Ju-

niſi exiſtentibus ſucceſſivis, a quibus tamen illud tanquam diverſum quid concipere oportet, non ſecus, ac de ſpatio, facta comparatione cum numero,

„ Juſtis, ſicut adjutor, & protector: in Reprobis, ſicut pavor, & horror „. Nec diverſo modo intelligendus eſt S. Paullus Rom. XI.: „ Ex ipſo, ſcilicet, „ ut primo effectore, omnia eſſe acceperunt: per ipſum „ quaſi directorem omnia diſponuntur, diriguntur, „ perficiuntur: in ipſo, hoc eſt, ejus virtute omnia „ conſervantur, durant, operantur „ inquit Cornelius a Lapide in hunc locum.

8. Ad IV. „ Dicendum, quod Sacra Scriptura, ait S. Thomas 1. p. q. 3. ar. 1. ad 1. „ tradit nobis ſpiritualia, & divina ſub ſimilitudinibus corporalium: „ unde cum trinam dimenſionem DEO attribuit ſub ſimilitudine quantitatis corporeæ, quantitatem virtualem ipſius deſignat; utpote per profunditatem, „ virtutem ad cognoſcendum occulta; per altitudinem, „ excellentiam virtutis ſuper omnia, per longitudinem, „ durationem ſui eſſe; per latitudinem, affectum dilectionis ad omnia „.

9. Scrutemur modo P. Scarellæ ſententiam. Ea imprimis DEO indigna eſt: nam ſecundum Scarellianam opinionem divinæ eſſentiæ actuoſiſſimæ, ſimpliciſſimæ, perfectiſſimæ attributum corporum omnium paſſivus eſt locus, quod qui de Deo, ex laudato Muſchenbroekio, ſentit, male ſentit. Deinde hæc extenſa recipiendi potentia, quæ DEI eſt attributum, vel extenſa recipit, quatenus ei extenſa commenſurantur, vel extenſa recipit, quin hæc ei commenſurentur. Si primum: attributum ergo DEI eſt extenſum, compoſitum, corporeum, quod abſurdum eſſe ſupra probavimus. Si ſecundum: quomodo extenſa corpora in hac potentia recipiuntur? Fortene in ente ſimplici recipi poteſt, tamquam in vaſe, ens compoſitum; in ente incorporeo corpus; in ente ſpirituali corporale? Quis annuat? Hinc S. Thomas laudato loco docet, entia omnia creata DEO eſſe præſentia, quatenus omnia a DEO recipiunt eſſe; non vero quaſi creaturæ in DEO, tamquam in vaſe, continerentur.

„ Mul-

mero, & rebus numerabilibus docuimus (§. 151.)

161. Tempori actuali pariter opponitur *poſſibile*, ſive *tempus in abſtracto ſumptum* denotans poſſibilita-

„ Multaque præterea tibi poſſum commemorando
„ Argumenta, fidem dictis conradere noſtris.
„ Verum animo ſatis hæc veſtigia parva ſagaci
„ Sunt, per quæ poſſis cognoſcere cetera tute.

10. At audiamus P. Scarellam ſic pro ſua opinione argumentantem. „ Ab aliis etiam inſinuatum eſt, inter duos cubiculi inanis parietes eſſe potentiam recipiendi extenſa, dum affirmarunt poſſe rurſus introduci ea corpora, quæ hinc educta fuerunt. Verum quia ubinam eadem eſſet, & in quo ſubjecto inhæreret, non docuerunt, nihil proficere, & rem aliis perſuadere non potuerunt. Itaque ajo, hanc potentiam recipiendi extenſa non eſſe quidem in aliquo creato ſubjecto, quod ibi nullum eſſe ponitur, ſed in increato, ſcilicet DEO, ſive eſt DEI attributum, illud ſcilicet, quod Immenſitas appellatur. quod & efficaci ratione conficitur, & in nullas difficultates incurrit; ſiquidem primo poſſibilitas recipiendi extenſa eſt, ut paullo ante docui, potentia quædam poſitiva; ſtatus enim potentiæ pendet a ſtatu actus, ad quem refertur; receptio vero corporum eſt actus, qui habet aliquid poſitivi: ergo hæc potentia recipiendi extenſa ipſa ſit aliquod poſitivum neceſſe eſt. Deinde hæc poſſibilitas ipſa per ſe eſſe non poteſt; nam id, quod ipſum per ſe eſt, actu, & reipſa eſt; quod autem actu eſt, nequit eſſe tantum poſſibile; nec poſſibilitas modi, ut eſt corporum receptio, eſſe quit primum cujuſdam rei attributum, ſed dumtaxat ſecundum, quod aliud deſiderat ante ſe, quodque ab eodem proficiſcitur. Quare cum potentia recipiendi extenſa ſit ex altera parte poſitiva, ex altera ipſa per ſe conſtare nequeat, in aliqua ſubſtantia, quæ eſt aliquod poſitivum per ſe ipſum conſtare potens, reperiatur, neceſſe eſt; hæc autem ſubſtantia nequit eſſe niſi DEUS, qui ſolus per immenſitatem inter illos duos parietes eſſe quit „.

11. Reſp. Spatium duobus cubiculi parietibus incluſum

litatem ordinis, quo ſucceſſiva ſe in continua ſerie conſequi poſſunt. Ex quo autem occaſionem deſumunt formandi notionem imaginariam

ſum finitum eſt: ſi ergo hoc ſpatium dicatur immenſitas DEI, hæc finitis limitibus circumſcribitur. 2. Hæc potentia recipiendi corpora DEI attributum eſſe nequit: ex doctrina enim S. Thomæ, quam merito venerantur Theologi, DEUS rebus eſt præſens, quatenus ipſis dat eſſe: ſi DEUS ergo expanſus eſt per ſpatium inter cubiculi parietes contentum, DEUS ibi dat eſſe alicui rei: at hæc res vel extenſa eſt, vel inextenſa: ſi inextenſa, cur ſupponere non poſſumus, nec iſtam quidem a DEO creari? Si extenſa: ergo perfectum vacuum non habetur contra hypotheſim. 3. Rogandus venit P. Scarella, ut nobis exponat, quid de DEI præſentia ſentiat in ſpatiis imaginariis? In Ontologia loc. cit. aperte ipſe fatetur, ſe illorum explodere opinionem, qui DEUM eſſe per illa ſpatia diffuſum aſſerunt, quæ ultra Mundi fines imaginantur nonnulli. Optime. Attamen ultra Mundi fines potentia datur corpora recipiendi; DEUS enim poſſet ibi corpora creare: quomodo ergo non eſt DEUS ſpatiis illis imaginariis præſens? 4. Iſthæc corpora recipiendi potentia, utpote DEI attributum, eſt æterna; at ſpatium cæpit eſſe cum Mundo: *Nos dicimus*, inquit S. Thomas 1. p. q. 46. ar. 1. ad 4., *non fuiſſe locum, aut ſpatium ante Mundum*. 5. Latet ambiguitas in argumento ſcarelliano, quo probatur, potentiam recipiendi corpora eſſe aliquid poſitivi: nam quemadmodum receptio corporum videtur actus poſitivus, ita creatio eſt aliquod poſitivum: ſi ergo potentia recipiendi corpora eſt aliquod poſitivum, multo magis aliquid erit poſitivi poſſibilitas rerum: atqui rerum poſſibilitas abſtracte conſiderata non eſt aliquod poſitivum, quum ſit mera non repugnantia ad eſſe (ex §. 24.): ergo neque potentia recipiendi corpora aliquid eſt poſitivum. Potentia igitur recipiendi corpora, quæ inter duos cubiculi inanis parietes diffuſa concipitur, nihil eſt aliud, quam non repugnantia corporum inter cubiculi parietes: neque proprie corpora rurſus introducta, quæ hinc educta fuerunt, recipiuntur in illa potentia; ſed corpora ponuntur, quæ an-

ipſius temporis realis, & actualis, vi cujus nempe tempus concipitur tanquam ens compoſitum ex partibus ſucceſſivis continuis, ſimilaribus, a rebus

---

antea non erant, uti recte docet A. noſter §. 153. Conqueri hinc jure non poteſt P. Scarella, ſi a Philoſophiæ Profeſſore Alberoniani Collegii S. Lazari ſuam de ſpatio opinationem repudiatam vidit in Concluſ. Philoſoph. an. 1759.

12. Ad eorum modo deveniamus ſententiam, qui ſpatium putant eſſe ſubſtantiam creatam infinitam. Hæc poſſunt contra hanc opinionem opponi. 1. Subſtantia creata eſt finita, & determinata (ex §. 213.): ſpatium ergo infinita non eſt ſubſtantia. 2. Subſtantia extenſa, & indiviſibilis eſt ens imaginarium, ut ex cenſura primæ opinionis conſtat. 3. Hæc ſubſtantia creata extenſa ubi eſt? Num in alio ſpatio? Ergo datur ſpatium ſpatii in infinitum. Si vero hoc ſpatium dicatur eſſe nullibi: & quorſum corpora in alio, tamquam in vaſe, debent eſſe contenta? 4. „ Si creatum „ ſpatium ſtatuatur, quidni etiam & in nihilum abi„ re poterit? inquit P. Orlandus in notis ad Mu„ ſchemb. Abeat itaque divina virtute ſimul cum con„ tentis corporibus in nihilum; adhuc tamen ab uno „ illius ſpatii puncto ad oppoſitum ſuperſtes percipitur „ diſtantia; tum variæ dimenſiones: igitur vel non „ erit annihilatum ſpatium, contra hypotheſim, vel „ ſpatium ſpatii dari oportebit „. 5. Si creatum eſt ſpatium, quibus argumentis reipſa infinitum creatum eſſe tuto adfirmatur? „ Nobis notus illius finis, ut „ nempe capiat corpora, eaque in illo moveantur, „ ejuſmodi infinitatem non certe exigit; de ignotis „ vero finibus, exigant, necne ſpatii infinitatem, quic„ quam affirmare, præciſa ipſiuſmet conditoris revela„ tione, temerarium eſt „ inquit laudatus Orlandus.

13. Et voculam addamus contra P. Fortunatum. Definitio entis imaginarii (ex §. 45.) nulli melius convenire poteſt, quam ſpatio Fortunatiano; quod plane ad explodendam Fortunati opinionem ſufficit.

14. Solvamus objecta. P. de Turris proponit ſequentia. „ Finge, inquit, extenſionem limitatam, & in ea

rebus ipſis ſeparatum, cui eædem coexiſtunt; quam notionem re ipſa eſſe imaginariam, cognoſcimus ex iis, quæ de tempore actuali (§. præc.

H 2 &

„ ea moveri hominem, uſque dum perveniat ad ejus „ extremam ſuperficiem. Quæro num hic homo ultra „ eam extendere poſſit, & quaquaverſum movere bra- „ chium? Hoc utique concedendum eſt: nam nulla „ extra extenſionem datur reſiſtentia, quæ id impe- „ diat ... Si itaque protendere, & movere poſſet lo- „ cali motu brachium, in quo illud moveret? In ni- „ hilo, aut in ſe ipſo, aut in alia extenſione. Non „ primum: tunc enim brachium in nihilo eſſet; nem- „ pe ſimplici motu locali in nihilum abiret; quod eſt „ abſurdum... Si brachium in ſe ipſo moveretur, jam „ rotaretur circa ſe ipſum contra hypotheſim, qua „ ſupponimus moveri motu locali. Supereſt igitur, ut „ in alia extenſione moveatur. Quare extenſionem li- „ mitatam concipere eſt impoſſibile „. Idem argumentum jam expoſuerat Lucretius *lib. I. de rer. nat.* hoc modo.

„ Præterea ſi jam finitum conſtituatur
„ Omne quod eſt ſpatium; ſiquis procurrat ad oras
„ Ultimus extremas, jaciatque volatile telum;
„ Id validis utrum contortum viribus ire,
„ Quo fuerit miſſum, mavis, longeque volare:
„ An prohibere aliquid cenſes, obſtareque poſſe?
„ Alterutrum fatearis enim, ſumaſque, neceſſe eſt.
„ Quorum utrumque tibi effugium præcludit: & omne
„ Cogit, ut exempta concedas fine patere:
„ Nam ſive eſt aliquid, quod prohibet, officiatque
„ Quo minu', quo miſſum eſt, veniat, finique locet ſe,
„ Sive foras fertur: non eſt ea fini' profecto.
„ Hoc pacto ſequar; atque oras ubicumque locaris
„ Extremas quæram, quid telo denique fiat:
„ Fiet uti nuſquam poſſit conſiſtere finis,
„ Effugiumque fugæ prolatet copia ſemper.

15. „ Extenſionem a DEO creatam fuiſſe abſque ullis limitibus, ulterius evincere poſſumus, proſequi- „ tur laudatus Auctor, ſi ad DEI immenſitatem at- „ tendamus. Quum enim ſupremus rerum Auctor li- „ bere

& §. 153.) adducta ſunt, magiſque cognoſcemus ex his, quæ mox adjungemus. Vi notionis hujus imaginariæ habetur, ut tempus repræſentetur

„ bere ab æterno ſtatuiſſet extra ſe ipſum in tempore „ operari; nempe hanc rerum univerſitatem creare „ maxime decuit, ut prima ea ſubſtantia compoſita, „ quam e nihilo eduxit, & quæ futura erat, ut ita „ dicam, amplus ille campus, in quo extrinſecus ope- „ raretur, correſponderet ejus immenſitati, ſeu infi- „ nitæ potentiæ operandi, quod aliter intelligi nequit, „ niſi ſpatium hoc, in quo extrinſecus agit DEUS, ſta- „ tuatur illimitatum. Hoc idem etiam conſtat, ſi re- „ ſpiciamus DEI potentiam, & tempus, quo Mun- „ dum creavit.

16. Reſp. ad 1. Vel homo ille in extrema Mundi ſuperficie conſtitutus eſſet pars hujus Mundi, vel non eſſet. Si primum, jam patet (ex §. 158.), hominem illum (conſequenter & brachium) poſſe motu locali moveri: eſſet enim in loco reali. Si autem pars hujus Mundi non eſſet homo ille, aut brachium, tunc novum Mundum componeret. Si quæras, num poſſet homo ille, qui ſolus Mundum integrum componit, localiter moveri? duo ſunt ponenda, ut hujuſce modi quæſtioni fiat ſatis. 1. Motum localem corporis a nobis intelligi non poſſe, niſi centrum motus determinetur, a quo corpore recedente, vel ad quod accedente, vel circa quod rotante, nobis indicetur motus. 2. Motum omnem localem vel eſſe ſurſum, vel deorſum, vel horizontaliter, vel ad dexteram, vel ad ſiniſtram. Hiſce poſitis peto ab adverſario: datur ne centrum motus brachii? Eſtne motus ſurſum, vel deorſum, vel ad dexteram, vel ad ſiniſtram? Si motus hujuſce datur centrum, aliæque habentur conditiones, præter illum hominem alia jam habentur corpora: hoc autem ſuppoſito, quid mirum, poſſe hominem movere brachium. Si autem motus brachii nullum datur centrum, aliæque motus conditiones deſiderantur, nullum motum eſſe poſſibilem, fit manifeſtum.

17. Præterea ſi fiat hypotheſis, unum tantum dari corpus, hoc corpus erit ubique per accidens, ut loqui-

tur per lineam rectam, quæ continuo fluxu puncti generatur.

162. Quatenus res quædam e. g. A coexiſtit

H 3 plu-

quitur S. Thomas 1. p. q. 8. art. 4. in c.: atqui corpus, quod eſt ubique non poteſt moveri; nec enim poteſt mutare locum: ergo &c.

18. Neque brachium abiret in nihilum, ut ajebat P. de Turris; nam non eſſet brachium in nihilo, ſed in ſe ipſo, & in loco reali (ex §. 155.):

„ Nec rerum locus a rebus mage diſcrepat, ipſa
„ Quam moles: ſuus ergo ſibi ſunt corpora fundus:
„ Reſpectus, non res, ſpatium eſt ...

inquit Emin. Polignaccus lib. II. Antilucret. v. 583., & ſeq. Atque hinc patet reſponſio ad Lucretii argumentum: telum enim ab oris extremis Mundi ejaculatum, ceſſante vi impreſſa, ob gravitatem contra nitentem, unde fuerat miſſum, rediret abs aliis corporibus attractum, quod in Phyſica ulterius patebit. Verum quid multa? Et brachium pars eſt corporis alicujus hominis; & telum ab aliquo ſagittario vibratur: etſi ergo homo extendens brachium, vel ſagittam emittens ſolitarius ſupponatur, intelligi nihilominus poteſt, & moveri ſagittam recedendo a ſagittante, & moveri brachium reſpectu aliarum corporis illius partium, cujus pars eſt ipſum brachium.

19. Reſp. ad 2. Ex quo DEUS ſit immenſus, ſpatium eſſe debere infinitum, non ſequitur: nam amplitudini divinæ potentiæ non correſpondet reale ſpatium, ſed ejus liberimæ voluntati, uti ex dictis conſtat, uberiuſque in Theolog. Nat. patebit.

20. Reſp. ad 3. Si infinitum foret dicendum ſpatium, quia potentia eſt infinita, & infinite parvo tempore fuit ſpatium creatum, jam & Animæ noſtræ infinitæ eſſent; ab infinita enim producuntur omnipotentia, & tempore certe non magno. Adde (ex §. 163.), operationes DEI, uti etiam docent Theologi, non menſurari tempore: DEUS ergo non creavit ſpatium tempore infinite parvo. Concludamus ergo, ſpatium nec DEUM eſſe, nec divinum attributum, ſpatium non eſſe ſubſtantiam creatam, nec nihil exiſtens; ſed eſſe juxta Auctoris mentem ordinem corporum, quatenus

ſimul

pluribus ſucceſſivis, ordine ſe conſequentibus, *durare* dicitur; hinc *duratio* diſtinċte explicari poteſt per *exiſtentias rerum ſucceſſivarum*; ut ſit, dum dura-

---

ſimul certo ordine coexiſtunt:
„ Id quod jam ſupra tibi paullo oſtendimus ante.
21. Eulerus nobilis Philoſophus, cui ſane quem anteponam neſcio, inquit elegantiſſimus, eruditiſſimuſque Auctor Comment. Acad. Bonon. tom. III. p. 100., quæſtionem hanc in Berolinenſis Acad. Actis an. 1748. docte explicat, & populo favet, vulgaremque non vulgaribus argumentis tuetur opinionem. Hoc urget imprimis. Quomodocumque ſint corpora in natura, oportet certe in iis eſſe aliquid, quod probatiſſimo cuique Mechanicorum pronuntiato reſpondeat: non enim vera eſſent hæc pronuntiata, nec probarentur, niſi quid eſſet in corporibus ipſis, quod illis reſponderet. Illud autem pronuntiant Mechanici, & habent quaſi primum, nullum corpus quieſcens cedere loco poſſe, niſi ſi extrinſecus vis aliqua illi adveniat. Quid porro pronuntiato huic reſpondere in corporibus ipſis poterit, ſi ſpatium in natura ſit nullum? Etenim ſi ſpatium in natura ſit nullum, quid aliud eſt locus, niſi diſtantia, quam propter aliarum rerum interpoſitionem corpus obtinet ab aliis corporibus? Moveri autem nihil eſt aliud, niſi hanc diſtantiam mutari. Annon ergo mutari diſtantia iſta poteſt, etiamſi vis nulla corpori, cujus diſtantia mutatur, adveniat? Fac enim corpus A certam habere diſtantiam a corpore B: fac etiam vim quamdam afferri corpori B, ut recedat ab A; annon hoc ipſo mutabitur diſtantia corporis A? Movebitur ergo corpus A, adveniente ipſi vi nulla. Quid ergo ſibi volunt Mechanici, cum illud pronuntiant, corpus nullum moveri loco poſſe, niſi ſi vis aliqua illi adveniat? Quæ erit ſententia his vocibus ſubjicienda? Sic fere argumentatur Eulerus.
22. Reſp. Nullum corpus mutare continuo, & ſucceſſive ordinem ad coexiſtentia, cujus mutationis in corpore ipſo ſufficiens ratio contineatur, niſi quæpiam illi vis extrinſecus adveniat. Hic Mechanicorum eſt ſenſus. Atque hinc intelligitur, cur inter A, & B poſ-

durationem prandii, lectionis, ſcriptionis explicamus per exiſtentias ſucceſſivarum oſcillationum penduli, vel progreſſionum, aut revolutionum indicis in Horologio. (43)

163. *Durare* nequaquam pro eodem accipiendum eſt, ac *exiſtere in tempore*. Quid ſibi velit durare, jam expoſuimus: exiſtere in tempore id demum dici debet, in quo ſucceſſiones locum ſibi vendicant, ſive in quo, deſinentibus aliis, alia certo ordine incipiunt, quodque adeo mutationibus obnoxium eſt: unde de DEO dici nequit, eum exiſtère in tempore; dici tamen poteſt de quovis ente limitato. (44)

164. Circa tempus actuale idem venit adnotandum, quod circa ſpatium (§. 153.) adnotavimus; in eo ſcilicet partes alias non admitten-

---

poſſit diſtantia mutari, quin moveatur A; quum poſſit hæc mutatio in B rationem habere ſufficientem, ut §. 158. jam obſervavit Auctor. Atque de ſpatio heic ſatis.

(43) Triplex eſt ex S. Thoma 1. *p. q.* 10. *art.* 5. *in cor.* Duratio: ſcilicet *Æternitas*, *Ævum*, & *Tempus*. *Permanentia in eſſe omnino invariabili*, vocatur æternitas; & DEO tantum hæc convenit duratio. *Rerum, quæ perpetuæ mutationi ſubjacent, duratio*, dicitur tempus. *Rerum* tandem *duratio, quæ nec invariabiles ſunt omnino, nec omnino variabiles*, ideſt quæ invariabiles ſunt in ſubſtantia, & variabiles in modis, vocatur ævum. Hæc duratio competit Angelis, & Animabus humanis.

(44) Jure hinc dicitur, quod

„ Tempus item per ſe non eſt: ſed rebus ab ipſis
„ Conſequitur ſenſus, tranſactum quid ſit in ævo;
„ Tum quæ res inſtet; quid porro deinde ſequatur:
„ Nec per ſe quemquam tempus ſentire fatendum eſt
„ Semotum ab rerum motu, placidaque quiete...
„ Denique materies ſi rerum nulla fuiſſet,
„ Nec locus, ac ſpatium, res in quo quæque geruntur.

das eſſe, quam quæ per exiſtentias ſucceſſivorum deſignantur: unde difficultas de infinita diviſibilitate temporis, quod inſtar continui ſucceſſivi concipitur, ſubmovetur.

165. Exinde porro, quod partes temporis actualis illæ ſint, quæ per exiſtentias ſucceſſivorum deſignantur, intelligere datur, omne tempus vel eſſe *præſens*, vel *præteritum*, vel *futurum*: præſens nempe eſt, *quod deſignatur per exiſtentiam rei actu præſentis*; præteritum, *quod deſignatur per exiſtentiam rerum, quæ eſſe deſierunt*; ac futurum demum, *quod deſignatur per exiſtentias rerum extiturarum*. (45).

166. *Continua loci mutatio*, *Motus* vocatur; *perſeverantia* vero *in eodem loco*, *Quies*; illud demum, *quod locum ſuum mutat*, ſeu movetur, *Mobile* dicitur.

167. Expoſitis notionibus ſpatii, loci, temporis, & motus, haud difficulter intelligere poterimus, entibus compoſitis ſequentes affectiones convenire: I. QUODVIS ENS COMPOSITUM REALE CONNATURALITER SPATIUM REPLET. Etenim ſpatium replere id dicimus, quod conſtat ex partibus actu certo ordine inter ſe diſtantibus: quodvis ens compoſitum reale conſtat ex partibus actu diſtinctis, quarum unaquæque exigit diverſum locum occupare ab eo, quem aliæ partes occupant,

(45) Motus *communis* eſt, *quo, dum duo, vel plura feruntur mobilia, ſuas ea non mutant diſtantias*. Motus *proprius* cuique mobilium is eſſe dicitur, *quo, dum mobilia feruntur, quæ communi aliquo motu gaudent, ſuas inter ſe mutant diſtantias*. Motus *abſolutus* habetur, *dum corpus continuo, & ſucceſſive mutat ordinem ad immobiliter coexiſtentia*. Hinc *ſi mutat corpus ordinem ad puncta, quæ ipſa quoque moveantur*, motus dicitur *relativus*.

pant, cui exigentiæ connaturaliter ſatisfit; conſequenter quodvis ens compoſitum reale connaturaliter conſtat ex partibus actu certo ordine inter ſe diſtantibus: itaque ſpatium replet. Enimvero actio miraculoſa DEI exigentiam illam partium certo ordine diſtandi vincere poteſt; quo caſu compoſitum actu ſpatium non replebit.

SCH. Quoniam attentione adhibita facile diſpicere poſſumus, replere ſpatium *idem innuere*, *ac* eſſe localiter extenſum; *patet*, *hanc propoſitionem more aliorum. ſic efferri poſſe*: Quodvis ens compoſitum reale connaturaliter eſt extenſum quoad locum, licet per miraculum poſſit non eſſe. (46)

168. II. Compoſita realia conſtant ex partibus, quarum quælibet exigit occupare locum diverſum ab eo, quem alia quævis occupat: hinc etiam ipſum quodvis compoſitum exigit occupare locum diverſum ab eo, quem aliud quodvis compoſitum occupat, cui exigentiæ connaturaliter ſatisfit; licet ipſa per actionem miraculoſam DEI vinci poſſit: itaque inde concluditur: DUO VEL PLURA COMPOSITA CONNATURALITER EUNDEM LOCUM NON OCCUPARE, LICET PER MIRACULUM OCCUPARE POSSINT.

SCH. Alii dicunt: Compoſitum quodvis connaturaliter eſſe impenetrabile: *impenetrabile enim appellatur*, quod alterum ab eodem loco excludit.

169. III. Compoſita, quatenus localiter extenſa, conſtant determinata partium certo ordine extra ſe exiſtentium, attamen unitarum, vel cohærentium multitudine, conſequenter determina-

ta

(46) Negant Carteſiani aliqui, eumdem poſſe locum duo corpora occupare etiam per miraculum. Verum de hac re opportunius alibi.

ta magnitudine gaudent (§. 118.); hæc omnino eadem eſt cum magnitudine determinatæ partis ſpatii imaginarii, cum qua penetrari, & congruere concipitur: unde fit, ut ſicut ſpatium imaginarium inſtar extenſi uniformis continui concipitur, etiam MAGNITUDO ENTIS CUJUSVIS COMPOSITI INSTAR EXTENSI UNIFORMIS CONCIPIATUR.

170. IV. Quod determinata gaudet magnitudine, menſurari, itemque augeri, vel minui poteſt: itaque etiam ENS COMPOSITUM MENSURABILE EST (§. 120.), poteſtque majus, vel minus fieri; ſi nempe partes quædam illi, vel additæ, vel demptæ fuerint.

SCH. Exempla quotidiana ſuppetunt, quibus obſervamus entia compoſita nunc majora, nunc minora fieri, ubi etiam nunquam non majorem, vel minorem partem ſpatii imaginarii ab iis repleri cenſemus.

171. V. Cum partes, ex quibus compoſitum conſtat, ſeparantur, ſeu ex loco ſuo moventur, *dividi* ipſum dicitur. Enimvero in compoſito quovis pars quælibet pro eo, quem actu occupat, alium locum occupare poteſt (§. 155.), conſequenter ex ſuo moveri: hinc relinquitur, ENS COMPOSITUM ESSE DIVISIBILE.

172. *Ordinem partium extimarum, quibus compoſitum, quatenus extenſum, conſtat, Figuram* appellamus. Hanc ESSE MUTABILEM, ex eo conficimus, quod compoſito partes tum addi, tum demi (§. 170.), tum etiam in ipſo tranſponi (§. præc.) poſſint: jam vero tam additione, quam ablatione, & tranſpoſitione partium futurum eſt, ut figura mutetur: proindeque &c.

CA-

CAPUT III.

De Ente Simplici.

173. Quodlibet eſt, vel non eſt (§. 13.): itaque quodlibet ens vel partes habet, ex quibus conſtituitur, vel nullas habet: ens, *quod conſtituitur ex partibus*, diximus *compoſitum*, (§. 139.): ens, *quod caret partibus*, *ſimplex* appellamus.

SCH. Simplex *ergo nobis ſtricte opponitur* compoſito, *ut dicere liceat ſimplex, quod compoſitum non eſt; quæ quidem notio ſimplicis ita nova, ac recens non eſt, ut non potius pridem recepta fuerit. Pridem ſcilicet hoc ſenſu in Scholis entia ſimplicia dicta* DEUS, Angeli, Animæ humanæ: *tametſi per inconſtantiam loquendi vox* ſimplicis *etiam ſoleat adhiberi ad indigitandum aliquid minus compoſitum, ut dum miſcibilia, ex quibus oritur mixtum*, ſimplicia; *ipſum autem mixtum*, compoſitum *ſalutantur. Sunt, qui ſimplex poſteriori ſenſu ſumptum* phyſicum, *priori vero acceptum* metaphyſicum *nominant. Nos, vitandæ confuſionis cauſſa, voce hac* ſimplicis *tantummodo indigitabimus ens partibus carens.*

174. Quoniam ſimplex compoſito opponitur, ſeu compoſitum non eſt, quæ compoſito vi definitionis, ſive eſſentiæ tribuuntur, ea ſimplici tribuere non licet: contra ſatis manifeſtum eſſe debet, ea, quæ compoſito vi definitionis ipſius tribuuntur, a ſimplici removenda eſſe.

175. Itaque nominatim ens ſimplex neque extenſum, neque diviſibile, neque præditum magnitudine, & figura, neque replens ſpatium di-

ci poteſt: quippe quorum prædicatorum ratio ſufficiens non niſi ex entis compoſiti definitione repetitur: atque vel exinde jam ſatis etiam diſcimus, ens ſimplex compoſito nequaquam ita ſubſtitui poſſe, ut manifeſte mutatio non obſervetur; conſequenter ens ſimplex a compoſito prorſus diverſum eſſe. (47)

176. DEUM, Animaſque humanas eſſe entia partibus, quarum una in ſenſu vero extra alteram eſſe exigat, carentia, ut pridem docuerunt alii, ita & nos locis ſuis docebimus: igitur DANTUR ENTIA SIMPLICIA in ſenſu noſtro? Ita equidem. Id quod an non ita interim etiam recte ſtabilitur: *Dantur entia compoſita: ergo etiam ſimplicia?* En probationem, qua hoc ipſum firmari ſolet: Si dantur entia compoſita, dantur entia, quæ ex partibus inter ſe diſtinctis conſtant (§. 139.): hæ partes quibus entia compoſita conſtant, aut ſunt rurſus entia compoſita, aut ſimplicia: ſi ſunt compoſita, ſuis iterum conſtant ex partibus, de quibus denuo quæritur, num ſint entia compoſita, num vero ſimplicia; & ſic por-

(47) Mobilia eſſe, & in loco entia ſimplicia, docet Auctor Diſſertationis de natura extenſionis: „ Locus, „ inquit, eſt ordo ad coexiſtentia: atqui entia ſimpli- „ cia dicunt ordinem ad coexiſtentia: ergo &c. Pari- „ ter iſte ordo, quem dicunt entia ſimplicia, eſt muta- „ bilis: ergo entia ſimplicia mobilia ſunt „.

Reſp. *Incorporalia non eſſe in loco, propoſitio eſt per ſe nota apud Sapientes*, inquit Boethius *in lib. de hebd.* Non eſt igitur locus ordo qualiſcumque ad coexiſtentia; ſed ordo extenſi ad coextenſa ſimultanea: hoc, & non alio ſenſu venit Vvolffiana loci definitio intelligenda: hinc entia ſimplicia non ſunt in loco, atque adeo nec mobilia; quod enim in loco non eſt, locum nequit mutare.

porro: enimvero, quamdiu dicis ens compoſitum conſtare ex partibus, quæ etiam entia compoſita ſunt, nequaquam ſatisfacis quæſtioni: *Unde compoſita oriantur?* Non ſecus, ac ſatisfacturus non es quæſtioni: *Undenam numerus oriatur?* quamdiu dixeris, numerum ex aliis numeris oriri. Inferre ergo licebit, non ſuppetere, unde intelligi queat, cur entia compoſita ſint, hoc eſt, entia compoſita deſtitui ratione ſufficienti, id, quod abſurdum: ergo, ut commemoratæ quæſtioni ſatisfiat, dicendum, compoſita oriri ex ſimplicibus; conſequenter, ſi dantur compoſita, dantur etiam ſimplicia: perinde, ut ſatisfacturi quæſtioni: undenam numerus oriatur? dicere debent, eum oriri ex unitatibus, quæ numerus non ſunt; ac conſequenter, ſi numerus datur, etiam unitates dantur.

SCH. 1. *Nullum eſt effugium, ſi dicas:* Poteſt in materia minima ſubſiſti: *nam illa materia, quæ dicitur* minima, *aut habet partes, aut non habet partes: ſi partes habet, tunc harum quælibet minor erit, quam totum, ſeu ipſa materia; conſequenter dabitur minus minimo, quod pariter abſurdum: ſi autem illa materia partes non habet, tunc ſenſu proprio non materia, ſed ens ſimplex eſt; conſequenter revera dantur ſimplicia.*

SCH. 2. *Cæterum quæſtio hæc de ſimplicibus uberiorem ſibi vendicabit pertractationem, cum de elementis corporum agendum fuerit; ubi equidem ſpeciatim doceri debet, anne, & qua ratione ex ſimplicibus extenſum oriri poſſit? Interim tamen de ſimplicibus generatim ſequentia porro ſtatuere non abs re erit.*

177. Simpliciter oriri dicitur, quod exiſtere incipit, cum antea non extiterit: ex nihilo autem ori-

oritur, in quo nihil deprehenditur, quod antea præextitiſſet (§. 141.): exinde legitimis ratiociniis conficitur, ENTIA SIMPLICIA, QUÆ ORIUNTUR, NON NISI EX NIHILO ORIRI, id quod ſequentibus propoſitionibus planum, manifeſtumque fiet.

178. ENS SIMPLEX NON POTEST ORIRI EX ENTE COMPOSITO. Pone ens ſimplex oriri ex compoſito, dicendum tibi, vel id oriri per partium ſeparationem, ſeu diſſolutionem, vel earundem tranſpoſitionem, ac novam combinationem: per ſolam partium ſeparationem, ac diſſolutionem nequaquam quidpiam exiſtere incipit, quod antea non extiterit; conſequenter neque oritur (§. 141.): quod per partium tum tranſpoſitionem, tum novam combinationem exiſtere incipit, cum antea non extiterit, id ipſum, ceu partibus conſtans, compoſitum eſt, minime vero ſimplex: itaque nullo modo ens ſimplex ex compoſito oriri poteſt.

179. ENS SIMPLEX ETIAM NON POTEST ORIRI EX ENTE SIMPLICI. Ens ſimplex non eſt diviſibile (§. 175.); atque adeo non habet in ſe, quod extra ipſum exiſtere poſſit: ex ente ſimplici proinde quidpiam oriri repugnat.

SCH. 1. *Nota*: *aliud ſibi velle* oriri ex ente ſimplici, *quam ſibi velit* oriri ab ente ſimplici: *ſcilicet quemadmodum merito negatur*, *EX ente ſimplici*, *tanquam materia præexiſtente*, *quidpiam oriri poſſe*; *ita indubitate concedendum*, *AB ente ſimplici*, *tanquam cauſſa efficiente*, *ens etiam ſimplex oriri poſſe*.

SCH. 2. *Hæc propoſitio vel ex eo plurimum ſe ſe commendat, quod per ipſam aperte refellatur ſententia neſcio quarum rerum ex DEO ente ſimpliciſſimo ema-*

emanationes confingentium. (48)

180. Quoniam ergo ens ſimplex neque ex ente compoſito, neque ex alio ente ſimplici oriri poteſt, nullum autem aliud ens aſſignabile eſt, quod vel compoſitum, vel ſimplex non ſit (§. 173.)

---

(48) Eſſentialis emanatio nova eſt partium ejuſdem ſubſtantiæ modificatio, ac determinatio; unde quod per eſſentialem emanationem ab alio exiſtit non aliud eſt, quam ipſius ſubſtantiæ præexiſtentis modificatio: hoc modo Papiliones ſunt ex Erucis; tranſmutantur enim Erucæ in Papiliones ſola nova partium modificatione, ac determinatione. Hoc ſenſu impius, deliruſque Spinoſa 1. p. prop. 14. baubatur, Mundum corporeum, Animas noſtras, Angelos a DEO eſſe: Stellæ ergo, Planetæ, Bruta, Homines, Angeli totidem ſunt DEI modificationes? Deliramentum ſane ingens! hoc enim efficitur DEUS feliciſſimus, & miſeriarum pelagus; ſanctiſſimus, & impietatum abyſſus; immutabilis, & omnium mutationum ſubjectum; unicus, & multiplex; ſimpliciſſimus, & compoſitus, extenſus, diviſibilis in partes; ſapientiſſimus, & indoctiſſimus: Quis non inde videat, DEUM ſecundum Spinoſam omnium contradictionum eſſe congeriem? Fateri ergo oportet, omnium mortalium eumdem eſſe inſipientiſſimum, audaciſſimum, impudentiſſimum, improbiſſimum. Opinationem ſuam probare ſimulat Spinoſa hoc ſyllogiſmo: Si una ſubſtantia ab alia poſſet produci, cognitio ſubſtantiæ productæ a cognitione ſubſtantiæ producentis dependeret: atqui cognitio ſubſtantiæ nequit ab alio dependere: ergo una ſubſtantia ab alio produci nequit. Reſp. tamen, poſſe majorem negari: quot enim agnoſcuntur effectus, quorum cauſſæ immediate ignorantur? Cognitio effectus a cognitione cauſſæ dependet, quando effectus conſideratur *reduplicative* ut effectus, & non aliter. Minorem autem ſpinoſiani ſyllogiſmi falſiſſimam eſſe abunde patet ex eo, quod una ſubſtantia nequit quidem ab alio, tamquam a ſubjecto, dependere: at ſubſtantiam creatam independentem eſſe a DEO, tamquam a ſuo principio, nec probat, nec probare poteſt Spinoſa, ut alibi oſtendemus.

173.): ſatis planum, manifeſtumque jam eſt, ENS SIMPLEX NON NISI EX NIHILO ORIRI poſſe.

181. *Oriri in tempore* dicitur, *quod ſucceſſive ad exiſtentiam perducitur*: ex adverſo *in inſtanti oriri* dicitur, *quod ſine ſucceſſione exiſtentiam accipit*.

182. ENS SIMPLEX, QUOD ORITUR, NON NISI IN INSTANTI ORIRI POTEST. Ens ſimplex enim caret partibus, quæ ſucceſſive combinari queant, quemadmodum id quidem in compoſitis fieri ſolet; hinc ſine ſucceſſione ad exiſtentiam perduci debet: conſequenter non niſi in inſtanti oriri poteſt (§. præc.).

183. Atque inde porro etiam eſt, QUOD ORTUS ENTIS SIMPLICIS NOTIONEM DISTINCTAM HABERE, EUNDEMQUE INTELLIGIBILITER EXPLICARE NON VALEAMUS. Cum enim nihil ſucceſſionis in eo obtineat, nihil ſigillatim diſcernere licet; conſequenter nec notionem diſtinctam formare (§. 45. Log.).

184. Hæc de ortu entis ſimplicis. Quod ad interitum ipſius attinet, nullo negotio oſtenditur, SI ENS SIMPLEX INTERIT, NON NISI ANNIHILARI POSSE. Quod ſi enim ſimpliciter interiret citra annihilationem, ita exiſtere deſineret, ut quidpiam de eo porro remaneret, ac exiſteret: hoc autem modo ens ſimplex foret diviſibile, partibusque conſtaret, quod abſurdum (§. 175.): ergo ens ſimplex, ſi interit, non niſi annihilari poteſt.

SCH. Pridem ejusmodi argumento Philoſophi uſi ſunt ad vindicandam incorruptibilitatem Animæ humanæ.

CA-

CAPUT IV.

De eo, quod dicitur Subjectum, itemque Modificabile, deque ipſis rerum Modificationibus.

185. ENs quodvis ſua gaudet eſſentia, vi cujus alia demum in eo locum obtinent; attributa nempe, & modi. *Ens præciſe conſideratum, ut habens eſſentiam, indeque capax aliorum*, dicitur *Subjectum*; illa vero alia vocantur *Adjuncta*.

SCH. Hanc ſubjecti definitionem non poſſunt non recipere quotquot diſtincte de ſubjecto ratiocinari avent: etenim aliæ ſubjecti notiones in Philoſophorum ſcriptis obviæ, etſi quid prorſus diverſum a notione hic tradita non innuant, confuſæ tamen cum ſint, diſtinctis ratiociniis minime deſervire poſſunt: revocandæ ipſæ ad hanc erunt, ſi iiſdem in ratiocinando uti libuerit.

186. Notiones confuſæ univerſim originem ſuam ad imaginationem referunt: atque inde quoque eſt, ut notioni confuſæ ſubjecti, dum tamen eam claram efficere ſtudemus, aliquid imaginarii admiſceatur: hinc nempe communiter ſubjectum inſtar alicujus receptaculi concipitur, quod capax eſt ea, quæ de ipſo prædicantur, in ſe recipiendi, & in quo adeo velut in ciſta quadam reponuntur. Cæterum notio confuſa ſubjecti acquiritur, dum conſiderantur ea, quæ rebus inſunt, eademque ab ipſis diſcernuntur; quo equidem ipſo inferri ſolet, aliud quid eſſe, cui hoc, illudve ineſt; aliud autem, quod ineſt.

187. Quamdiu res exiſtit, eſſentialia, & attributa conſtanter ei conveniunt (§. 60.): clarum inde eſt, ſi in re durante, ſeu pluribus ſucceſſivis coexiſtente, mutatio quædam accidit, eam non aliter accidere poſſe, quam quatenus modi illius variantur: hinc non immerito *rei durantis Mutationem* definiunt per *variationem modorum*, quæ ipſa modorum variatio etiam alias *Modificatio*; & *id, in quo ejusmodi variationi modorum locus eſſe poteſt, Modificabile* appellatur.

SCH. Cum e. g. cera, quæ fuerat mollis, indureſcit, mutatio accidit, quatenus in locum unius modi, ſcilicet mollitiei, ſuccedit alius, ſcilicet durities.

188. Ex hoc, quod in re quadam actu determinati quidam modi, ceu determinationes variabiles, cum eſſentialibus, & attributis tamquam determinationibus fixis, ac conſtantibus coexiſtant, *Status rei* enaſcitur: unde ſtatus dicitur *coexiſtentia mutabilium cum iisdem fixis.*

SCH. Mollities, & durities in cera mutabilia quædam ſunt; quodlibet enim vel abeſſe, vel adeſſe poteſt: quod ſi autem ſeu mollities, ſeu durities actu adſunt, coexiſtunt cum cæteris, quæ ceræ conſtanter conveniunt: ex hoc proinde quod mollities, vel durities actu in cera adſit, certus ceræ ſtatus habetur.

189. Speciatim dicitur *Status rei internus, qui oritur ex coexiſtentia mutabilium intrinſecorum cum iisdem fixis*: *externus* vero *rei ſtatus* nuncupatur, *qui ex coexiſtentia mutabilium extrinſecorum conſurgit*. (49)

SCH.

(49) Ex quo poſſit ſtatus rei internus mutari, mo-

ſtan-

SCH. *In cera dura* durities *ſtatum rei internum conſtituit*; *in homine laudato* laudatio *ſtatum externum abſolvit*.

190. Quotieſcumque in ſubjecto aliquo actu mutatio ſtatus accidit, hujus mutationis ratio vel continetur in ipſo ſubjecto, vel extra illud. *Actualis mutatio ſtatus*, *cujus ratio ſufficiens continetur in ſubjecto*, *Actio*; *cujus* vero *ratio extra ſubjectum continetur*, *Paſſio* appellatur. (50)

SCH. *Dum e. g. Cajus ſcribit*, *actu in eo mutatio ſtatus accidit*; *etenim manus illius*, *&* *digiti actu moventur*, *cum antea non moverentur*; *ratio autem horum motuum non extra Cajum*, *ſed in ipſo Cajo continetur*; *illa proinde mutatio ſtatus in Cajo actio eſt*; *ipſeque Cajus recte dicitur* agere. *Ex adverſo dum lapis*, *qui prius calidus non fuerat*, *actu incaleſcit*, *quoniam ratio hujus mutationis ſtatus extra lapidem habetur*, *hæc mutatio paſſio vocatur*, *ipſeque lapis merito* pati *dicitur*.

191. Per ſe clarum eſt, actiones dari poſſe, quæ in alias reſolvi queant; ut e. g. lectio integræ paginæ reſolubilis eſt in lectiones linearum. *Actio reſolubilis in alias ſimpliciores*, *compoſita*; *non reſolubilis*, *ſimplex* audit.

192. Quod actu agit, ei non repugnat agere, hoc eſt, adeſt poſſibilitas agendi. Poſſibilitas agendi dicitur vel ſimpliciter *Potentia*, vel cum addito *Potentia*

 acti-

ſtantia enim mutationi ſtatus interni ſubjecta intrinſecus eſt modificabilis : ſubſtantiæ intrinſecus modificabili aliquid intrinſecum addi poteſt, vel detrahi : quod additur, vel detrahitur non eſt eſſentiale, vel attributum : modale ergo eſt (ex §. 61.): proindeque &c.

(50) Vvolffiana hæc actionis definitio actionibus nequit aptari, quæ ſupremo competunt creatori. Actio igitur nonnisi eminenter conv[illegible]

activa, itemque *Facultas*. Similiter quod actu patitur, ei non repugnat pati, ideſt, adeſt poſſibilitas patiendi. Poſſibilitas patiendi *Potentia paſſiva* appellatur.

193. Per potentiam activam actio ſolum poſſibilis eſt, itemque per potentiam paſſivam paſſio. Enimvero cum non eo ipſo, quod quid ſit poſſibile, actu exiſtat (§. 53.), relinquitur, neque poſita potentia activa, hoc ipſo actionem, neque poſita potentia paſſiva, hoc ipſo paſſionem exiſtere: conſequenter nec in potentia activa rationem ſufficientem actionis, nec in potentia paſſiva rationem ſufficientem paſſionis contineri.

194. Quoniam tamen nihil eſt ſine ratione ſufficiente (§. 20.); cur actio exiſtat, ratio ſufficiens adeſſe debet: *quod in ſe continet rationem ſufficientem actualitatis ipſius actionis*, *Vim* nuncupant. Hanc reipſa conſiſtere in continuo conatu, ſive niſu proximo agendi, experientia ipſa non obſcure colligi poteſt.

SCH. Vvolffius hoc exemplum adducit: dum fores propulſamus, agimus: quod ſi quis actionem impediturus reſiſtat, continuo conamur fores propulſare, quo conatu ſublato, tametſi nemo reſiſtat, fores non propulſabuntur: haud obſcure ergo exinde intelligitur, vim conſiſtere in conatu, ſeu niſu agendi.

195. Poſita vi, actio exiſtit; poſita enim ratione ſufficiente ponitur id, quod per eam potius eſt, quam non eſt (§ 33.). Poſita vero potentia activa non hoc ipſo actio exiſtit: minime ergo potentia activa cum vi confundenda eſt.

SCH. Quibus potentia, & vis ſynonima ſunt, admiſſa rebus creatis vi, nondum intelligibiliter explicare valent, quo pacto rebus creatis actio convenire

que-

queat; quemadmodum enim in ſola potentia non continetur ratio ſufficiens actionis, ita ſecundum illos nec in vi continetur: atque inde ſane factum videtur, ut complures, admiſſa potentia agendi in creaturis, ipſam actionem non niſi a voluntate DEI pendere docuerint.

196. Doctrina de vi latiſſime patet. Ex pluribus hujus loci eſſe non immerito putem ſequentia quaſi axiomata adjicere. I. Ex eadem vi eodem tempore eadem actio naſcitur. II. Ex diverſa vi eodem tempore diverſa actio oritur: quippe utrumque ex principio rationis ſufficientis continuo profluit. Unde hæc quoque conſectaria fiunt: I. *Actiones, quæ eodem tempore ab eadem vi naſcuntur, eædem* ſunt; ſunt vero *diverſæ, quæ eodem tempore a vi diverſa oriuntur.* II. *Vires, ex quibus eodem tempore eadem actio naſcitur, eædem* ſunt; ſunt vero *diverſæ, ex quibus eodem tempore diverſæ actiones oriuntur.*

CAPUT V.

De Subſtantia, & Accidente.

197. P*Erdurabile* appellatur *ſubjectum, quod per aliquod tempus durat, aut durare aptum eſt*; quatenus nempe determinationibus intrinſecis conſtantibus gaudet.

SCH. Anima humana eſt quid perdurabile; gaudet namque indubitate determinationibus conſtantibus.

198. Modificabile diximus, in quo modorum variationi locus eſſe poteſt, hoc eſt, in quo concipi poſſunt determinationes intrinſecæ diverſæ, quarum aliæ mutantur in alias, aliis iiſdem manentibus: hinc pro modificabili non habendum,

in quo hujus prorſus modi determinationes concipi nequeunt; quod cur moneamus, continuo patebit.

199. A diſtincta notione tum ſubjecti, tum perdurabilis, tum modificabilis pendet diſtincta notio ſubſtantiæ, cujus paſſim idea perobſcura, ac confuſa hominum animis obverſatur. *Subſtantiam* appellant, quod per ſe ſubſiſtit, quod non indiget ſubjecto, quod ſubſtat accidentibus. Enimvero ſi inſtes, quid per ſe ſubſiſtere, quid non indigere ſubjecto, quid ſubſtare accidentibus ſibi velit, præter exempla, ad quæ ablegaberis, vix quidpiam, quod ſatis intelligere queas, adferri audies; indicio manifeſto, illis nonniſi confuſam, ac minimum ex parte obſcuram ſubſtantiæ ideam ſuppetere. (51)

200.

(51) Improba nimis ſunt, quæ de ſubſtantia ſomniavit Spinoſa 1. *p. prop.* 14. *Præter DEUM*, inquit, *nulla dari*, *neque concipi poteſt ſubſtantia*. O miſerum, & veſanum hominem! DEUS eſt Mundus? DEUS eſt omnium corporum aggregatum?

„ Egregium numen, cultro quod ſcindere poſſis! Nihil enimvero magis abs entis ſimpliciſſimi, omnipotentiſſimi, perfectiſſimi diſtat natura, quam corporum extenſorum, inertium, imperfectorum cumulus. Præterea unica hæc ſubſtantia cogitat, & extenſione donatur infinita; id autem repugnare docebimus in Pſychologia. Ulterius ſpinoſiana ſubſtantia unica eſt, indiviſibilis, extenſa: hæc autem eſſe attributa inter ſe contradictoria Cap. I. Sect. IV. A. noſter probat evidenter. Argumentum, quo inſanam, impiamque ſuam probare nititur opinationem Spinoſa, ex imaginaria ſubſtantiæ proficiſcitur definitione: Subſtantia, inquit, ens eſt independens: atqui ſolus DEUS eſt ens independens: ergo ſolus DEUS eſt ſubſtantia. Iterum. Quidquid eſt, in DEO eſt: ergo omnia, quæ Mundum componunt, ſunt in DEO: atqui quod eſt in alio non eſt

200. Itaque *Subſtantiam* definimus per *Subjectum perdurabile, idemque ſimul modificabile:* qua definitione diſtincte demum doceri poſſe, quod paſſim de ſubſtantia confuſe concipitur, ſic oſtendimus. Per ſubjectum perdurabile modificabile vi notionum evolutarum venit ens conſtans eſſentialibus, tanquam determinationibus conſtantibus, quæ equidem alias determinationes ceu ſui rationem ſufficientem continentes non prærequirunt, efficiunt tamen, ut per ipſas ens capax ſit aliarum determinationum tum conſtantium, puta, *attributorum*, tum variabilium, puta *modorum*: enimvero hæc ipſa eſſe, per quæ diſtincte demum reſponderi, ac doceri poteſt, quid ſibi velit per ſe

eſt ſubſtantia, ſed modus: ergo omnes res ſunt modi Deitatis. Eruditis Diſſertationibus reſpondent plures Viri docti, uti Lamyus, Gerdillus apud P. Valſecchium tom. 1. pag. 72. Operis, cui titulus: *Dei Fondamenti della Religione, e dei Fonti dell' Empietà*. Paucis ego ſpinoſiano ſophiſmati reſpondeo diſtinguendo majorem: ſubſtantia eſt ens independens ab alio, tamquam a ſubjecto, conc. maj.; quælibet ſubſtantia eſt ens independens ab alio, tamquam a cauſſa, a qua ſit, nego maj.; & diſtinguo minorem: ſolus DEUS eſt ens independens ab alio, tamquam a cauſſa, a qua ſit, conc. min.; ſolus DEUS eſt ens independens ab alio, tamquam a ſubjecto, nego min., & conſequentiam. Ad 2. diſtinguo antecedens: quidquid eſt in DEO eſt, tamquam in ſubjecto, nego ant.; quidquid eſt in DEO eſt, quatenus omnia accipiunt a DEO eſſe, & virtutem, & operationem, uti diximus ex S. Thoma in Nota (42) n. 5. p. 109., conc. ant.; & diſtinguo eodem modo conſequens. Pariter diſtinguo ſubſumptum: quod eſt in alio tamquam in ſubjecto non eſt ſubſtantia, ſed modus, conc. ſubſ.; quod eſt in alio, quatenus ab alio accepit eſſe, & accipit eſſe, & virtutem, & operationem, non eſt ſubſtantia, ſed modus, nego ſubſ., & conſequentiam. Reſponſio illuſtratione non indiget.

ſubſiſtere, & non indigere alio tanquam ſubjecto, itemque ſubſtare accidentibus, quiſque facile agnoſcet, qui ex rebus ipſis potius, quam ex vocibus Auctorum ad notiones confuſas relatis ſapere volet. (52)

201. *Accidens* eſt, *quod enti tribui nequit, niſi præſuppoſitis in eo aliis*, ſcilicet determinationibus conſtantibus, continentibus in ſe rationem ſufficientem, cur ipſum actu inſit, vel ineſſe poſſit.

SCH. Unde accidens communiter dicitur ens in alio, *vel* dependens ab alio tanquam ſubjecto.

202. ACCIDENS NON EST MODIFICABILE. Quoniam accidens dicitur, quod enti tribui nequit, niſi præſuppoſitis aliis, quodvis accidens vel attributum eſt entis, vel modus: enimvero neque attributis, neque modis competunt determinationes intrinſecæ diverſæ, quarum aliæ mutantur in alias, aliis manentibus iisdem: non attributis, cum ipſa ſint immutabilia (§.91.); non etiam modis, quippe qui aliter mutari nequeunt, quam ut vel prior, ſuccedente alio, ſimpliciter intereat, vel ut novus ſuperveniens a priori, qui permanere ſupponitur, non ſit diverſus: neutro autem caſu ſalvatur modificabilitas (§.187.): igitur accidens non eſt modificabile.

SCH. Calor *in lapide tanquam accidens non eſt modificabile quid; minime enim in eo locum habent determinationes diverſæ, quarum aliæ mutari queant, cæteris iiſdem manentibus, etiam tunc, quando illum augeri, ſeu, ut ajunt, intendi ſupponimus.*

203. Inde intelligimus, accidens definiri etiam poſſe, per *id, quod non eſt modificabile.*

SCH. Expoſitis, ac evolutis notionibus ſubſtantiæ, &

(52) Heic pariter notandum, Vvolffianam ſubſtantiæ definitionem DEO convenire non poſſe.

& accidentis, quædam porro ſubjungenda veniunt, quæ quidem animus a præjudiciis vacuus haud invite dabit, ut ut forte non defuturi ſint, quibus ea neſcio quid novi, ac inſolentis ſonantia videbuntur.

204. Quæcunque entia ſimplicia dantur, in iis aliquid perdurabile eſſe debet. Colligitur id ſatis ex eo, quod entia ſimplicia interire non poſſint, niſi per annihilationem; unde conſequens ſit, ea naturaliter *ſuum eſſe* continuare, hoc eſt durare (§. 162.): & quoniam illis etiam competunt determinationes diverſæ variabiles, ut clare id perſpicimus in Animabus humanis, quarum ſtatus per diverſas perceptiones, & appetitus identidem mutatur, relinquitur, Entia simplicia fore substantias.

205. Eſſentia entis compoſiti conſiſtit in certo modo, quo tales partes conjunguntur: itaque in ente compoſito, quatenus tale eſt, non attendimus niſi ad magnitudinem, figuram, ſitum, & motum partium, earundemque combinationem. Enimvero cum hæc omnia in numerum accidentium referenda ſint, quippe quod proprie modificabilia non ſint, clarum ſit. I. Dum compoſitum oritur, nonniſi accidentia oriuntur. II. Itemque dum compoſitum interit, nonniſi accidentia intereunt. III. Ipſaque adeo eſſentia entis compoſiti, ut talis, accidentibus abſolvitur.

206. Substantia non est divisibilis. Pone ſubſtantiam unam aliquam actu dividi; dividi debet in ſubſtantiam, ſeu tale quid, quod per ſe ſubſiſtere aptum ſit, cum diviſum in eo, a quo ſeparatur, ſeu dividitur, ſubſiſtere nequeat; inde autem continuo inferetur, non unam fuiſſe ſubſtantiam diviſorum: itaque ſubſtantia diviſibilis non eſt.

207.

207. Exinde aperte confirmatur, quod docuimus, ens compoſitum, ut tale, non eſſe ſubſtantiam. Compoſitum quippe eſt diviſibile: at ſubſtantiæ diviſibilitas competere nequit. Nempe entia compoſita dicenda ſunt ſubſtantiarum aggregata, ut in doctrina de Corporibus uberius docebitur, indeque ejus diviſibilitas pendet; ita, ut tum demum compoſitum in infinitum diviſibile foret, ſi infinitis ſubſtantiis conſtaret.

208. Accidens non eſt modificabile (§. 202.); conſequenter neque capax actionis; quidquid enim agit, ſtatum ſuum mutat, atque adeo modificabile eſt: unde porro liquet, *accidenti non competere vim agendi* (§. 194.). Contrarium autem venit ſtatuendum de ſubſtantia: hæc eſt ſubjectum modificabile (§. 200.); conſequenter capax mutationis ſtatus ſui, cujus quoniam ratio ſufficiens non poteſt contineri in accidente per modo dicta, in ſubſtantia contineatur, oportet; *a ſubſtantia proinde non abhorret vis agendi.*

SCH. Nobis hic interim ſatis eſt oſtendiſſe, a ſubſtantia non abhorrere vim agendi; etenim re ipſa illam in qualibet deprehendi alibi commonſtrare conabimur. Quod non defuerint, aut etiamnum non deſint, qui cum Carteſio, ac Mallebranchio notanter omnibus corporibus vim agendi denegarint, id inde factum videtur, quod in corporibus nihil niſi compoſitionem, pendentemque inde extenſionem ſpectarunt; ex hac vero vim agendi repeti non poſſe, ex iis ipſis, quæ a nobis de eſſentia compoſiti, ut talis, ſtabilita ſunt, clarum eſt. At enim ſunt corpora ſubſtantiarum verarum aggregata; nihil vero obſtare, quo minus ab his vis agendi repetatur, id ſuo, ut nunc dicebamus, loco oſtendetur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

De Ente Finito, & Infinito.

209. L*Imitem* dicimus *id*, *unde intelligitur*, *tantum præciſe*, *ac non plus*, *datæ realitatis enti ineſſe*. Sic e. g. *Figura* dicitur limes extenſi; ex figura enim intelligitur enti tantum, ac non plus extenſionis actu ineſſe. *Gradus* eſt limes entis ſimplicis; e gradu enim intelligitur enti ſimplici tantum, ac non plus de vi agendi actu ineſſe.

SCH. Obiter hic notamus: quoniam, *quod in ente reale eſt*, *ſalvo ente*, *mutari nequit*, *relinquitur*, quidquid in ente mutatur, nonniſi limitem eſſe: *unde porro deducitur*, quoſvis modos entis in limitibus conſiſtere; & modificationem in limitum variatione.

210. *Finitum*, itemque *Infinitum* dicitur & *mathematicum*, & *metaphyſicum*, ſive reale. Finitum mathematicum eſt *Quantitas*, *quæ augeri poteſt*. Infinitum mathematicum dividitur *in infinite magnum*, *quod augeri non poſſe*, & in *infinite parvum*, *quod minui non poſſe concipitur*.

211. Numerus naſcitur unitatum additione (§. 116.); in unitatum additione nunquam poteſt ad limitem, ſive terminum perveniri, ultra quem ea continuari nequeat; itaque NON EST POSSIBILIS NUMERUS, QUI AUGERI NON POSSIT. Similiter oſtenditur, NON ESSE POSSIBILEM MAGNITUDINEM, QUÆ AUGERI NON POSSIT. Nam in lineæ e. g. continuatione nunquam poteſt perveniri ad terminum, ultra quem produci ea nequeat. Relinquitur exinde univerſim, IMPOSSIBI-

LE

LE ESSE INFINITUM MATHEMATICUM, IN QUANTUM ACCIPITUR PRO INFINITE MAGNO.

212. Quemadmodum numerus, & magnitudo continuata additione creſcunt, ita continuata ſubtractione imminuuntur. E. g. ab integro ſubtrahatur ejus dimidium, remanet $\frac{1}{2}$: ſi ex $\frac{1}{2}$ ſubtrahatur ejus dimidium, relinquitur $\frac{1}{4}$: ſi ex $\frac{1}{4}$ ſubtrahatur denuo ejus dimidium, $\frac{1}{8}$ relinquitur; & ita porro: ex quo autem clare agnoſcimus; ſi exiſtere debeat infinite parvum, quod ſcilicet imminui nequeat, illud emergere debere ex quantitate data per numerum infinite magnum diviſa, atque adeo, niſi numerus infinite magnus poſſibilis ſit, INFINITE PARVUM POSSIBILE NON ESSE. Enimvero numerus infinite magnus poſſibilis non eſt (§. præc.): nec adeo poſſibile eſt infinite parvum.

SCH. Equidem in Matheſi quantitates infinite parvæ, & infinite magnæ ſumi ſolent: quoniam autem illæ impoſſibiles ſunt, atque, quod impoſſibile, exiſtere nequit; clarum ſit, has mathematicorum quantitates non niſi inter entia imaginaria referendas eſſe. Enimvero cum Mathematicis res eſſe etiam debeat cum ejuſcemodi quantitatis determinationibus, quæ in dato quolibet caſu errorem producunt minime aſſignabilem, adeoque nullum, ipſæ autem per quantitates infinite magnas, & parvas exactiſſime exprimibiles ſunt; id utique recte agendum ſibi putant, ut, ſepoſita paulliſper rei veritate, imaginarii aliquid tanquam veri vicarium aſſumant, quo demum citra inutiles ambages propoſitum aſſequantur.

213. Res quævis, quæ limitibus circumſcribitur, nonniſi unum certum, ac determinatum ſtatum habet; habitura demum alium, ſi limites fuerint variati: itaque RES LIMITATA NUNQUAM SI-

SIMUL HABET, QUÆ HABERE POTEST. *Res nunquam ſimul habens ea, quæ habere poteſt, Finitum reale* dicitur: hinc intelligimus, finitum reale recte dici ens mutabile (§. 91.); atque adeo etiam contingens (§. 96.).

214. Res, quæ limitibus circumſcribitur, nonniſi certam portionem competentis realitatis continet (§. præc.): itaque ex oppoſito, RES, QUÆ LIMITIBUS CARET, QUIDQUID REALITATIS HABERE POTEST, ACTU HABET. *Res, quæ actu ſimul continet, quæcumque continere poteſt, Infinitum reale* ſalutatur: unde diſcimus, infinitum reale merito dici ens carens modis proprie talibus, immutabile (§. 91.), atque adeo neceſſarium (§. 92. Sch.).

SCH. Infinitum reale carere modis proprie talibus, aſſerimus; non item modis minus proprie talibus, quos Vvolffius vocat modi Analoga. *Inde eſt, quod infinitum reale poſſit dici* ſubſtantia, *ſed nempe* per eminentiam, *id quod in Recitationibus uberius declaraturi ſumus.* (53)

215. Non vanam, atque inanem quis dixerit quæſtionem, quæ moveri poteſt, ſoletque: *An plura infinita realia dari poſſint?* Poſito principio, quod vocant indiſcernibilium, vi cujus dari non poſſunt duo individua abſolute, & perfecte ſimilia,

(53) *Infinitum* recte definiri poteſt *ens, in quo nulli ſunt limites, quod nullas habet realitates, perfectioneſque limitatas, in quo ſunt omnia ſimul, quæ poſſunt eidem actu ineſſe, atque adeo ſimul eſt id omne, quod eſſe poteſt*: hinc nec alios, & alios ſtatus internos poteſt ſucceſſive habere, nec ullæ eidem inſunt determinationes intrinſecæ variabiles, nec ulli modi intrinſeci, nec demum ulla mutabilia. Ex hac infiniti definitione conſequitur 1. *ſpatium infinitum creatum eſſe impoſſibile*: 2. *actus liberos divinæ voluntatis non eſſe modos proprie dictos*, uti oſtendetur in Theolog. Nat.

lia, haud difficulter demonſtrant plura infinita realia dari non poſſe: etenim, cum ea, quæ infinita dicerentur, vi definitionis infiniti, abſolute, & perfecte ſimilia eſſe deberent, non jam numero plura eſſe poſſent: itaque fingerentur ſolum plura infinita, re ipſa nonniſi unum, ſeu idem numero foret. (54.)

SECTIO V.

De Entium ad ſe invicem Reſpectu.

CAPUT I.

De Rerum Dependentia, & Relatione.

216. Si ens quoddam A ita fuerit comparatum, ut quod in ſe habet, ejus ratio ſufficiens in alio B contineatur, A eſt *dependens* ab ipſo B. Quod ſi autem ens quodpiam fuerit hujuſmodi, ut quod ipſi tribuitur, ejus ratio in altero non contineatur, *independens* eſt.

SCH. Sic Mundus in exiſtendo eſt dependens, ſcilicet a DEO. DEUS in exiſtendo eſt independens.

217. Ens quoddam A dicitur *referri* ad B, ſi B in ſuo eſſe abſolute ſpectato continet quidpiam, per quod aliquid de A intelligi poteſt, quod abſque

(54) Recolenda heic, quæ in Nota(33) pag. 80. ſunt dicta.

que eo intelligi non poterat. Illud ipſum vero, *quod rei abſolute non convenit, ſed tum demum intelligitur, quando ad alterum refertur*, *Relatio* appellatur.

218. Relationem enti nihil realitatis ſuperaddere exinde manifeſtum fit, quod ad illam nihil aliud requiratur, quam ut ens quoddam A cum altero B ſimul ſpectetur; quoniam ergo per hoc, quod quædam entia ſimul ſpectentur, nihil realitatis illis ſuperaccidit, quod ante non inerat, patet, relationem enti nihil realitatis ſuperaddere.

219. *Illud, ob quod ens unum refertur ad alterum*, ſeu unde intelligimus relationem adeſſe, *Fundamentum relationis*, itemque *Ratio fundandi* audit: quæ quidem ratio fundandi hic accipi debet non modo, ut afficit id, quod referri dicitur, ſed etiam alterum, ad quod refertur: cum ſecus fundamentum comparationis inſtituendæ re ipſa deficeret.

220. Pro diverſitate fundamentorum relationis, ſeu rationum fundandi, variæ relationum ſpecies, ac fontes occurrunt. Sunt 1. Relationes, ubi rationem fundandi præbet ens in genere, cujuſmodi ſunt *Identitas*, & *Diverſitas*. 2. Relationes, in quibus rationem fundandi largitur ens ſecundum qualitates ſumptum, cujusmodi ſunt *Similitudo*, & *Diſſimilitudo*. 3. Relationes ſecundum quantitatem, ut *Æqualitas* & *Inæqualitas*. 4. Secundum coexiſtentiam, ut *Situs*, & *Locus*. 5. Secundum ſucceſſionem, ut *Antiquitas*, *Vetuſtas*, *Novitas*. (55)

221.

(55) Dividitur Relatio in *realem*, & *rationis*. Relatio realis eſt illa, *qua, nemine cogitante, una res ad aliam refertur*, cujuſmodi eſt *relatio patris ad filium*. Relatio

221. Id, *quod refertur ad alterum*, *Subjectum relationis*; illud *alterum* vero, *ad quod refertur*, *Terminus relationis* appellari conſuevit. (56)

CAPUT II.

De Principiis, & Cauſſis.

222. PRincipium in ſenſu generaliſſimo conſideratum eſt *id, quod in ſe rationem alterius continet*; *Principiatum*, *cujus ratio in altero continetur*. Illud dividi ſolet in *Principium eſſendi*, *Principium fiendi*, *Principium cognoſcendi*. Principium eſſendi eſt, *in quo ratio poſſibilitatis*; principium fiendi, *in quo ratio actualitatis continetur*; principium cognoſcendi eſt *propoſitio*, *per quam veritas alterius propoſitionis intelligitur*.

223. Nunquam non ponenda eſt ante ratio, quam ponatur id, quod per eam potius eſt, quam non eſt, ut per ſe patet: cum itaque principium contineat rationem, principiatum autem per illam rationem ſit; conſequens fit, quod *principium præcedat principiatum*, ſeu

---

latio realis alia eſt *creata*, alia *increata*. Relatio increata eſt quadruplex, nempe *Paternitas*, *Filiatio*, *Spiratio activa*, *Spiratio paſſiva*, de quibus Theologi. Relatio creata dividitur juxta varia illius fundamentorum genera, uti A. docet. Relatio rationis eſt illa, *quæ a nobis fingitur inter ea, quæ ſuapte natura relata non ſunt*, vel *quæ verſatur inter extrema non in re, ſed in mente tantum exiſtentia*; qualis eſt *inter genus, & ſpeciem*.

(56) Entia, quæ referuntur, *Extrema relationis* dicuntur. Relata, quorum unum alterius terminus eſſe poteſt, vocantur *Correlata*.

ſeu quod *principium prius ſit principiato*. (57)

SCH. Communiter diſtingui ſolet inter id, quod natura ſua prius eſt, & inter id, quod tempore eſt prius: quodvis principium natura eſt prius ſuo principiato, non tamen ſemper tempore. De creatis nobis ſermo eſt, quidquid de divinis ſentiant Theologi.

224. Ex definitione principii, & principiati hæc quoque clare ſequuntur:

I. *Principiatum eſt dependens a principio*; in principio namque continetur ratio principiati (§. 222.).

II. *Poſito principio ponitur principiatum*: poſita enim ratione ſufficiente ponitur, quod per eam potius eſt, quam non eſt (§. 33.).

225. Principium eſt vel *internum*, vel *externum*. Principium internum dicitur, *quod in ipſa re eſt, quæ principiatum appellatur*: externum, *quod extra principiatum eſt*. E. g. *lignum* reſpectu menſæ eſt principium internum. *Scriniarius* reſpectu ejusdem menſæ principium externum.

SCH. Solet denique a quibusdam principium etiam diſpeſci in cauſſale, & non cauſſale. *Cauſſale vocatur*, quod rem quampiam re vera producit; *cujuſmodi eſt DEUS reſpectu Mundi: non cauſſale nuncupatur*, quod rem neceſſario præcedit, non tamen illam producit; *quale eſt* aurora *reſpectu diei*.

226. *Cauſſa* eſt *Principium*, *a quo alterius exiſtentia, ſeu actualitas pendet*: *Cauſſatum* dicitur *Principiatum*, *cujus exiſtentia, ſeu actualitas ab altero* pen-

(57) Non ſemper dependentia principiati a ſuo principio aliquam involvit imperfectionem: Filius enim in divinis eſt principiatum; nec tamen hinc in Filio oritur imperfectio, quia eamdem habet Filius naturam, quæ eſt in Patre.

pendet. *Cauſſalitas* appellatur *illa ratio*, *per quam cauſſa eſt cauſſa*, *& per quam actu cauſſatum exiſtit*.(58)

227. Latius equidem patet notio principii, quam cauſſæ, adeo ut omnis cauſſa ſit principium, non tamen omne principium ſit cauſſa. Nihilominus ad cauſſam quoque, vel ideo, quod ipſa ſit principium, hæc pertinent: 1. ut ſit vel *interna*, vel *externa*: 2. ut cauſſa *ſit prior cauſſato:* 3. ut *cauſſatum ſit dependens a cauſſa*.

228. Cauſſarum varia ſunt genera; varia enim, & quidem variis modis ad rei cujuſdam exiſtentiam concurrunt: ſingula nunc expenſuri ſumus. Ordimur a *Cauſſa efficiente*, quæ quidem proprie, & per antonomaſiam *cauſſa* dici ſolet. Eſt ergo cauſſa efficiens, *quæ per veram actionem rei alicui exiſtentiam tribuit*, ſive *cujus cauſſalitas in actione conſiſtit*. Cauſſatum, quod cauſſæ efficienti reſpondet, *Effectus* nominatur, ut adeo effectus ſit *Res*, *cujus exiſtentiæ ratio in actione alterius continetur*.

SCH. Pictor reſpectu imaginis eſt cauſſa efficiens: per actiones enim ſuas imagini tribuit exiſtentiam, ipſaque imago idcirco reſpectu Pictoris eſt effectus.

229. Hinc autem clare liquet, IN CAUSSA EFFICIENTE POTENTIAM, ET VIM AGENDI ABESSE NON POSSE. Ubi enim actu actio habetur, poſſibilitas agendi, & ratio ſufficiens actionis etiam haberi debet, hoc eſt, potentia, & vis agendi (§. 20.).

230. Quod alteri per actionem exiſtentiam imper-

---

(58) Apud græcos Patres non alia eſt notio cauſſæ a notione principii; quare promiſcue dicunt, Patrem æternum eſſe principium, & cauſſam Filii æterni. Apud Latinos vero cauſſa non idem eſt, ac principium: atque hinc Patrem æternum appellant Theologi principium Filii æterni, non vero cauſſam.

pertitur, id ex communi notione alterum *producere* dicimus: CAUSSA EFFICIENS proinde EFFECTUM PRODUCIT (§. 228.). Quod ſi cauſſa efficiens unica effectum producit, dicitur *ſolitaria*, forte etiam *totalis*: quod ſi vero plures ad eum producendum quidpiam conferunt, *ſociæ*, aut etiam *partiales* appellantur.

SCH. Sol eſt e. g. cauſſa ſolitaria, vel totalis diei. Plures equi trahentes currum cauſſæ ſociæ, vel partiales. (59)

231. Dividunt Philoſophi cauſſam efficientem in *proximam*, & *remotam*. Cauſſa remota eſt, *a qua effectus, intervenientibus aliis, pendet*; proxima, *a qua, nulla interveniente, proficiſcitur effectus*. Si operatio cauſſæ proximæ pendet a remota, tum dicuntur cauſſæ *ſubordinatæ*.

232. Cauſſa efficiens, *quæ ipſa vim habet, a qua actio proficiſcitur, principalis; cujus* vero *actio alienæ vi tribuenda venit, inſtrumentalis* audit.

SCH. Cajus gladio vulnerans Sempronium vi propria agit, eſtque adeo cauſſa principalis vulneris; gladius vero eſt cauſſa inſtrumentalis, ſeu inſtrumentum; gladius enim per vim Caji vulnus Sempronio infligit.

233. Inſtrumentum igitur deſtituitur vi ad effectum producendum requiſita; atque idcirco actio non immerito cauſſæ principali potius, quam inſtrumento tribuitur: quod tamen minime obſtat, quo minus in explicando effectu etiam inſtrumenti, quo cauſſa principalis utitur, rationem habere debeamus.

SCH. 1. *Certe in explicando vulnere per gladium inflicto nemo non exiſtimabit, attentionem etiam ad*

(59) Cauſſa ſocia, quatenus ſupplet ceterarum cauſſarum defectum, *auxiliaris* dicitur, vel *adjutrix*.

ad gladium afferendam eſſe.

SCH. 2. *Pluribus diviſionibus cauſſæ efficientis, puta, in* univocam, *&* æquivocam, *in* cauſſam per ſe, *&* per accidens *&c., exponendis hic ſuperſedemus. Quæ de iis ſcitu utilia viſa fuerint, in Recitationibus adduci poterunt. Malumus ad quasdam poſitiones deſcendere.* (60)

234. Non potest quidpiam esse caussa efficiens sui ipsius. Cauſſa enim efficiens per veram actionem impertitur exiſtentiam effectui (§. 228.); non poteſt autem quidpiam per veram actionem ſibi ipſi exiſtentiam impertiri; habere ſiquidem eandem deberet ante, quam eam haberet, hoc eſt haberet, & non haberet, quod abſurdum: proindeque &c.

235. Caussa perfecte eadem eosdem effectus producat, necesse est. Ponamus eam producere diverſos, eadem erit cauſſa, & non erit; etenim diverſi effectus requirunt diverſas actiones, quia actio eſt ratio ſufficiens effectus (§.

(60) Cauſſa *univoca* dicitur illa, *quæ effectum producit ejuſdem ſpeciei, cujus eſt cauſſa*: ſic homo hominem producit. Cauſſa *æquivoca* eſt illa, *quæ producit effectum diverſæ ſpeciei*; cujuſmodi cauſſa apud veteres Scholaſticos erat Sol producens juxta ipſos aurum, Luna producens argentum &c. Cauſſa *per ſe* illa eſt, *quæ ad talem producendum effectum eſt deſtinata*: ſic Sol per ſe eſt cauſſa caloris. Cauſſa *per accidens* eſt illa, *quæ ex diverſa ſubjecti diſpoſitione diverſos producit effectus*: ſic

„ Principio terram Sol excoquit, & facit are:
„ At glaciem diſſolvit, & altis montibus alte
„ Extructas ningues radiis tabeſcere cogit:
„ Denique cera liqueſcit in ejus poſta vapore.
„ Ignis item liquidum facit æs, aurumque reſolvit:
„ At coria, & carnem trahit, & conducit in unum.
„ Humor aquæ porro ferrum condurat ab igni:
„ At coria, & carnem mollit durata calore.

§. 228.): ſi itaque cauſſa producit diverſos effectus, diverſæ actiones ab ea proficiſcantur, eſt neceſſe; atqui actio etiam eſt illud, per quod cauſſa eſt cauſſa (§. 226.): ergo ſi diverſæ ſunt actiones, eadem cauſſa non eſt; itaque ſi cauſſa eadem eoſdem effectus non producit, erit eadem cauſſa, & non erit, quod abſurdum: conſequenter cauſſa perfecte eadem eoſdem effectus producat, eſt neceſſe.

236. In effectu non potest plus esse, quam in caussa, cujus est effectus. Sit cauſſa A, ejus effectus B: B ergo exiſtit per A, ejuſque actionem; atque in tantum B eſt effectus ipſius A: quod ſi ponere velis in B aliquid eſſe, quod in A non fuerit, ajo, te id ponere non poſſe, niſi hypotheſim evertere velis: etenim quia id ipſum, quod poſiturus es, ab aliqua cauſſa productum fateri debebis, conſequenter ab aliqua alia cauſſa, quam A, ſcilicet e. g. C; hoc ipſo innues, B non eſſe plenum effectum ipſius A, hoc eſt evertes hypotheſim: itaque recte ſtatuitur, in effectu non plus eſſe poſſe, quam in cauſſa, cujus eſt effectus.

SCH. Propoſitio hæc alias ita effertur: Effectus pleni ſunt cauſſis ſuis æquales, *vi cujus aſſeritur*, Cauſſam producere non poſſe effectum vel ſe majorem, vel ſe minorem.

237. Cauſſa efficiens ſuo cauſſato non ineſt, atque idcirco *externa* eſt. Huic nunc ſubjungimus alteram, nempe *Cauſſam finalem*, quæ *Finis* quoque nominari ſolet. Per cauſſam finalem intelligitur *id*, *propter quod cauſſa efficiens agit*, ſive *quod illa per actionem ſuam cupit obtinere*. (61)

 SCH.

(61) Celebris eſt cauſſæ efficientis diviſio in *liberam*, &

SCH. E. g. Deambulat Cajus, ut ſanitati conſulat: hoc caſu ſanitas *eſt cauſſa finalis, ſeu finis Caji deambulantis, quia Cajus propter ſanitatem deambulat.*

238. Finis paſſim dividitur in *principalem*, ſeu *primarium*, & *minus principalem*, ſeu *ſecundarium*. Finis principalis eſt, *propter quem cauſſa efficiens ita agit, ut ſi nullum alium finem propoſitum haberet, propter hunc tamen ſolum ageret*. Finis ſecundarius eſt, *propter quem cauſſa efficiens ita ſaltem agit, ut, ſi præter eum alium non haberet, non ageret.*

SCH. Titius e. g. ſciens Parmæ certam pecuniæ ſummam ſibi repoſitam eſſe, eo proficiſci conſtituit ipſam levaturus; audiens autem ibidem etiam amicum ſuum commorari, hunc convenire intendit. Quod ſi jam ſumimus Titium Parmam eſſe profecturum levandæ pecuniæ gratia, tametſi amicus ejus ibidem non commoraretur; pecunia levanda erit finis principalis: ex adverſo viſitatio, & ſalutatio amici ſolum finis ſecundarius erit, ſi ſumamus Titium Parmam non profecturum, niſi etiam pecunia illa levanda foret.

239. Sunt præterea aliæ, eæque multiplices cauſſæ finalis, ſeu finis diviſiones: eſt *Finis proximus, qui nullo alio mediante intenditur: remotus,* qui

---

& *neceſſariam*. Cauſſa libera libertate arbitrii, ſeu contradictionis illa dicitur, *quæ proprio ſe conſilio, & electione ad agendum determinat*. De hac cauſſa libera plura in Pſychologia dicemus. Cauſſa neceſſaria eſt illa, *quæ non proprio ſe conſilio, & electione determinat ad agendum*. Duplex eſt cauſſa neceſſaria; altera eſt, *quæ propria natura eſt determinata ad unum effectum, vel agendi modum, ſive quæ ſemper ſecundum totam vim operatur, qua pollet*, ut *Sol*, *Ignis* &c.; atque de hac cauſſa loquitur heic loci A.: altera eſt, *quæ ſenſu quodam, & appetitu regitur, non vero ſe proprio conſilio, propriaque electione ad operandum determinat*: hujuſmodi cauſſæ ſunt *Bruta*.

qui non niſi alio, vel aliis pluribus finibus medianti-bus obtinetur: ultimus, ad quem omnes intermedii referuntur; atque his diviſionibus ſuus equidem uſus, ac fructus eſſe poteſt. Inanis vero eſt diviſio finis in *Finem operis*, & in *Finem operantis*; finis enim operis nullus eſt, niſi a proprio ſignificatu *Finis* quam longiſſime recedere velis, ut mox ex dicendis patebit. (62)

240. *Illud, quo poſito finis ponitur, & obtinetur, Medium* vocatur. Quemadmodum ex oppoſito *Impedimentum* appellatur, *quod rationem præbet, ut finis non obtineatur*.

241. Quoniam finis id eſt, quod cupit cauſſa efficiens per actionem ſuam obtinere; omnis autem, qui cupit quidpiam obtinere, rei cupitæ intelligentiam habere debet, cum, quod ajunt, rei ignotæ nulla ſit cupido; patet, OMNEM FINEM SUPPONERE ENS INTELLIGENS.

SCH. Ex hoc clare evincitur, fruſtra fieri diviſionem finis in finem operis.

242. QUI SERIO VULT FINEM, ETIAM VELLE DEBET MEDIA. Sunt namque media illud, quo poſito finis ponitur, & obtinetur; hoc eſt media continent rationem ſufficientem finis, conſequen-

 ter

(62) *Finis operis* eſt, *ad quem ex natura ſua opus tendit*; *finis* vero *operantis*, *quem ſibi ad libitum operans præfigit*. E. g. Finis operis in eleemoſyna eſt *ſublevatio pauperis*: finis operantis aliquando *DEUS*, aliquando *vana gloria*. Neque fruſtranea cenſeri debet hæc finis diviſio; inſervit enim ad plura SS. Patrum difficilia teſtimonia explicanda. Et ſane nonne dicimus, & quidem non fruſtra, *agentia naturalia cognitione deſtituta agere propter finem ſaltem executive?* Idem dicatur de operis fine. Addamus & aliud. *Effectus a recta, & ſolita partium diſpoſitione inſigniter degenerans* dicitur *Monſtrum*: e. g. *homo ſine manibus natus*.

ter non ponitur, vel obtinetur ſine mediis: enimvero qui vult finem, is etiam velle debet id, ſine quo finis non ponitur, vel obtinetur: itaque qui ſerio vult finem, etiam velle debet media.

SCH. Cum media contineant rationem ſufficientem finis, facile intelligimus, media ante eſſe debere, quam finem; dumque propter finem media volumus, recte dici, finem eſſe primum in intentione, ultimum in executione.

243. Ad cauſſas externas referunt quoque Philoſophi cauſſam *idealem*, ſeu *exemplarem*, cujus nomine intelligunt vel *imaginem mentalem*, vel etiam *externum exemplar*, *quod quis ipſo opere exprimere meditatur*, quodque adeo operantem quodam modo dirigit in opere perficiendo: ut cum Architectus juxta exemplar aliquod vel externum, vel in mente conceptum domum conſtruit.

244. Expoſitis cauſſis externis, *quæ* ſcilicet *extra cauſſata ſunt*, digrediendum jam ad internas, *quæ cauſſatis ſuis inſunt*. Cauſſæ internæ cenſentur geminæ, *materialis*, & *formalis*, ſeu *Materia*, & *Forma*. (63)

245. Nomine *Materiæ* intelligitur illud, *quod in compoſito determinatur*. E. g. *Aurum* eſt materia in annulo, *lignum* in menſa: dicitur hæc materia,

Ma-

---

(63) Proloquium apud Scholaſticos eſt, *Cauſſam materialem, & formalem ſuos producere effectus, propriam entitatem effectibus communicando*. Probatur vera hujuſcemodi propoſitio ex definitionibus cauſſarum materialis, & formalis ab Auctore propoſitis.

Præter quinque enumeratas cauſſas alia in Scholis eſt cauſſa, quæ *moralis* appellatur; eaque eſt, *quæ effectum, cauſſam efficientem excitando, producit*: ſic *qui conſulit, vel ſuadet, ut domus comburatur*, combuſtionis dicitur cauſſa moralis.

Materia ex qua, ad differentiam *Materiæ in qua*, quæ alias *Subjectum inhæſionis* vocari ſolet, itemque *Materiæ circa quam*, quæ *Objectum* nominatur: eſt ſcilicet objectum, *circa quod actio agentis verſatur*: e. g. *Numerus*, & *Magnitudo* ſunt objecta Mathematicæ.

246. *Formam* efficiunt *Determinationes eſſentiales*, *per quas entis ſpecies determinatur*; conſequenter per formam ens tale exiſtit: indeque eſt, quod formæ non immerito nomen cauſſæ tribuatur; dat enim ipſa eſſe rei; immo & operari; ſcilicet hoc ſenſu, quod in determinationibus eſſentialibus ratio ſufficiens potentiæ agendi contineatur. (64)

CA-

(64) Præter illa, quæ §. 21, & Nota (7) illi adjecta de diſtinctione rationis ſufficientis a cauſſa ſunt dicta, oſtendi ulterius hæc ipſa diſtinctio poteſt, notionem rationis ſufficientis conferendo cum notionibus cauſſarum hoc Capite ab Auctore traditis. Et primo quidem cauſſa efficiens, quæ proprie in illo axiomate intelligitur: *Nihil fit ſine cauſſa*, illa eſt, *cujus cauſſalitas in actione conſiſtit*, ſeu *quæ per veram actionem rei alicui exiſtentiam tribuit* (ex §. 228.). Nihil porro tale in notione rationis ſufficientis §. 16. tradita continetur. 2. Cauſſa finalis eſt id, *propter quod cauſſa efficiens agit*, ſive, *quod iſta per actionem ſuam cupit obtinere* (ex §. 237.). Nec iſtud ad notionem pertinet rationis ſufficientis. 3. Cauſſa idealis, ſeu exemplaris eſt id, *quod quis ipſo opere exprimere meditatur* (ex §. 243.). Et id præter notionem rationis ſufficientis omnino eſt. De cauſſis materiali, atque formali non eſt, quod dicamus, quantum differant a ratione ſufficiente, cum illæ ſint cauſſæ componentes. Igitur nullius cauſſæ proprie dictæ notio eadem eſt, ac notio rationis ſufficientis. Quare nec confundi debet hæc propoſitio: NIHIL FIT SINE CAUSSA, cum hac alia: NIHIL EST, AUT FIT SINE RATIONE SUFFICIENTE, CUR SIT, VEL FIAT (ex §. 21.). Generalior eſt notio rationis ſufficientis, quam notio cauſſæ, quamvis cauſſa quælibet certo quodam

CAPUT III.

De Signo, & Signato.

247. Signum *in genere eſt, cujus notio alterius rei notionem nobis adfert*, ſcilicet vel actu præſentis, vel adfuturæ, vel præteritæ. Id, *cujus notio nobis ex alterius notione adfertur*, *Signatum* nuncupatur.

SCH. Fumus *eſt ſignum præſentis ignis*; Ignis *ſignatum*.

248. In ſpecie dicitur *Signum demonſtrativum*, *quod rem præſentem denotat*: *Signum prognoſticum*, *quod rem venturam*: *Signum rememorativum*, vel *memoriale*, *quod rem præteritam indicat*.

SCH. Fumus *eſt ſignum demonſtrativum ignis*. Pallida Luna *ſignum prognoſticum pluviæ*. Solum humidum *ſignum memoriale pluviæ*.

249. Signum *neceſſarium* eſt, *quod cum ſuo ſignato neceſſario connexum eſt*; cujuſmodi neceſſaria connexio habetur, ſiquæ per naturam ita comparata ſunt, ut vel coexiſtant, vel ſe invicem conſequantur. Exemplum denuo præbet *Fumus* reſpectu ignis.

250. Signum *arbitrarium* eſt, *cujus connexio cum ſignato ab arbitrio entis intelligentis pendet*: cujuſmodi ſigna arbitraria eſſe *voces*, ſeu *terminos* in Logica docuimus.

FINIS ONTOLOGIÆ.

---

dam modo contineat in ſe rationem ſufficientem, vel aliquid ſaltem rationis ſufficientis illius effectus, cujus eſt cauſſa. Immo ideo eſt cauſſa, quia aliquo modo in ſe continet effectus rationem ſufficientem. Itaque inſiter illi falluntur, qui putant, principium rationis ſufficientis excludi poſſe, illique hoc alterum ſubſtitui: *nihil eſt, aut fit ſine cauſſa*, cum hoc illud neceſſario ſonat, ut etiam in cit. Nota (7) n. 4. & 5. jam fuit obſervatum.

COSMOLOGIA GENERALIS, SEU TRANSCENDENTALIS.

PROLEGOMENA COSMOLOGIÆ.

§. 1. Coſmologia, ut ex etymo nominis colligitur, *diſciplinam Mundi contemplationi deſtinatam indicat*. Diſpeſcitur in *generalem*, ſeu *tranſcendentalem*, in qua notiones a Mundo individuo, & exiſtente, qui etiam *adſpectabilis* dici ſolet, abſtractæ, Mundoque generatim ſpectato convenientes explicantur; & in *particularem*, cujus eſt Mundum actu exiſtentem, ac ea, quæ in illo occurrunt, rite expendere, ac explorata facere. Illa non immerito inter partes Metaphyſicæ refertur; proindeque hic a nobis pertractabitur: iſta ad Phyſicam ſpectat.

2. Eſt itaque Coſmologia tranſcendentalis *Scientia Mundi in genere*, in qua nempe ad Mundum, ejuſque partes applicantur, quæ in Ontologia de ente latiſſime ſumpto, itemque de variis entium ſpeciebus, ac rerum modificatione generatim ſtabilita ſunt. Principia ergo ab Ontologia repetit Coſmo-

Coſmologia; unde illi ſubjungitur: largitur vero aptiſſima fundamenta Pſychologiæ, Theologiæ Naturali, ac Phyſicæ; hinc iſtis diſciplinis præmittitur.

SCH. Nempe in Coſmologia ſpeciatim agendum de Mundi æque, ac corporum, ex quibus ille componitur, principiis, atque elementis, nexu, & dependentia, naturæ curſu, iisque, quæ naturæ vim, atque efficaciam vel ſuperant, vel illi reſpondent; quorum pertractatio in Pſychologia, Theologia, ac Phyſica indubitate ſummum uſum præſtitura eſt.

3. Diximus (§. 1.) Coſmologiam particularem, quæ Mundi adſpectabilis, ſive exiſtentis contemplationi deſtinatur, ad Phyſicam ſpectare: enimvero hoc non obſtante in Coſmologia tranſcendentali poterunt, immo debebunt tradi, quæ ipſi Mundo exiſtenti conveniunt. Satis tamen Coſmologia adhuc a Phyſica differet, & viciſſim: in Coſmologia nimirum Mundus ex principiis primis, atque plurimum abſtractis expenditur; dum ex adverſo in Phyſica, principiis illis primis ſuppoſitis, propinquiora, ac ſenſui accommodatiora fundamenta ad res mundanas explicandas deliguntur. Cæterum haud paullo quidem jucundius fuerit ex ſenſibilibus, quam ex abſtractis philoſophari; attamen utrumque non modo Philoſopho dignum, ſed etiam ipſi neceſſarium. Quidni igitur nunc tædium quodcumque ex abſtractis argumentandi principiis provenire ſolet ſuperemus, ut ſubinde jucunditatem ſtudii phyſici ſine interpellatione deguſtemus?

COSMO-

COSMOLOGIÆ
TRANSCENDENTALIS

CAPUT I.

De Mundi Notione, Eſſentia, atque Attributis.

4. MUndus in genere eſt *Congeries rerum mutabilium inter ſe connexarum ita, ut in ipſis detur ratio, tum cur una cum aliis ſimul ſit, tum cur una alteram conſequatur.*

SCH. Realitas notionis ſatis inde eluceſcit, quod in ſe nihil contineat, quod in Mundo hoc exiſtente, ſive adſpectabili actu deprehendere non liceat. Conſtat hic Mundus adſpectabilis ex Sole, Luna, Terra, Hominibus, Plantis &c., quæ ſingula varias identidem mutationes ſubeunt. Porro eſt e. g. Sol propter illuſtrandam, ac calefaciendam terram &c. Arbor rationem continet ſecuturi fructus &c. (65)

5.

(65) Qui Tellurem noſtram tantum eſſe Mundum putant, hoſpites ſe ſe, nequid gravius impingam, in Philoſophia oſtendunt. Mundus omnia complectitur, Stellas nempe, Planetas primarios, & ſecundarios, Cometas, cetera.

5. Mundus ergo recte habetur pro ente compoſito (§. 139. Ontol.), cujus partes ſunt omnia, tum quæ ſimul exiſtunt, tum quæ ſe conſequuntur; modusque certus, quo hæ partes conjunguntur illius eſſentiam abſolvit (§. 140. Ontol.). (*66*)

6. Res, ex quibus Mundus conſtat, ſunt connexæ ita, ut conſequens in antecedentibus rationem ſui agnoſcat (§. 4., & Schol.): igitur in Mundo nihil puro caſu, & fortuito evenit, ut ſomniabant Democritus, & Epicurus: contra quidquid in Mundo connaturaliter contingit, propter antecedentia contingit; quatenus nempe per illa eventus determinatur ita, ut potius ſit, quam non ſit: unde etiam relinquitur, quæ in Mundo eveniunt, ea ante jam, quam eveniant, determinata veritate gaudere, eorumque futuritionem eſſe certam (§. 153., & 172. Log.). (*67*)

SCH. Nimirum poſito determinante ponitur determina-

(66) Corpora omnia hoc
„ Mundi magnum, & verſatile templum
componentia inter ſe eſſe connexa, ex univerſali probatur attractione, qua conſtat, Planetas omnes conſtantiſſime ſibi ad invicem obviare, ordinatiſſimos peragere motus, certiſſimas abſolvere circulationes, præſcriptaſque revolutionum leges mira concinnitate tueri. Hoc principio corporum partes nedum ſecum invicem cohærent, ſed ope inſuper hujus principii integra Mundi machina conſiſtit, nec illius partes per infinita excurrunt Mundi ſpatia. Verum hac de re commodius in Phyſica.

(67) Ex hoc quoque confirmatur Auctoris opinio §. antecedente propoſita: ſi enim partes hunc Mundum componentes inter ſe non eſſent connexæ, Mundus eſſet unum per accidens (ex Nota (36) ad §. 117. Ontol.).

natum (§. 33. *Ontol.*): *in Mundo, quod antecedit eſt determinans, cui, quod conſequitur, tanquam determinatum reſpondet: iſtud autem dum iterum antecedens evadit tanquam determinans, novo conſequenti tanquam determinato actualitatem conciliat: ſerie eouſque continuata, dum datus eventus ſua actualitate potiatur.*

7. Per *Fatum* quævis *rerum in Mundo neceſſitas* indigitari ſolet. Eſt primo fati ſpecies, quæ ab omnibus mediis, & determinantibus abſoluta fingitur ita, ut quidpiam evenire debeat, ſive media, & cauſſæ determinantes adſint, ſive non adſint: appellatur hæc neceſſitatis ſpecies *Fatum Muhametanum*. Quoniam ex eo, quod res in Mundo connexæ ſint, quivis eventus per antecedentia determinatur (§. præc.), ſatis utique agnoſcimus, fatum muhametanum a Mundo quam maxime abhorrere. (68)

SCH. Turcas nempe, ajunt, quodvis diſcrimen ſine metu adire, opinantes, ſi mors ſit ipſis fato deſtinata, hanc ſe non evaſuros, ſive e. g. loca periculoſa adeant, ſive evitent, ſive venenum bibant, ſive non; quod quidem ſi ſit, ſtolidiſſime fieri non immerito dicimus: ſed nimirum ex eo, quia ab antece- den-

(68) Nil aliud eſt *Fatum*, quam *ſeries, ſeu connexio cauſſarum ordinata*, ſeu *cauſſarum inter ſe nexarum æternitas*, inquit Lambinus in ſuis ad Lucretium notis lib. 2. Hoc fatum rejicit Lucretius laud. loco inquiens:

„ Libera per terras, unde hæc animantibus extat,
„ Unde eſt hæc, inquam, fatis avolſa voluntas,
„ Per quam progredimur, quo ducit quemque voluptas?
„ Declinamus item motus nec tempore certo,
„ Nec regione loci certa, ſed ubi ipſa tulit mens:
„ Nam dubio procul his rebus ſua quoique voluntas
„ Principium dat: & hinc motus per membra vagantur.

dentibus conſequentia pendent, unde etiam medicamentis ad valetudinem vel conſervandam, vel recuperandam recte ducimus utendum.

8. Quod in Mundo actualitatem consequitur, id intrinsece possibile est, ejusque præterea ratio in serie rerum antecedentium, ex quibus constat, continetur; cujus vero ratio in serie antecedentium non continetur, etsi intrinsece possibile sit, actum in dato Mundo non consequitur. Utraque propoſitionis pars aperte cum dictis (§. *6.*) cohæret: exinde autem contra Spinoſam concludendum, non recte ea ſolum abſolute poſſibilia dici, quæ in Mundo adſpectabili actum conſequuntur, cum actualitas non unice a poſſibilitate, ſed aliunde etiam pendeat; nec ideo præciſe aliquid actum in Mundo non conſequitur, quia poſſibile non eſt, ſed quia ejus in antecedentibus ratio non continetur.

9. Quæ in Mundo per antecedentia actum consequuntur, tum in se, tum spectata consecutione contingentia sunt. In ſe eſſe contingentia ex hoc liquet, quod exiſtere incipiant, cum prius non exſtiterint; conſequenter mutabilia ſint, atque adeo in ſe contingentia (§. 95. Ontol.): enimvero, ſpectata conſecutione, contingentia quoque eſſe, contra Spinoſam ita oſtendimus. Perperam abſolute poſſibile id ſolum cenſetur, quod actum conſequitur in Mundo (§. præced.); cum ex adverſo poſſibile cenſeri debeat quodcumque partim contradictione caret, partim ſuas cauſſas habere poteſt, ita ſcilicet, ut in caſu priori ſit poſſibile ab intrinſeco, in altero ab extrinſeco: jam quæ in Mundo per ante-

ce-

cedentia actum conſequuntur, ſic comparata deprehenduntur, ut eorum oppoſitum & contradictione careat, & ipſi certa ſeries cauſſarum reſpondere queat: itaque quæ in Mundo per antecedentia actum conſequuntur, ita ſunt, ut eorum oppoſitum eſſe poſſet; quæ ita autem ſunt, ut eorum oppoſitum eſſe poſſet, etiam ſpectata conſecutione, contingentia ſunt: proindeque &c. (69)

10. Atque ita Mundus a fatali illa connexione liberatur, vi cujus Spinoſa voluit, quodvis, e. g. ſcriptionem Petri, ea plane neceſſitate evenire, qua e. g. triangulum tribus lateribus, totidemque angulis conſtat; cum tamen ex principiis noſtris diſcrimen longe maximum inter ea ſibi locum vendicet. Scriptio Petri (idem de quovis alio eventu mundano ſentiatur) cum ſerie antecedentium ita connectitur, ut in ipſam neceſſitas ſolum hypothetica, extrinſeca, ſive, ut ab aliis etiam vocatur, *phyſica*, quæ rei contingen-

 tiam,

(69) Lingua profecto ſpinoſiana inſanæ mentis profert deliria, dum propoſitione 33. blaſphemat, præter hunc Mundum nihil aliud eſſe poſſibile: verum tale delirium ex falſiſſima ſpinoſiana ſubſtantiæ definitione neceſſario conſequitur: ſi enim una tantum datur, darique poteſt ſubſtantia, quæ ab ipſo dicitur DEUS, quid aliud eſſe poteſt poſſibile? nimirum

„ Ut in fabrica, ſi prava eſt regula prima,
„ Normaque ſi fallax rectis regionibus exit,
„ Et libella aliqua ſi ex parti claudicat hilum,
„ Omnia mendoſe fieri, atque obſtipa neceſſum eſt,
„ Prava, cubantia, prona, ſupina, atque abſona tecta,
„ Jam ruere ut quædam videantur velle, ruantque,
„ Prodita judiciis fallacibus omnia primis.
„ Sic igitur ratio tibi rerum prava neceſſe eſt,
„ Falſaque ſit, falſis quæcumque . . . orta eſt

a definitionibus.

tiam, ſeu oppoſiti poſſibilitatem minime tollit (§. 100. Ontol.), refundatur: at vero numerus ternarius laterum, & angulorum cum triangulo ita connectitur, ut, quæ exinde naſcitur neceſſitas, ſit abſoluta, intrinſeca, ſeu, ut alias etiam audit, *metaphyſica*, ac *geometrica*.

11. Præter fatalem neceſſitatem, quam vel ex mediorum, & motivorum excluſione, vel ex neceſſario, & abſoluto nexu in rebus mundanis fingunt, alia adhuc eſt, quam a neceſſario, & immutabili DEI decreto in eas derivare conantur: paſſim ad Stoicos tanquam primos auctores refertur, unde & *Fati Stoici* nomen ſortita eſt. Secundum hujus fati aſſertores eventus mundani dependent a decreto divino, nullo propenſionum humanarum, & actionum liberarum reſpectu habito. Enimvero quoniam diximus res in Mundo ita connexas eſſe, ut in illis ipſis ratio contineatur, cur una alteri ſuccedat, conſequens eſt, eas ab aliquo decreto nequaquam ita pendere, ut nulla hominis ſtatus, ac libertatis ratio habeatur; quo proinde ipſo fatum ſtoicum tolli intelligimus. (70)

12.

(70) De Fato plura docte diſputat S. Thomas 1. p. q. 116. inquiens ar. 4. in cor.: „ Fatum eſt ordinatio „ ſecundarum cauſſarum ad effectus divinitus proviſos. „ Quæcumque igitur cauſſis ſecundis ſubduntur, ea ſubduntur & fato „. Art. vero 1. in corp. ait idem Angelicus Doctor: „ In quantum omnia, quæ hic aguntur, divinæ providentiæ ſubduntur, tamquam „ per eam præordinata, & quaſi prælocuta, fatum ponere poſſumus, licet hoc nomine Sancti Doctores uti „ recuſaverint propter eos, qui ad vim poſitionis ſiderum hoc nomen detorquebant. Unde Auguſtinus „ dicit in V. de Civ. Dei cap. 1.: ſi propterea quiſ- „ piam

12. Quæ in Mundo actum conſequuntur, tum in ſe, tum ſpectata conſecutione, contingentia ſunt (§. 9.): ipſum ergo Mundum eſſe contingentem, dubitari nequit (§. 4.). Quandoquidem vero Mundus contingens eſt, conſectarium continuo fit, *plures Mundos eſſe poſſibiles*; quod ſi enim non niſi unicus poſſibilis foret, ipſe abſolute neceſſarius eſſet, prout ex definitione abſolute neceſſarii colligitur (§. 97. Ont.).

13. In eo, ut Mundi, eventuumque mundanorum contingentia ſatis vindicata, aſſertaque videatur, non exiguum momentum repoſitum eſſe, nemo dubitaverit, qui re debite expenſa advertet, vix, ac ne vix quidem unquam futurum eſſe, ut abſque ea Numinis ſupremi exiſtentia certa, atque indubitata efficiatur. Nobis propoſitum fuit Mundi hujuſmodi notionem aſſumere, ex qua ipſa fundamenta repeti poſſent ea refellendi, quibus mentes male comparatæ Mundo fatalem neceſſitatem adſpergere aut molitæ ſunt, aut etiamnum moliuntur. Si vero non nemini aliter viſum fuerit, ita ut ex eo, quod in Mundo conſequentia cum antecedentibus connexa aſſeramus, re ipſa quandam fatalis neceſſitatis ſpeciem in mundanos eventus derivari putaverit, etiam illi oppoſitum ſatis oſtendi, probarique poterit ex his, quæ tum hic, tum cum-

„ piam res humanas fato tribuit, quia ipſam DEI voluntatem, vel poteſtatem fati nomine appellat, ſententiam teneat, & linguam corrigat „. Fato igitur legitimo ſenſu explicato, omnia, quæ in rerum univerſitate geruntur, archetypam exprimunt ideam, quam DEUS mente gerit. Objecta, quæ a divinæ providentiæ adverſariis fieri ſolent, infirma licet, in Theolog. Nat. referenda a nobis erunt, ac confutanda.

primis alibi provide ſtabilita ſunt. Puta 1. rationem ſufficientem de ſe non invehere abſolutam neceſſitatem in res exiſtentes, neque adeo tollere earundem contingentiam (§. 100., & 101., & Sch. Ont.): 2. ex hoc, quod poſita ratione ſufficiente ponatur id, quod per eam potius eſt, quam non eſt, non ſequi, ut poſitis quibuſdam antecedentibus, quæ alias præbere poſſunt rationem ſufficientem ponendi conſequentis, id ipſum ita neceſſario ponatur, ut per actionem miraculoſam oppoſitum poni non poſſit (§. 99. Schol. Ontol.): 3. ex ratione ſufficiente ſaltem eventus, eorumque futuritionem obtinere certitudinem, quam alii neceſſitatis phyſicæ a neceſſitate fatali plurimum differentis titulo inſigniunt.

Tum quiſquis ſe allatæ notioni Mundi adverſarium præbiturus eſt, oſtendere debebit, quo pacto ſine rerum nexu in Mundo actuali veritati reali locus eſſe poſſit, qua ratione futuritiones rerum (N.B.) in ſe ipſis certo prævideri queant, quibus argumentis purus caſus, fatumque muhametanum efficaciter refutari poſſit: ſi hæc difficulter præſtari poſſe adverterit, diſcat demum, quid fuerit, ut ex Mundi notione rerum nexum excluſum non voluerimus. Porro iſtud adhuc ſubjungimus: cum res mundanas tum in coexiſtentia, tum in conſecutione, ſeu ſucceſſione connexas hoc loco tuemur, de rebus non liberis nobis ſermonem eſſe: num enim, & quomodo id ipſum ad eventus liberos pertineat, alibi decidetur. (71)

CA-

(71) Si quis a notione Mundi, ſeu Univerſi rerum nexum

CAPUT II.

De Natura Corporum, ac inde pendentibus Affectionibus.

14. UT Mundi natura, ac indoles cumulatius intelligatur, partium ipſarum, quibus ille tanquam totum conſtat, conſideratio recte in Coſmologia ſuſcipitur. Hoc loco in eas inveſti-

 ga-

nexum vellet excluſum, is profecto Univerſum ipſum diſſolveret: ut enim ſapienter animadvertit S. Thomas lib. III. cont. Gen. cap. 69. „ Rerum, quæ ſunt diverſæ ſecundum ſuas naturas, non eſt colligatio in ordinis unitatem, niſi per hoc, quod quædam agunt, „ & quædam patiuntur „. Hunc rerum nexum ſæpe commendat Angelicus; nam & 1. p. q. 19. ar. 7. ad 2. notat: „ Quod DEUS aliquando pronuntiat aliquod „ futurum, ſecundum quod continetur in ordine cauſſarum inferiorum, ut puta, ſecundum diſpoſitionem „ naturæ, vel meritorum, quod tamen non fit, quia „ aliter eſt in cauſſa ſuperiori divina „. Heic loci mirifice confirmat S. Doctor, quod docet A., nempe non ſequi ex rerum nexu talem eventuum neceſſitatem, aut certitudinem, ut per actionem miraculoſam oppoſitum poni non poſſit: ſubditur enim rerum nexus, ille etiam, qui in naturis, vel eſſentiis rerum immediate fundatur, & multo magis, qui ex modis, vel actionibus liberis reſultat, divinæ potentiæ, voluntati, providentiæ, tum ut exiſtat, tum ſæpe etiam ut impediatur, vel per aliquam rerum mutationem, vel per miraculum aliquod juxta placitum divinæ voluntatis. Quia tamen quæcumque poſſibilia ſunt, ea ſimul & diſtinctiſſime a DEO cognoſcuntur, DEUS cognoſcens poſſibilia omnia tum abſolute, cum ſyſtematice, cognoſcit pariter quæcumque futura eſſent, data qualibet ſerie poſſibili; atque adeo illa etiam data, in qua hæc

gaturi ſumus, quæ *Corpora* compellari ſolent, alibi de Spiritibus acturi. Tradentur autem generalia de corporibus, particularibus in Phyſicam conjectis. 15.

---

hæc, vel illa mutatio, hæc, vel illa miracula ex illius voluntate contingerent: eſt enim & hæc ſeries in numero poſſibilium.

Notat idem Angelicus lib. II. cont. Gen. cap. 35. ad 6. objec., quod „ in producendo res propter finem attendenda eſt habitudo finis ad effectum, qui fit propter „ finem, ut taliter producatur effectus, qualiter convenientius ordinatur in finem „ & ex I. Sent. diſt. 39. q. 2. ar. 1. colligitur, diſpoſitionem rerum pertinere ad ſcientiam tantummodo, quamdiu per decretum non determinatur ejus productio. Hæc porro diſpoſitio juxta S. Doctorem ibidem ar. 2. quaſi præſupponitur ad providentiam, & reipſa non aliud eſt, quam ipſe rerum nexus, & aptitudo ad hunc, vel illum finem; ipſa enim diſpoſitio eſt, ut ipſe ait „ quæ ordinem in rebus „ determinat in diverſarum naturarum gradu ſalvatum: „ expletur enim effectus providentiæ in rebus ſecun„ dum convenientiam rei, prout nata eſt conſequi fi„ nem „. Docet præterea 1. p. q. 19. ar. 8., voluiſſe DEUM „ quædam neceſſario evenire, quædam contin„ genter, ut ſit ordo in rebus ad complementum Uni„ verſi, & ideo quibuſdam effectibus aptavit cauſſas „ neceſſarias, quæ deficere non poſſunt, ex quibus ef„ fectus de neceſſitate proveniunt; quibuſdam effecti„ bus aptavit cauſſas contingentes, defectibiles, ex „ quibus effectus contingenter proveniant „. Eademque ratione dici poteſt aptaſſe DEUM quaſdam cauſſas liberas, quia voluit quaſdam actiones, & quoſdam effectus libere fieri. Eſt ergo nexus ſive cauſſarum, quæ ſunt neceſſariæ, ſeu illarum, quæ ſunt liberæ, cum ſuis actionibus, & effectibus pendens a libera DEI voluntate ſive ut exiſtat, vel non exiſtat, ſive ut impediatur, vel non impediatur, quamvis in rerum naturis, & eſſentiis fundetur: & ideo nullam inducit abſolutam neceſſitatem; immo nec opponitur libertati creatæ: nexus enim cauſſæ liberæ creatus cum ſuis effectibus, & actionibus non ita immediate fundatur in eſſentia, ut non

præ-

15. Quodvis ens, quod in corporum numerum referimus, obſervamus, ex diſtinctis partibus conſtare; corpus ergo eſſe ens compoſitum, ipſa experientia certum habemus (§. 139. Ontol.): hinc conſequens fit, eſſentiam corporis, ut ens compoſitum eſt, conſiſtere in modo, quo datæ partes inter ſe conjunguntur, univerſimque corpori cuncta competere, quæ in Ontologia enti compoſito competere jam oſtendimus, quæve præterea huic competere poſſunt.

16. Speciatim oſtenſum eſt, ens compoſitum ſaltem connaturaliter eſſe extenſum, & figura præditum, replere ſpatium, oriri citra rei ex nihilo ortum, itemque interire citra rei annihilationem. Ad hæc (quo nunc demum præcipue uſuri ſumus): IN ENTE COMPOSITO MUTATIO QUÆVIS NON ALITER, QUAM PER MOTUM PERFICITUR. Nam cum in compoſito qua tali non conſiderentur, niſi magnitudo, figura, ſitus partium, patet, quamvis mutationem in compoſito conſiſtere in mutatione magnitudinis, vel fi-

 guræ, -

præſupponat, ſeu involvat legem, aut modum proprium operandi cauſſæ liberæ, quatenus libera eſt; atque adeo nullatenus officit libertati. Sed de libertate uberius alibi cum Auctore.

Patet autem, ſublato rerum nexu, nihil eſſe hypothetice futurum, ut recte obſervat A.: ſublato enim nexu, nullius effectus, ſeu eventus exiſtentia eſt hypothetice determinata: cum enim nexus, & ordo rerum ad invicem in hoc ſit poſitus, ut idem S. Thomas obſervat 1. p. q. 48. ar. 1. ad 5., *quod una agit in alteram, & eſt finis alterius, & exemplar*, non poteſt tolli rerum nexus, quin tollatur omnis a rebus cauſſalitas: ablata vero a rebus cauſſalitate omni, evidens eſt, tolli omnem hypotheticam determinationem pro effectibus, ſeu eventibus.

guræ, vel ſitus partium. Jam vero nec magnitudo, nec figura, nec ſitus partium aliter mutatur, quam per motum, quia hæ mutationes non fiunt, niſi partium additione, ablatione, aut transpoſitione: itaque clare relinquitur, quamvis mutationem in compoſito non aliter, quam per motum perfici.

17. Corporis proinde ſpeciatim eſſe, ut ſaltem connaturaliter ſit extenſum, & figura præditum, ut ſpatium repleat, ut citra rei ex nihilo ortum oriatur, citra rei annihilationem intereat; ad hæc, ut quævis mutatio in illo non aliter, quam per motum perficiatur, aperte intelligimus (§. 15.). (72)

18. Experientia docet, CORPUS QUODVIS MOTUI RESISTERE. Obſervamus namque identidem, non vim quamlibet efficere, ut corpus, quod quieſcit, moveri incipiat: quod ſi autem corpus motui non reſiſteret, ratio nulla foret, cur ad cujuslibet vis impulſum in corpore motus non ſequatur: corpus proinde motui reſiſtit. Id, *quo corpus motui reſiſtit*, recepto nomine *Inertia*, ſive *Vis inertiæ*, itemque *Vis paſſiva* appellatur. (73)

19. Ex hoc, quod plura inter ſe diſtincta unum quid efficiant, non intelligitur, cur quocumque impulſu motus non ſequatur. Quod exinde

(72) In corporeis rebus
„ Intervalla, viæ, connexus, pondera, plagæ,
„ Concurſus, motus, ordo, poſitura, figuræ
„ Cum permutantur, mutari res quoque debent.
At hæc omnia motu fiunt": mutationes ergo omnes, quæ in corporibus contingunt, motu perficiuntur.

(73) Phyſicæ reſervanda eſt celebris illa quæſtio, in qua de natura vis inertiæ diſputatur: utrum nempe vis inertiæ ab impenetrabilitate, a gravitate, a preſſione aeris, vel ætheris diſtinguatur?

inde inferri debet, iſtud eſt, vim inertiæ in corpore nequaquam per compoſitionem, & extenſionem determinari, ſed ejus rationem quærendam eſſe in iis, quibus compoſitum, & extenſum conſtituitur, atque adeo tanquam aliquid compoſitione, & extenſione prius concipi debere.

20. Dum corpus aliquod B ab alio A in motu conſtituto impellitur, corpus B mutationem ſubit; ex ſtatu quietis enim in ſtatum motus transfertur; hujus autem mutationis ratio in corpore A continetur: unde manifeſtum fit, corpus A, ſive corpus quodvis in motu conſtitutum vi agendi eſſe præditum (§. 194. Ontol.), quæ vis agendi, quia motui locali adhæret, etiam *Vis motrix* appellatur; conſiſtitque in niſu, & conatu ejus, in quo eſt, loci mutandi.

21. *Compoſitum vi inertiæ præditum* id eſt, quod *Materia* dicitur. Hinc intelligimus, corpus ob materiam ſuam motui reſiſtere, eſſe (ſaltem connaturaliter) extenſum, diviſibile, certæ magnitudinis, & figuræ, variarumque aliarum determinationum tum conſtantium, tum mutabilium pro varia partium talium combinatione, & mixtione capax; quæ adeo determinationes materiæ, tanquam ſubjecto ſuo inhærebunt.

22. Per solam materiam mutationes, quæ in corpore fiunt, explicari nequeunt. Mutationes in corpore fiunt per motum (§. 17.); corpus ob materiam motui reſiſtit (§. 21.), conſequenter & mutationibus; minime ergo in materia continetur ratio ſufficiens actualium mutationum; ſive per ſolam materiam mutationes, quæ in corpore fiunt, explicari nequeunt.

SCH. Colligimus exinde, non niſi incompletam eſſe notio-

notionem corporis, qua illud præciſe tanquam ens compoſitum, ac extenſum concipitur, quemadmodum illud concepit Carteſius; quin immo neque adhuc fore completam, ſi compoſitioni, & extenſioni jungatur vis inertiæ eo, quem dedimus, ſenſu accepta. (74)

23. Corpus in motu conſtitutum vi motrice (75) præditum eſt (§. 20.). Quotieſ-

---

(74) Contra Carteſii de corporis natura opinionem nonnulla ſtatim adjicienda erunt.

(75) Vi motrice prædita eſſe corpora in motu poſita negant Carteſiani: contendunt immo, non poſſe vim motricem corporibus communicari. En præcipua Carteſianorum argumenta.

1. Objiciunt 1. Corpus in motu poſitum non poteſt aliud corpus impellendo ad motum concitare: ergo &c. Probant antec. ex eo, quod corpus in motu poſitum non poteſt impellendo efficere, ut corpus aliud exiſtat ſucceſſive in pluribus locis; cum nec unum corpus poſſit impellendo efficere, ut aliud corpus in uno loco exiſtat: patet; namque efficere, ut corpus exiſtat in uno loco, eſt corpus in uno loco conſervare: at nequit corpus unum aliud conſervare; quum conſervatio ſecundum vulgare proloquium ſit continuata creatio: ergo &c. Hoc argumentum proponit P. Gerdillus in Opere de Animæ immaterialitate.

2. Reſp., negatis prioribus propoſitionibus, ut ratio poſtulat, diſtinguo minorem ſyllogiſmi ultimo loco propoſiti: nequit unum corpus aliud conſervare in eodem loco per modum cauſſæ primæ, conc. min.; per modum cauſſæ ſecundæ, nego min., & conſequentiam. Rei conſervatio, quæ a prima cauſſa procedit, continuata dicitur rei ex nihilo productio: non item vero dicendum de rerum conſervatione, quæ fit a cauſſa ſecunda; corpora enim alia conſervare corpora per modum cauſſarum ſecundarum, quæ quotidie contingunt, demonſtrant apertiſſime: conſervat tellus ſemina, & plantarum radices: conſervat Solis calidus vapor,

,, Maria, ac terras omnes, cælumque rigando,

cuncta, quæ in ſyſtemate hoc planetario continentur: con-

tieſcunque corpus movetur, certa celeritate, & directione movetur, ut adeo celeritas, & directio affectiones corporis moti ſint, & quidem

conſervamus item frumenta, vina, cetera. Poteſt igitur unum corpus ſecundario corpus aliud conſervare. Poteſt etiam corpus in motu poſitum corpus aliud ad motum determinare; nec enim ad hunc tantulum producendum effectum vis infinita Creatoris requiritur. Fortene vis infinite magna eſt neceſſaria, ut corpus acquirat novum modum, & extrinſecam relationem? Haud puto.

3. Objic. 2. Quidquid mechanice nequit explicari, illud corporibus non eſt ab erudito Philoſopho tribuendum; omnia enim nova feliciter in corporibus detecta mechanice explicantur: atqui vis motrix eſt affectio, quæ mechanice nequit explicari, ut evidens eſt ex §. 19., & facile ex eo conſtat, quod illud mechanice nequit explicari, quod ex varia partium poſitura, figura, ex vario connexu, concurſu nequit in corporibus exſurgere, cujuſmodi eſt vis motrix: ergo &c.

4. Reſp. Plura in corporibus obſervantur, quæ ad Carteſianorum ſenſum nequeunt mechanice explicari. Unum ſeligamus. Motus præcipua eſt corporum proprietas: exponat jam Carteſianus mechanice motum. Motus, reſpondet, eſt continuata ejuſdem corporis in pluribus locis ſucceſſiva creatio; movetur enim corpus, quatenus a DEO pluribus in locis ſucceſſive creatur. At mechanicane eſt hæc explicatio? Mechanice hoc modo a Carteſianis corporum exponitur motus?

„ Egregie, præclare, laute, nihil ſupra!

Jamvero ſicut motus, licet mechanice non explicetur, (nec vero explicari mechanice debet, aut poteſt, cum ſit ipſe cujuslibet mechanicæ explicationis principium) admittitur tamen in corporibus; quidni & proximum aliquod principium motus, ſeu vis motrix (ſine qua nullus profecto motus) admitti poterit a DEO impreſſa corporibus, licet nequeat mechanice explicari? Certe ſi nulla vis motrix in corporibus, nec ulla eſt eorumdem actio in productione effectuum naturalium; atque adeo *ſubtrahitur nobis omnis cognitio ſcientiæ naturalis,* *in*

dem *modi*, cum mutari poſſint (§. 61. Ontolog.): quæritur autem, num ipſa materiæ corporis, aut potius vi, tamquam ſub-

in qua præcipue demonſtrationes per effectum ſumuntur, ut expendit S. Thomas *lib. III. cont. Gen. cap.* 69., ubi etiam errorem aperte vocat derogantem perfectioni rerum, & Univerſi, divinæ ſapientiæ, & bonitati opinionem illorum, qui antiquitus negarunt proprias actiones corporibus. Tullius quoque illos irridet *lib. de Nat. Deor. n.* 10., qui omnem motum, & omnia, quæ certis temporibus ordinem ſuum conſervant, ita divina dicunt, ut ad DEUM unice revocent, ad quem, ut ad aram, confugiunt, cum quidpiam explicare ipſi non poſſunt. Videant ergo Carteſiani, ne cum talibus irrideantur & ipſi. Natura quidem in ſuis producendis effectibus mechaniſmo utitur, tamquam inſtrumento: at inſtrumenta ſine viribus inepta ſunt, inutilia, mortua. Quare Carteſiani

„ Magnopere a vero, longeque erraſſe videntur.

5. Ob. 3. Si corpora in motu poſita haberent vim motricem, & id, quod movet, eſſent, & id, quod movetur: ſive principium eſſent actionis, & terminus; quod dat motum, & quod motum recipit: uno verbo: in ſententia anticarteſiana eſſent corpora in actu, & in potentia relate ad idem, uti Scholæ loquuntur: atqui hoc impoſſibile eſt: ergo &c. Hinc illud vulgatiſſimum axioma: *Quidquid movetur ab alio movetur*.

6. Reſp. Non ſolum corpora in motu poſita nulla vi motrice gaudere probat allatum argumentum, verum etiam & animam noſtram in ſuis liberis volitionibus active non ſe habere; ſi enim active ſe habeat anima in liberis ſuis volitionibus, ipſa principium actionis erit, & terminus, in actu, & in potentia relate ad idem: id autem per Carteſianos repugnat: repugnabit ergo animam active ſe habere. Hinc argumentum nimis probat, adeoque, juxta communem loquendi morem, nihil: & vero animam ſtatuere in omnibus mutationibus ſuis mere paſſivam, delirare eſſet. Mutant igitur ſuum ſtatum corpora vi motrice prædita; & quia in ipſis corporibus mutationis hujus ratio continetur, cor-

ſubjecto ſuo, inhæreant? Non inhærere materiæ, tanquam ſubjecto, ita conficitur : per materiam ratio reddi nequit, cur corpus aptum ſit, ut move-

pora agunt : quodnam inde ſequatur abſurdum non video. Sunt corpora quidem principium actionis, quia vim habent; ſunt pariter terminus, quia mutatio ipſorum eſt corporum: hæc autem, quæ appellat Carteſianus abſurda, mihi quidem certiſſimæ videntur (nec abſque validis argumentis) propoſitiones. Tandem licet corpora aliquod habeant in ſe ipſis principium motus, ſeu vim motricem, vel naturaliter, & permanenter inſitam a DEO, vel adventitiam, ut *ſagitta*; non iccirco tamen dici poſſunt movere ſe ipſa, vel a ſe ipſis moveri ; ad id enim requireretur, ut a ſe ipſis principium motus haberent, vel ſaltem ut ſe ad motum determinarent, ut notat etiam S. Thomas q. 24. de verit. ar. 1. Quare etiam admiſſa vi motrice in corporibus verum eſt principium illud: *Quidquid movetur ab alio movetur*.

7. Ob. 4. Motus actio non eſt, ſed paſſio corporis, quod movetur; nam idea motus eſt idea translationis corporis a loco ad locum: at translationem dicere, eſt dicere paſſivum corporis ſtatum : aſſerere ergo corpus agere per motum, ſeu motum eſſe actionem, eſt affirmare, quod corpus agat per paſſionem, ſeu quod paſſio ſit actio; quod in principium impingit contradictionis.

8. Reſp. „ Quæ facimus, patiendi modo ſæpe dici„ mus, ut *arbitror*, *ſuſpicor*: & contra, faciendi, quæ pa„ timur, ut *vapulo* „ inquit Quintilianus Inſt. Orat. lib. IX. Itaque quamvis actio, qua corpora moventur, verbo paſſivo denotetur, tamen eſt vera actio : quæcumque enim mutatio, cujus ratio eſt in ſubjecto, quod ſtatum mutat, eſt actio : atqui illa mutatio, qua corpora in motu poſita ſtatum mutant, in ipſis corporibus rationem agnoſcit (ex §. 20.) : ergo &c. Adde jam fuiſſe & ab Ariſtotele obſervatum *III. Phyſic.*, actionem, & paſſionem idem eſſe cum motu ; differre tamen ratione, ſeu habitudine, *quia in actione*, ut exponit S. Thomas 1. p. q. 28. ar. 3. ad 1., *importatur reſpectus, ut a quo eſt motus in mobili ; in paſſione vero, ut qui eſt ab alio*.

9.

moveatur (§. 22.) ; conſequenter , neque cur celeritas, & directio in corpore eſſe poſſint; itaque, ſi tamen admitteretur, celeritatem , & directio-

---

9. Ob. 5. Quamquam ſupponamus vim nullam ineſſe corporibus , mutationum nihilominus, & motus corporum adeſt ratio ſufficiens , poſita videlicet in ipſa DEI immediata actione , qua ipſe movet corpora.

10. Reſp. Quamquam immediata DEI actione fieri pleraque poſſent abſque ullius creaturæ concurſu : maluit tamen DEUS naturæ ordinem ita conſtituere , ut illa fiant mediantibus cauſſis ſecundis . Poſſet ſane DEUS immediata ſua omnipotenti actione arbores , folia , fructus producere , quin ex aliis naſcerentur arboribus ; voluit tamen , floreſcere tempore certo arbuſta , certoque tempore florem dimittere , & paullatim certo ſemine creſcere . Poſſet DEUS ſua immediata actione efficere , ut aqua aſcenderet in antliis , mercurius in tubis hæreret ſuſpenſus , corpora ſpecifice leviora ſurſum exaltarentur : aerem tamen juſſit eſſe horum effectuum cauſſam immediatam . „ Eſt vero contra rationem ſapientiæ , ut ſit aliquid fruſtra in operibus ſapientis , quemadmodum ſapienter ratiocinatur. S. Thomas lib. III. cont. Gen. cap. 69. „ Si autem res creatæ nullo modo operantur ad effectus producendos , ſed ſolus DEUS operetur omnia immediate ; fruſtra eſſent adhibitæ ab ipſo res aliæ ad producendos effectus : repugnat ergo prædicta poſitio divinæ ſapientiæ. Adhuc. Qui dat alicui aliquod principale , dat eidem omnia , quæ conſequuntur ad illud ; facere autem aliquid actu , conſequitur ad hoc, quod eſt eſſe actu . Si igitur DEUS communicavit aliis ſimilitudinem ſuam quantum ad eſſe, in quantum res in eſſe produxit, conſequens eſt, quod communicavit eis ſimilitudinem ſuam quantum ad agere , ut etiam res creatæ habeant proprias actiones . Amplius. Perfectio effectus determinat perfectionem cauſſæ; major enim virtus perfectiorem effectum inducit : DEUS autem eſt perfectiſſimum agens: oportet igitur , quod res ab ipſo creatæ perfectionem ab eo conſequantur. Detrahere ergo perfectioni creaturarum eſt detra-

ctionem materiæ, tanquam ſubjecto, inhærere, admittendum foret, modos ineſſe poſſe ſubjecto inhabili, ſeu in quo non datur ratio ſufficiens poſſibilitatis

tis

„ detrahere perfectioni divinæ virtutis. Sed ſi nulla „ creatura habet aliquam actionem ad aliquem effectum „ producendum, multum detrahitur perfectioni creaturæ: ex abundantia enim perfectionis eſt, quod perfectionem, quam habet, poſſit alteri communicare: „ detrahit igitur hæc poſitio divinæ virtuti. Item. Sicuti eſt boni bonum facere; ita ſummi boni eſt aliquid optime facere: DEUS autem eſt ſummum bonum: „ igitur ejus eſt facere optime omnia: melius autem eſt „ bonum, quod alicui collatum, ſit multorum commune, „ quam quod ſit proprium, quia bonum commune ſemper invenitur eſſe divinius, quam bonum unius tantum. Sed bonum unius ſit multis commune, ſi ab uno in alia derivatur; quod non poteſt eſſe, niſi in „ quantum diffundit ipſum in alia per propriam actionem; ſi vero poteſtatem non habet illud in alia transfundendi, manet ſibi ipſi proprium. Sic igitur DEUS rebus creatis ſuam bonitatem communicavit, ut „ una res, quod accepit, poſſit in aliam rem transfundere: „ Detrahere ergo actiones proprias a rebus creatis eſt „ divinæ bonitati derogare. Adhuc. Subtrahere ordinem „ rebus creatis, eſt eis ſubtrahere id, quod optimum habent; nam ſingula in ſe ipſis ſunt bona, ſimul autem omnia ſunt optima propter ordinem Univerſi: ſemper enim „ totum melius eſt partibus, & finis ipſarum. Si autem a rebus ſubtrahantur actiones, ſubtrahitur ordo „ rerum ad invicem: rerum enim, quæ ſunt diverſæ ſecundum ſuas naturas, non eſt colligatio in ordinis unitatem, niſi per hoc, quod quædam agunt, & quædam patiuntur. Inconveniens igitur eſt dicere, quod „ res non habent proprias actiones „. Quamvis igitur ſola ſua immediata actione poſſit DEUS omnia movere corpora, non gratis tamen aſſeritur, ſed rationi valde conſentaneum eſt affirmare, dediſſe DEUM corporibus vim motricem; ita ut, movente DEO, tanquam cauſſa prima, omnia corpora, & hæc ſe invicem, tamquam cauſſæ ſecundæ, moveant.

II.

tis modorum, quod contra principia ontologica eſt (§. 62. Ontol.); proindeque dicendum, quod vis motrix illud ſit, cui, tanquam ſubjecto, celeritas

11. Accedit ad hæc, iis indiciis hoc conſtanter deprehendi, ut ſplendidiora optare nequeamus. Fortene majori nexu colligarentur corporum motus, ſi vis motrix corporibus ineſſet, quam reipſa connecti videmus? Hinc vel ipſi Carteſiani non aliter in Phyſica de motu loquuntur, quam ſi putarent, vires motrices corporibus reipſa ineſſe. Agnoſcunt ſiquidem in quolibet corpore in gyrum acto & vim centripetam, & vim centrifugam, quam etiam velut ex ipſo motu circulari genitam conſiderant: fatentur, motum compoſitum ex concurſu plurium virium ſecundum diverſas directiones corpus aliquod impellentium oriri: contendunt, quantitatem vis vivæ, motus, actionis, momenti (his enim omnibus utuntur nominibus ad rem eamdem deſignandam) ex ſimplici velocitate in maſſam eſſe æſtimandam: ut ut igitur adeſſet ratio mutationum corporum, ſi ſolius DEI immediata actione hæ perficerentur, ea tamen ratio ſufficiens ultima, univerſalis, divina proximas non excludit, peculiares, creatas actiones.

12. Ob. ultimo. Exprimi poteſt vis corporis motrix per diagonalem quadrati: hæc autem vis reſolvi pariter poteſt in duo latera quadrati, quæ ſunt diagonali majora: atqui impoſſibile eſt, vim minorem in majorem vim poſſe reſolvi: eſt ergo impoſſibilis in corporibus vis motrix.

13. Reſp. primo. Argumentum propoſitum in ipſos Carteſianos poteſt retorqueri: nam quamvis in eorum opinione DEUS ſit cauſſa ſolitaria motus corporum; movet tamen DEUS corpora ſecundum leges ab ipſo ſtatutas. Una autem motus lex eſt: *Non plus motus transferri ab uno corpore in aliud, quam amittatur ab illo, ex quo transfertur*: ex hac porro motus lege conſequitur, non poſſe corpus quantitate motus, puta ut 4., præditum, producere motum ut 6. Hæc apud ipſos Carteſianos ſunt certa: atqui, attento argumento in objectione allato, corpus vi motrice expreſſa per diagonalem alicujus quadrati ornatum, motum producere poſſet duobus

tas, tanquam modus, inhæret; perinde, ut extenſum eſt ſubjectum, cui, tanquam modus, figura inhæret : eo ipſo vero vis motrix in corpore,

tan-

---

bus lateribus proportionalem : ergo & ipſi Carteſiani ſolvere tenentur argumentum, quod nobis opponunt.

14. Aliæ, eæque plures ſunt reſponſiones, quæ allato argumento a Philoſophis aptantur. Reſpondent aliqui, vim motricem corporis deſignatam per diagonalem quadrati non eſſe minorem vi expreſſa per bina latera, quia vis motrix quadrato velocitatis in maſſam corporis ducto correſpondet : at quadratum diagonalis eſt æquale quadratis laterum ex prop. 47. lib. I. Eucl.: dum ergo reſolvitur vis per diagonalem in latera, in vim majorem minime reſolvitur. Reſpondent alii, vim per diagonalem eſſe vim compoſitam ex duabus viribus per latera quadrati deſignatis, quæ tamen perfecte non ſunt conſpirantes, ſed partim ſe impedientes : unde non mirum, ſi motus, quem producunt vires conjunctæ, non æquet ſummam motuum, quos ſeorſim producunt. De hoc argumento iterum in Phyſica.

15. Huic quæſtioni finem impono unam proponendo quæſtiunculam pro more apud Nevvtonum in Optica recepto. Vis Motrix, quæ nonniſi tranſeunter corporibus communicatur, dici ne debet modus de novo corpori adveniens, an vis motricis corporis propriæ nova modificatio?

16. Reſp. Præter vim motricem, nempe gravitatem, quam conſtanter ineſſe corporibus deprehendimus, & qua corpora cuncta deorſum feruntur, ſæpe vim quamdam veluti adventitiam in corporibus obſervamus.

„ Corpoream ſurſum ferri, ſurſumque meare ſubſtantiam projectam experiuntur omnes. Hæc vis projectilis non ineſt conſtanter corporibus, cum ante projectionem iiſdem non ineſſet, & paullatim evaneſcat. Hæc vis adventitia, ſeu ſecundaria, quædam eſt vis, quæ vel communicatur corpori a projiciente, ſive impellente, & erit modus; vel eſt modificatio gravitatis a projiciente facta. Probabilius videtur, vim motricem corporum eſſe determinatam, atque ab aliis determinabilem : quia vis motrix eſt determinata, deorſum

cun-

tanquam quid perdurabile, per integram materiam diffuſum, atque per celeritatem, & directionem modificabile concipienda eſt.

24. Vis motrix vario ſeſe modo in corporibus habet: nunc ipſa exerit ſe, & in actum prorumpit; nunc vero impeditur ita, ut actio non ſequatur. In priori caſu *Vis* dicitur *viva*, in altero *mortua*.

SCH. Probe hoc diſcrimen, cujus auctor Leibnitius, eſt notandum ad ſolvendas, & tollendas difficultates, quæ contra vim motricem moventur. Corpora nempe, etiamſi quieſcant, vi motrice prædita ſunt, ſed mortua, non vero viva. (76)

25.

---

cuncta feruntur, vel ferri nituntur: quia vero eſt determinabilis, debent corpora quoque poſſe per auras ſurſum ſuccedere, quamquam

„ Pondera, quantum in ſe eſt, deorſum deducere pugnent.

(76) Leibnitianam hanc vis vivæ definitionem non omnes admittunt. Concedunt quidem, vim vivam eſſe vim cum motu conjunctam; at hoc uno vis vivæ naturam negant contineri. Quid ergo eſt vis motrix per iſtos Philoſophos? Ea nempe, quæ motum facit, ideſt, quæ movet corpora; ſiquid aliud faciat, non erit motrix, ſed quid aliud: eatenus enim motrix dicitur, quatenus movet. Quid porro vis viva? Nempe ea, qua corpus motum efficit aliquid, quæque in effectu edendo abſumitur. Nam licet non eodem modo ab omnibus definiatur; definitiones tamen pleræque huc redeunt; neque ſi ex iis, quæ de vi corporum viva diſputari a Phyſicis ſolent, definire eam velis, definitio exiſtet alia. Quod ſi ita eſt, quid diverſum magis, quam vis viva a vi motrice? Nam cum vis motrix motum creet, non ipſa ex motu eſt, ſed motus ex ipſa, & motum antecedit: vis autem viva, cum ſit ea, quam corpus habet ex eo, quod movetur, ipſa ex motu eſt, & motum ſequitur. Conſulantur Acta Acad. Bonon.

tom.

Digitized by Google

25. Notio corporis, qua tanquam compoſitum vi reſiſtendi præditum concipitur, incompleta eſt (Schol. §. 22.): anne autem completa erit, ſi vis motrix adjungatur, corpusque dicatur *Compoſitum vi reſiſtendi, atque movendi præditum?* Equidem, ſi nulla aſſignari potuerit in corpore mutatio, cui debite, ac intelligibiliter explicandæ illa non ſufficiat, nihil dubii remanere poterit, quin notio ſit completa: atqui vero clara phœnomena mutuorum acceſſuum, ac repulſionum ſuppetunt, quæ per vim motricem ſupra expoſitam adhuc nemo ſatis explicavit. Quid itaque? Num præter illam aliæ adhuc vires in corpore ponendæ? Nondum ita concludendum. Per vim motricem nemo adhuc phœnomena mutuorum acceſſuum &c. apte explicavit: ſed nempe forte ideo, quia regulæ, ac leges, juxta quas vis illa modificatur, ſicque modificata agit, nondum omnes cognitæ, ac perſpectæ ſunt: forte alia ſuperſunt, quæ ſi cognitæ forent, facerent, ut ex vi illa hæc etiam phœnomena explicari poſſent; ſin minus, tum enimvero fatendum omnino, notionem illam mancam adhuc, ac incompletam eſſe.

SCH. Quod ad nos attinet, alibi oſtendemus, dari mutuos corporum acceſſus, ſeu, ut ajunt, attractiones, itemque repulſiones, ac tales quidem, quæ per vim motricem juxta adhuc cognitas regulas operantem ſeſe explicari non patiuntur: igitur ad alias vires confugie-

---

tom. 2. *par. altera pag.* 398. Nonnulli ſunt Philoſophi, qui vim vivam vel confundunt cum vi inertiæ, vel vires vivas in corporibus nullas eſſe contendunt, uti videre eſt in Diſſert. P. Boſcovichii, quæ laud. Acad. Bonon. tomo legitur.

giemus: ingenue tamen Nevvtoni exemplum ſectantes fatebimur, nobis non conſtare, ſitne iſtæ diverſæ ab illa, necne; quod ipſum autem vitioſum minime videri poterit, ut ex dicendis porro patebit.

26. Vis motrix, & ſi quæ aliæ vires activæ in corpore tanquam a vi motrice diverſæ admittendæ cum materia *Naturam corporis* abſolvunt: unde a Veteribus natura *principium motus*, & *quietis* appellata eſt.

27. Tam vis motrix, quam materia in corpore instar substantiæ sunt concipienda. Subſtantia enim dicitur ſubjectum perdurabile modificabile (§. 200. Ontol.): de vi motrice jam oſtenſum eſt, eam inſtar ſubjecti perdurabilis modificabilis concipiendam eſſe (§. 23.), idemque de materia etiam facile agnoſcimus ex dictis (§. 21.): ambo proinde inſtar ſubſtantiæ concipienda ſunt.

SCH. Conſulto dicimus, vim motricem æque ac materiam inſtar ſubſtantiæ concipienda eſſe, quod ipſum quidem phœnomena ſuadent, & expoſcunt. Enimvero ex paullo poſt dicendis patebit, nec materiam, nec vim motricem in proprio ſenſu ſubſtantiam eſſe, ſed eſſe aliud quid, quod corpori cuilibet ſubſtantialitatem largitur, quodque rationem præbet, cur tum materia, tum vis motrix inſtar ſubſtantiæ appareant.

CA-

CAPUT III.

De Elementis corporum, horumque ex illis ortu.

28. Corpora ſunt entia compoſita, quæ ſi in partes, ex quibus conſtant, reſolvuntur, hæ adhuc ex partibus minoribus conſtare obſervantur: reſolutione, ac diviſione continuata, ad tam minutas particulas devenitur, ut quidem ſenſum non armatum fugiant; per Microſcopium tamen extenſæ adhuc, conſequenter ex aliis minoribus compoſitæ deprehendantur. Enimvero cum nihil ſine ratione ſufficiente ſit, ipſius etiam compoſitionis ratio detur, eſt neceſſe: atqui vero non dabitur, quamdiu partes ex aliis minoribus, iisque compoſitis conſtare dicentur, quæſtione ſemper reſidua, unde hæ partes minores ortum trahant? Igitur colligimus admittenda eſſe ſimplicia, unde corpora demum ortum ducunt. (77)

(77) Etiam ante inventum Microſcopium corpora quælibet ex minimis particulis coaleſcere cecinit Lucretius lib. IV. inquiens

„ - - - - - - Exordia rerum
„ Cunctarum quam ſint ſubtilia percipe paucis.
„ Primum animalia ſunt jam partim tantula, eorum
„ Tertia pars nulla ut poſſit ratione videri.
„ Horum inteſtinum quodvis quale eſſe putandum eſt?
„ Quid? cordis globus, aut oculi: quid? membra: quid? artus:
„ Quantula ſunt? Quid? præterea primordia quæque: . . .

„ Non-

*SCH. Docuimus alibi, in ſerie quacumque cauſſarum contingentium non contineri rationem ſufficientem, ut vel unus aliquis effectus actu exiſtat, requirique adeo cauſſam aliam, quæ contingens non ſit. Eodem proinde plane modo argumentandum, ac ſtatuendum adhuc, ut corpus tanquam ens compoſitum actu habeatur, & exiſtat, requiri partes, quæ compoſitæ non ſint *.*

29. Eſſentia corporis conſiſtit in modo, quo datæ partes conjunguntur (§. 15.), conſequenter non involvit, niſi partium magnitudinem, ſitum, & earundem qualitates derivativas, attributa ſcilicet, & modos, præciſa ratione, cur illis inſint. Enimvero hæc non niſi accidentia ſunt (§. 201. Ontol.): ESSENTIA proinde CORPORIS NON NISI MERIS ACCIDENTIBUS ABSOLVITUR.

30. IN CORPORIBUS NIHIL DATUR SUBSTANTIALE PRÆTER ENTIA SIMPLICIA. Primo enim eſſentia corporis non niſi meris accidentibus abſolvitur (§. præc.); porro autem quæcumque præter eſſentiam corpori tribuuntur, tribui nequeunt, niſi ſuppoſita eſſentia (§. 59., & 62. Ontol.): ipſa ergo etiam non niſi accidentia ſunt (§. 201. Ontol.): quoniam autem accidentia ſunt entia in alio, ſeu dependentia a ſubjecto (§. cit. Schol.), præter eſſentiam, & attributa aliquid ſubſtantiale detur in corpore, eſt neceſſe: corpora conſtant ex ſimplicibus (§. 28.): igitur ſimplicia ſunt illud ſubſtantiale: proindeque &c.

SCH.

---

* ,, Nonne vides quam ſint ſubtilia, quamque minuta? Si lucretianum hoc argumentum animalculis illis, quæ microſcopica dicuntur, aptetur, ingens illi pondus acceſſerit.

SCH. Paſſim reperias, qui, quod in corporibus ſubſtantiale eſt, non niſi abſolute concipi poſſe ajunt; ſed nempe ii ſunt, qui entium ſimplicium eſſentiam, corporumque ex ſimplicibus ortum non perſpiciunt.

31. Igitur nec materia, neque vis motrix, neque alia quævis ſubſtantiæ ſunt, licet ſubſtantiæ appareant.

32. Corpora sunt substantiarum aggregata, convenienterque dicuntur substantiæ compositæ. Quippe corpora oriuntur, & conſtant ex ſimplicibus, quæ ſubſtantia ſunt (§. 30.): ipſa ergo ſunt ſubſtantiarum aggregata; perinde fere, ut numeri ſunt unitatum aggregata. Quod erat primum.

Uſu receptum eſt, ut corpora ſubſtantiæ dicantur, a quo non recedendum, ſi modo ſignificatus vocis veritati conformiter ſatis determinetur: quod ſi corpora dicantur ſubſtantiæ compoſitæ ſatis vox ſubſtantiæ determinatur ad ſignificandum aggregatum ſubſtantiarum, quale re ipſa quodlibet corpus eſt (per part. priorem), ita ut periculum non ſit, quod corpus pro ſubſtantia proprie tali, qualis ſolum eſt ens ſimplex, habebitur: convenienter ergo corpora dicuntur ſubſtantiæ compoſitæ. Quod erat alterum.

33. Si quæ in corpore vis datur, ea ex viribus simplicium resultare debet. Ponamus vim dari in corpore, quæ ex viribus ſimplicium non reſultat, ita dari debebit, ut ejus ratio in eſſentia contineatur: enimvero nullius vis ratio ſufficiens in eſſentia corporis continetur, quod pridem adnotavit Carteſius, hincque vim corporibus omnem denegavit: igitur ſi datur vis in cor-

 pore,

pore, ea non niſi ex viribus ſimplicium reſultare debet.

34. Nomine *Elementorum* corporum veniunt *Principia intrinſeca, quæ ita prima dici merentur, ut reſolubilia non ſint*, ſive, *ut ab aliis intrinſecis in alia principiis non dependeant*.

SCH. Eſt hæc definitio elementi conformis menti Ariſtotelis, qui L. 5. Mataph. Cap. 3. hæc ad elementum requirit: 1. ut inſit in ipſa re: 2. ut ſit primum: 3. ut ſit in alia irreſolubile.

35. Quoniam tam materia, quam vis motrix ab aliis dependent (§. 21. & 33.), liquet, IPSA PRO ELEMENTIS CORPORIS HABERI NON POSSE.

36. ENTIA SIMPLICIA SUNT ELEMENTA CORPORUM. Corpora enim conſtant ex ſimplicibus; ſunt ergo ſimplicia corporum principia, & quidem intrinſeca: porro carent ſimplicia partibus (§. 173. Ontol.), conſequenter in alia irreſolubilia ſunt; igitur principia prima ſunt: principia intrinſeca prima ſunt elementa (§. 34.): proinde entia ſimplicia ſunt elementa corporum.

37. Igitur ad elementa corporum applicanda ſunt quæcumque de ſimplicibus in Ontologia tradita, ſtabilitaque ſunt: univerſim ſtatuendum, elementa corporum ab ipſis corporibus, ſeu rebus materialibus prorſus differre; proindeque alias omnino competere qualitates elementis, quam corporibus, ſive rebus materialibus.

38. Cum elementa ſint principia prima corporum, patet, in ipſis rationem contineri eorum, quæ corpori conveniunt, & quidem ita, ut rationes ulteriores requirere non liceat; hoc eſt: IN ELEMENTIS CONTINENTUR RATIONES ULTIMÆ EORUM, QUÆ CORPORI CONVENIUNT.

39.

39. Elementa corporum vi quadam prædita sunt. Etenim corpora viribus prædita deprehenduntur; quæcumque autem vis in corporibus datur, ea ex viribus ſimplicium reſultare debet: vis ergo quædam ſimplicibus inſit, oportet.

40. Hæc vis in elementis facit 1. ut unumquodque alteri diſſimile, atque adeo extra ipſum ſit, niſi extrinſecum quid prævaleat: 2. ut cum his potius, quam aliis, atque hoc modo potius, quam alio, ſimul ſit, niſi pariter extrinſecum quid obſtet. Inde autem fundamenta demum nanciſcimur iis ſatisfaciendi, qui ideo adhuc veriti ſunt, aut etiamnum verentur ſimplicia pro elementis corporum habere, quod ex ſimplicibus extenſum oriri non poſſe videatur. Quid nempe ad extenſum requiritur, niſi partes diffuſæ, & inter ſe ad conſtituendum unum conjunctæ (§. 144. Ontol.)? Atqui adſtructa vi in elementis, ſatis patet, tum ipſorum diffuſionem, tum conjunctionem haberi poſſe: ex ipſis ergo extenſum oriri poteſt. Id modo nemo petiverit, quæ, qualisve illa vis ſit; hanc enim in ſpecie determinare non audemus: unde etiam ultro fatemur, extenſum, quale ex ſimplicibus oritur, non niſi in numerum phœnomenorum eſſe referendum.

SCH. Probe notes velim, phœnomenon *hic nobis ſignificare* aliquid, quod quidem exiſtit, diſtincte tamen non cognoſcitur. *Minime ergo Idealiſtis favemus, qui voce phœnomeni indicant, quod non exiſtit, ſed ſolum exiſtere apparet.*

41. Sunt alia ſimplicia, quæ *Puncta Zenonica* vocantur, & cum punctis mathematicis in idem recidunt: hæc præter carentiam partium nullam aliam determinationem intrinſecam admittunt;

con-

conſequenter in ipſis nihil habetur, ex quo intelligi poſſit, cur ipſa extra ſe invicem ſint, & hoc non obſtante inter ſe uniantur; neque adeo ex iis extenſum oriri poteſt.

42. Contra extenſum ex ſimplicibus ortum maxime hoc militare videtur, quod, eo admiſſo, receptiſſima in Geometria dogmata ſubvertantur. Nonne linea tanquam extenſum in longum terminatur punctis, & nominatim linea recta æque jacet inter ſua puncta? quælibet linea bifariam dividi poteſt? minor in tot partes proportionales diviſibilis eſt, in quot major alia? diagonalis quadrati commenſurabilis non eſt lateri? &c. Quod ſi autem extenſum ex ſimplicibus ortum ſumitur, fieri ſane poterit, ut hæc non obtineant.

Sed enim ſupra jam monuimus (§. 148. Ontol.), extenſum nunc ſpectari in abſtracto, nunc in concreto, illudque eſſe objectum Geometriæ, iſtud Coſmologiæ, & Phyſicæ. Scilicet Geometra non niſi magnitudinis in extenſo rationem habet: hinc ipſum extenſum ſpectat ceu conflatum ex partibus, quarum determinatio ab arbitrio pendet, & quæ adeo tantum poſſibiles ſunt, neque in certa, ac determinata magnitudine ſimul eſſe poſſunt: in extenſo itaque geometrico partes non diſcernuntur; ideoque nihil impedit, quominus imaginaria diviſio ubicumque inſtituatur. Ex adverſo extenſum in concreto, & phyſicum, partibus conſtat, quæ ſingulæ certa, determinataque ratione diſtinctæ ſunt, ac diſcernibiles, unoque nomine *actuales* vocantur; in iis igitur diviſio pro arbitrio inſtitui nequit. Atque hoc obſervato diſcrimine, continuo innoteſcit, quid ad allata reponendum ſit: dicendum nempe geome-

metrica illa enunciata prorſus veritati conformia eſſe, quatenus referuntur ad extenſum geometricum, ſeu in abſtracto ſumptum; ſed cavendum, ne abſolute intelligantur, aut extenſo phyſico, ſeu in concreto accepto attribuantur, cujus alia omnino, ac prorſus diverſa natura, & indoles eſt. (78)

43.

(78) Plura ſunt alia, quæ contra hanc Auctoris opinionem militare videntur. Nonnulla pro more proponam heic, & ſolvam.

1. Objiciunt I. Corpus, ſeu extenſum ex entibus ſimplicibus nequit conſurgere; entia enim ſimplicia indiviſibilia ſunt (ex §. 37.): atqui ex indiviſibilibus nequit corpus conſurgere: ergo &c. Minor ex eo conſtat, quod indiviſibile additum indiviſibili non efficit majus, & extenſius, quia, quod omni prorſus magnitudine caret, & extenſione, additum nequit facere majus quid, & extenſius. Hoc vero ſic probatur: Pars non affert toti, quod ipſa non habet: adeoque &c. Sic quemadmodum infiniti cæci, quia carent facultate videndi, efficere unum videntem non poſſunt, & infiniti Angeli, quia carent corpore, nequeunt unum compoſitum extenſum conſtituere; ita quia entia ſimplicia extenſione carent, corpus nequeunt conſtituere. Hoc idem argumentum diverſo modo proponit Volterius in Metaph. Nevvtoni. En illud paucis. Nulla datur proportio inter ens ſimplex, & extenſum: quemadmodum igitur nequit aurum e. g. ex ferreis, plumbeis, terreſtribus micis concreſcere, ita neque ex ſimplicibus extenſum.

2. Reſp. Negatis reſpective propoſitionibus, ut ratio poſtulat, diſtinguo ultimum antecedens: pars non affert toti, quod ipſa non habet, poteſt tamen ex unione partium conſurgere totum, quod ſit ſubſtantiarum aggregatum, ſi partes ſint ſubſtantiæ, conc. ant.; ſecus, nego ant., & conſequentiam. Quamvis entia ſimplicia non ſint ſubſtantiarum aggregata, ſunt tamen ſubſtantiæ; & hinc ſi plura entia ſimplicia ad invicem uniantur, aggregatum ſubſtantiarum, ſive corpus (ex §. 32.) conſurget. Et ſane quid eſt corpus, ſive ſubſtantia exten-

43. In numerum phoenomenorum referenda etiam est vis quævis primitiva, quæ in corpore datur. Cum enim ipſa ex viribus ſimplicium

---

tenſa? Id eſt corpus per omnes Philoſophos, quod partes habet extra partes; ſive quarum una extra alteram exiſtit: atqui entia ſimplicia ad invicem unita ſubſtantiarum aggregatum componunt, quarum una extra alteram exiſtit: ergo &c.

3. Nec vero debent elementa primitiva alicujus compoſiti naturam compoſiti ejuſdem habere. Fortene partes oculum componentes, oculi eſſe debent? Parteſne manum componentes, debent eſſe manus? Parteſne componentes exercitum, debent exercitus eſſe? Nonne numerus ex unitatibus, quæ numerus non ſunt, exſurgit? Niſi ergo velimus ridendam Anaxagoræ homoeomeriam in Nota (37) ad §. 118. Ontol. indicatam admittere, fateri cogimur, partes aliquod totum componentes totius non habere naturam. Immo vero potius dicendum, primitiva corporum elementa compoſita eſſe non poſſe, ſive extenſa; ſecus compoſitionis ratio nulla haberetur (ex §. 28.). Præterea niſi primitiva corporum elementa ſint ſimplicia

„ - - - - - Parviſſima quæque
„ Corpora conſtabunt ex partibus infinitis;
„ Quippe ubi dimidiæ partis pars ſemper habebit
„ Dimidiam partem, nec res perfiniet ulla.
„ Ergo rerum inter ſummam, minimamque quid eſcit?
„ Non erit ut diſtent; nam quamvis funditus omnis
„ Summa ſit infinita: tamen parviſſima quæ ſunt
„ Ex infinitis conſtabunt partibus æque.
„ Quoi quoniam ratio reclamat vera, negatque
„ Credere poſſe animum; victus fateare neceſſe eſt,
„ Eſſe ea, quæ nullis jam prædita partibus extent.

4. Si ergo extenſum nonniſi ex ſimplicibus coaleſcit, maxima debet eſſe inter ens ſimplex, & compoſitum proportio: ſecus enim compoſitum eſſet impoſſibile. Ad Volterii paritatem reſp. retorquendo contra ipſum argumentum. Quemadmodum parviſſima corpuſcula, quæ tamquam ſecundaria elementa jure habentur, aurum componentia, non ſunt aurum; ſed dici tantum poteſt,

cium reſultet (§. 33.), vires autem ſimplicium diſtincte non perſpiciantur, patet, hanc quoque diſtincte non perſpici.

44.

---

teſt, ex illorum corpuſculorum tali combinatione aurum conſurgere: ita a pari, quamvis primitiva compoſiti elementa compoſita non ſint, compoſitum tamen poterunt componere.

„ Jamne vides igitur, paullo quod diximus ante,
„ Permagni referre, eadem primordia ſæpe
„ Cum quibus, & quali poſitura contineantur?
„ Et quos inter ſe dent motus, accipiantque?
„ Atque eadem paullo inter ſe mutata creare
„ Ignes e lignis? Quo pacto verba quoque ipſa
„ Inter ſe paullo mutatis ſunt elementis,
„ Quum ligna, atque ignes diſtincta voce notemus.

5. Patet hinc clariſſime, quorſum infiniti cæci ad invicem uniti unum nequeant efficere videntem: unio enim eorum phyſica non eſt, ſed moralis: & ex ea organorum vitium non emendatur. Num tute dicatur, ex pluribus Angelis compoſitum poſſe conſurgere, affirmare non audeo. Aliquos ſcio philoſophos admittere, poſſe corpus ex pluribus ſpiritualibus ſubſtantiis efformari. Incertus ego fluctuo. Quidquid affirmetur, inde jam reſponſio allato conſequitur argumento: nam ſi Angeli plures ad invicem uniti queunt corpus componere, cur non & monades Leibnitianæ? Si autem compoſitum ex Angelis coaleſcere nequit, hoc ideo eſt, quia unione phyſica non poſſunt ad invicem uniri; quod entia ſimplicia (ex §. 40., & ex mox dicendis) poſſunt præſtare.

6. Objiciunt II. Nequeunt entia ſimplicia ita uniri, ut extenſum ex illis conſurgat; nam ſi entia ſimplicia ad invicem copulentur, ſe debent ſecundum ſe tota tangere. Hinc vero nihil unius emerget extra aliud; & non erunt continua, ſed penetrata.

7. Reſp. Simplices ſubſtantiæ, quæ primitiva ſunt corporum elementa, non ita uniuntur ad invicem, quaſi ſecundum aliquas facieculas ſe tangant, & cava conveniant plenis, & plena cavis, qua unione ſaxa calce concreſcunt, atque

„ Glutine materies taurino ita jungitur una,

„ Ut

44. Corpus, *quod ſenſu nudo, vel armato percipi poteſt, obſervabile; quod* vero *ita exile eſt, ut ſenſum effugiat, inobſervabile*, ſeu alio, eoque uſitato nomine

---

„ Ut vitio venæ tabularum ſæpius hiſcant,
„ Quam laxare queant compages taurea vincla.

Mechanica eſt hujuſmodi unio, quam nec admittunt, nec admittere poſſunt entia ſimplicia: qua ergo unione hæc conglutinantur? Nempe unione illa, quam A. indicat §§. 144. 145. Ontolog., & §. 40.; uniuntur enim entia ſimplicia ad invicem per vires activas, quibus ſunt ornata, quatenus unum, inquit Vvolffius, vi ejus, quod ipſi inexiſtit, alterius exigit coexiſtentiam juxta ſe potius, quam alterius cujuſcumque, vi quidem ejus, quod eidem inexiſtit. Prima parviſſima compoſita, quæ ex entibus ſimplicibus coaleſcunt, continua vere dici, ex ipſa continui definitione, quam poſt Vvolffium tradit A. §. 145. Ontol., poteſt non obſcure deduci: quid enim entia ſimplicia ita inter ſe uniri vetat, ut nullum aliud interponi queat, niſi unione ſublata? Nemo tamen idem de corporibus aliqua magnitudine præditis dicendum eſſe credat: etenim

„ - - - - - Quamvis ſolidæ res eſſe putentur;
„ Hinc tamen eſſe licet raro cum corpore cernas:
„ In ſaxis, ac ſpeluncis permanat aquarum
„ Liquidus humor, & uberibus flent omnia guttis:
„ Diſſipat in corpus ſeſe cibus omne animantum,
„ Creſcunt arbuſta, & fœtus in tempore fundunt:
„ Quod cibus in totas uſque ab radicibus imis
„ Per truncos, ac per ramos diffunditur omnes:
„ Inter ſepta meant voces, & clauſa domorum
„ Tranſvolitant: rigidum permanat frigus ad oſſa:
„ Quod niſi inania ſint, qua poſſent corpora quæque
„ Tranſire, haud ulla fieri ratione videres.

Corpuſcula itaque primitiva, ſecundum definitionem Auctoris §. 44. ſequenti, continua dici poſſunt; non item corpuſcula derivativa.

8. Objic. III. Non effugiunt Vvolffiani incommodum, ad quod vitandum entia ſimplicia ſunt conficta: neque enim entium ſimplicium admiſſio evitat proceſſum in infinitum. Enimvero entia ſimplicia ſunt infinite parva: nu-

ne, *Corpuſculum* dicitur. Sunt corpuſcula alia *primitiva*, *quæ immediate ex ſimplicibus*; alia *derivativa*, *quæ ex aliis minoribus componuntur*, *in eaque reſolubilia ſunt*.

SCH.

---

numerus ergo eorum infinitus eſt neceſſarius, ut ſpatium finitum replere queant.

9. Reſp. Quum notio vulgaris *magni*, & *parvi* non niſi extenſo poſſit accomodari, entia ſimplicia, utpote abſolute inextenſa, nec magna, nec parva dici debent: ſi autem ſunt inextenſa non ſunt in ſpatio (ex Nota (42.) ad §. 158. Ontol.): ſi ergo primitiva elementa in ſpatio non ſunt, neque numerus eorum infinitus erit neceſſarius, ut ſpatium repleant finitum.

10. Ojic. IV. Subſtantia omnis vel ſpiritualis eſt, vel corporea; quod enim eſt, inquit Seneca ep. 59., aut corporale eſt, aut incorporale: atqui entia ſimplicia nec ſpiritus ſunt, nec corpus: ergo &c.

11. Reſp. Dividere ſubſtantiam quamlibet in ſpiritum, & corpus, perinde eſt, ac ſi cæcus divideret omnes ſenſus in olfactum, guſtum, & tactum, inquit Nevvtonus. Animæ profecto brutorum non ſunt corpora, neque ſimplices ſubſtantiæ intellectu, ac voluntate præditæ: ergone ſunt entia imaginaria? Igitur præter ſubſtantias intellectu, ac voluntate præditas, ſive ſpiritus, & corpora, ſubſtantias ſimplices admittimus, quarum aliquæ imaginatione gaudent, ſenſatione, memoria ſenſitiva, uti ſunt animæ brutorum: aliæ vero nulla vi perceptiva ſunt ornatæ, ſed vi activa tantum: hæ porro ſimplices ſubſtantiæ illæ ſunt, quas primitiva corporum elementa cum Auctore dicimus. Illud tandem Senecæ: Quidquid eſt vel corporale eſt, vel incorporale, ſic commode intelligitur: Omne, quod eſt, vel ſimplex eſt, vel compoſitum.

12. Hæc ſunt, quæ directe contra Auctoris ſententiam de corporum elementis primitivis militant. Proponamus modo, quæ indirecte ab aliquibus proponuntur. In triplici claſſe collocari iſta poſſunt. Putant aliqui, primitiva corporum elementa eſſe quidem ſimplicia, ſed ſimul extenſa volunt. Dicunt alii, partes actu infinitas in quolibet corpore eſſe admittendas, atque hinc

SCH. Vulgo non agnoſcuntur corpuſcula, niſi derivativa; unde corpuſculum omne tanquam compoſitum ex aliis minoribus ſpectatur: neque adeo alius modus com-

---

hinc corruere præcipuum Vvolffianorum argumentum ab A. §. 28. propoſitum. Alii tandem affirmant, nullam extenſionis quærendam eſſe rationem, quia extenſio eſt corporis eſſentia.

13. Contra primam ſententiam ea faciunt, quæ in Nota (42) ad §. 158. Ontol. primo loco diximus: etenim ſi primitiva corporum elementa ſimplicia ſunt, & extenſa; ſimplicitas ergo cum extenſione non repugnat; eritque adeo DEUS ſimplex, & extenſus; ſimplices item, & extenſi erunt Angeli, Animique noſtri. Hac autem ſemel admiſſa opinatione, quibus tandem argumentis contra Antropomorphitas demonſtrabimus, DEUM non habere extenſionem infinitam, caput infinitum, oculos infinite magnos, brachia, & pedes dimenſionis infinitæ? Quibus pariter argumentis contra Materialiſtas probabimus, Animam noſtram non eſſe materialem? Num ex perceptione? At Anima ſimplex quidem eſt, ſed ex hypotheſi extenſa; quod autem eſt extenſum eſt etiam quantum: quod eſt quantum habet partes: quod habet partes eſt compoſitum: quod eſt compoſitum materiale eſt, & corporeum: ſi ergo Anima eſt extenſa, materialis eſt, atque corporea. Præterea quod eſt extenſum, eſt figuratum; quod enim eſt extenſum extenſionis habet limitem, in quo figura conſiſtit: at quod eſt figuratum partes actu habet: quod actu partes habet ſimplex non eſt: ergo &c. Præterea ſi extenſa ſunt primitiva corporum elementa, qua demum gaudent figura? Sunt ne rotunda, anguloſa, ramoſa, adunca, oblunga, cylindrica, pyramidalia, gladiolorum inſtar acuta? Nihil reſpondent; ſed nec reſpondere aliquid poſſunt. Hoc idem argumentum contra Epicuri athomos proponit Emin. Polignaccus lib. III. Antiluc. v. 525., & ſeq.

„ Nunc, individuas igitur non eſſe, probandum;
„ Res acta eſt: etenim variis exſtare figuris
„ Dixiſti; poſſunt ſine partibus eſſe figuræ?
„ Fac tibi quadratas, teretes, triquetraſve licebit,
„ Plurimus extremas exaſperet angulus oras;
„ Sint

compoſitionis agnoſcitur, niſi qui per alia corpuſcula explicabilis eſt. Sed tum in labyrinthum compoſitionis, ac diviſionis continui inciditur, ex quo egredi non con-

---

„ Sint aliæ cuneis ſimiles, aliæque cylindris,
„ Spirales aliis flexus, vel acumina fingas;
„ Permultis hamus, mucro, vel adunca proboſcis,
„ Cornua, vel dentes, rami, perplexaque fila
„ Promineant; quaſdam ſpeculo magis effice planas:
„ Denique ad arbitrium forma, prout eſt opus, omni
„ Ut poſſint hærere modo, facilique coire
„ Congreſſu; da quoſque ſinus; da quaslibet anſas.
„ Tu pater, ac figulus: tandem necte, aſſue, texe:
„ Sed mihi ne minimas, ſic ut minus eſſe queat nil,
„ Neve aut compoſitas, immortaleſque profecto
„ Dixeris, utpote quæ non conſtent partibus ullis;
„ Et cum principiis careant ipſiſſima rerum
„ Principia, haud unquam in res ullas poſſe reſolvi.
„ Nam circumcidi poſſunt, fierique minora
„ Atque in perpetuum frangi, quæcumque figuris
„ Prædita ſunt. Ita quadratis mutare rotunda
„ Cædendo promptum eſt; iterum quadrata rotundis.
„ Quamque diu ſupereſt hamus, vel mucro, vel uncus,
„ Vel quæcumque poteſt athomum ſignare figura,
„ Semper ibi ſupereſt aliquid, quod radere poſſis.

14. Reponit tom. I. Phyſ. gen., & animad. 31. pag. 112. Ontol. P. Scarella, corpuſcula primitiva omnino continua partes actu non habere, ſed in potentia tantum, atque virtute. Docet hinc conſequenter corpuſculum continue extenſum actu eſſe ſimplex.

15. Nollem eruditum P. Scarellam mihi iterum ſubiraſci, uti non nihil fuit olim Profeſſori Philoſophiæ in Collegio Alberoniano S. Lazari ſubiratus, quod quædam in ſuis Concluſionibus anni 1759. contra ipſius propoſuerit opinionem, quod Nota (42) n.11. ad §.158. Ont. jam innui.

Non eadem ſentire duos de rebus iiſdem
Incolumi licuit ſemper amicitia.

Rerum primordia ſimplicia ſimul eſſe, & extenſa, Leucippo jam, & Democrito, & Epicuro viſum fuit; unde & Lucretius lib. I. probare conatur rerum ſemina ſolida eſſe, extenſa, & ſimplicia. Contra Pythagorei iſtud

ceditur propterea, quod nunquam in diviſione ad terminum ultimum, nec in compoſitione ad rationem ultimam perveniatur.

45.

---

iſtud eſſe impoſſibile arbitrabantur eo ducti argumento, quod idea extenſionis ideam compoſitionis neceſſario involvat, ut fuit a cl. P. Gerdillo in opere, cui titulus: *Introduzione allo ſtudio della Religione*, obſervatum: ubi etiam notat pag. 274. argumentum Pythagoreorum illud ipſum eſſe, quo poſtmodum ſuas propugnavit monades Leibnitius. Contra Epicureos quædam in hanc rem ſuperius jam diximus n. 13., quæ nonnihil etiam contra Scarellæ opinionem faciunt: corpuſculum enim continue extenſum vel quoſdam habet ſuæ extenſionis limites, vel nullos: ſi nullos, & tamen extenſum eſt; ejus ergo extenſio illimitata, ſeu infinita eſt; corpuſculumque adeo quodlibet corpus eſt infinitum, quod eſt abſurdum: ſi quoſdam habet ſuæ extenſionis limites; & figuram ergo aliquam habet, quæ vel aliud non eſt, quam extenſi limes, vel certe ex extenſionis limitibus reſultat: atqui quod eſt figuratum habet partes non ſolum in potentia, & virtute, ſed actu, ut cum Polignacco jam expendimus: corpuſcula ergo primitiva, ſi continue ſint extenſa, partes actu habent. Certe ſi corpuſcula primitiva eſſent extenſa non continue, partes utique actu haberent: quidni ergo partes habeant actu, etiamſi continue extenſa ſint? Notio continue extenſi non addit notioni extenſionis, niſi continuitatem: continuitas porro partes non deſtruit, ſed magis ſociat, copulat, nectit ita, ut nulla intercapedine ſejungantur.

16. Accedit ad hæc. Juxta Patrem Scarellam *cit. tom. I. pag.* 17. illud ens eſt compoſitum, quod partes habet in ſpatio exiſtentes; illud vero eſt ens ſimplex, cujus partes ſpatium non complent. Spatium juxta eumdem (ex Nota (42) ad §. 158. Ontol.) eſt DEI immenſitas: cum igitur omne ens ſive compoſitum, ſive ſimplex, ſit utique in DEI immenſitate, omne ens ſive compoſitum, ſive ſimplex, eſt in ſpatio; atque adeo & ejus partes, ſive actuales ſint, ſive virtuales, ſunt in ſpatio: corpuſculum ergo primitivum continue extenſum, habens iccirco partes non quidem actuales, ſed tamen virtuales, eſt ens,

quod

45. Corpora obſervabilia oriuntur ex derivativis corpuſculis ita, ut in horum qualitatibus, & modo, quo conjunguntur, ratio eorum, quæ

N 2 cor-

quod habet partes in ſpatio, adeoque ens compoſitum eſt. Præterea partes virtuales in ente extenſo concipi nequeunt, niſi in ordine ad diviſionem: poſſunt ſiquidem utcumque dici ante diviſionem virtuales, quæ per diviſionem ipſam actuales fiant: at partes iſtæ non poſſunt aliter virtuales ante diviſionem dici, & poſt diviſionem actuales, niſi ſenſu quodam improprio, & ſecundum apparentiam; reipſa tamen & ante diviſionem actuales eſſe debent: diviſio enim eſt unius ab altero ſejunctio, nec poteſt idem a ſe ipſo ſejungi: quare ſi partes, quæ virtuales dicuntur, ita ante diviſionem nominantur, & poſt diviſionem actuales; omnino oportet, eas & ante diviſionem reipſa actuales eſſe; alias nec ſejungi ab invicem poſſent. Tandem in extenſo, qua tali, non poteſt attendi, niſi quantitas molis, ſeu extenſionis, quæ ſane differt a quantitate virtutis: porro in quantitate molis, ſeu extenſionis, prout differt a quantitate virtutis, non poſſunt, niſi per notionem deceptricem, cogitari partes virtuales; ſed ſiquæ partes cogitantur, actuales illæ ſint, oportet: itaque in corpuſculo continue extenſo vel nullæ prorſus ſunt partes, vel quæ dicuntur partes virtuales vere ſunt actuales. Quid ergo? concludat & heic Polignaccus,

„ Quid rerum indagas exordia rebus in ipſis?
Simplicitatem in compoſitis?

17. Illi modo ſunt audiendi, qui putant, partes actu infinitas in quolibet parviſſimo corpuſculo contineri. Hi objiciunt I. „ Qui ſupra vulgus ſapiunt, inquit Nic. Martinus *lib.* I. *Elem. Algeb. num.* 419. „ ſtatuunt „ differentiam inter continuum, atque diſcretum, non „ modo ex unione, vel ſeparatione partium, ſed etiam „ ex earum numero, & multitudine; ita ut quantitas „ continua dicenda ſit, cujus partes non ſolum cohæ- „ rent ſimul „ verum etiam numero ſunt infinitæ: e „ contra quantitas diſcreta cenſenda ſit, quæ partes „ habet & numero finitas, & a ſe mutuo ſejunctas „.

18. Reſp. Philoſophi illi, qui acutiori naſo tantum inter

corporibus obſervabilibus conveniunt, contineatur. Hinc nata eſt *Philoſophia Corpuſcularis* in id intenta, ut, quæ corporibus convenire obſervantur, ex cor-

ter continuum, & diſcretum ſubodorati ſunt diſcriminis, non ſupra, ſed infra vulgus ſapere convincuntur. Quis enim oſtendit unquam, partium cohæſionem, quam continui natura requirit, omnino exigere, ut partes ſint numero infinitæ? Præterea quæ eſt notio continui? Continuum (ex §. 145. Ontol.) dicitur, ſi partes in compoſito juxta ſe invicem tali ordine ſint collocatæ, ut alias inter ipſas ordine alio interponi abſolute ſit impoſſibile, ſalva ſcilicet earumdem unione, qua unum extenſum efficiunt. Ex hac continui definitione, nullatenus certe conſequitur, eſſe debere illius partes vel infinitas, vel ſemper compoſitas, & diviſibiles. Ulterius. Quantitas, cujus partes ſimul cohærent, ab illa profecto ſecernitur, cujus partes a ſe mutuo ſunt ſejunctæ: quidni ergo continua quantitas a diſcreta diſtinguatur, etiamſi illius partes numero non ſint infinitæ, dummodo ſint invicem cohærentes? An ſi partes ſint finitæ numero, dicenda erit quantitas diſcreta, licet partes ſint invicem colligatæ? Minus recte igitur Martinus differentiam inter continuum, atque diſcretum non modo ex unione, vel ſeparatione partium vult eſſe repetendam, ſed ex earum quoque numero, & multitudine.

19. Objic. II. Multa ſunt argumenta ex Geometria petita, quæ ad probandum partes actu infinitas in quolibet extenſo contineri afferuntur a Muſchembroekio *Elem. Phyſ. Tom. I. cap. 2. pag.* 15., a Petro Martino *Inſtit. Philoſ. Natur. lib. I. cap. 6. p.* 53., a Deſaguliero *Phyſ. Experim. Lect. I. p.* 4., *&* 25., a Graveſando *Elem. Phyſ. Mathem. Lib. I. cap.* 4. *p.* 7. Nimis longum foret omnia heic proferre. Præter ea, quæ ab Auctore in hoc §. ſunt poſita, hoc unum addam, quod proponit Orlandus *in notis ad Muſchembroekium pag.* 19 Si fieri poſſet, ut ex inextenſis componeretur extenſio, præclariſſima Matheſeos diſciplina univerſa corrueret, & ipſe imprimis infiniteſimorum calculus, pro cujus inventionis laude tantopere dimicavit Leibnitius.

Digitized by Google

corpuſculorum qualitatibus, & modo conjunctionis eorundem intelligibiliter explicentur.

SCH. Corporum phœnomena intelligibiliter explicare N 3 *offi-*

---

20. Reſp. Non ſine cauſſa ſummos Viros improbam Geometriæ quoque operam dediſſe, fateor; non ideo tamen, ut inde demonſtrarent, partes actu infinitas in quolibet parviſſimo corpuſculo contineri; contendo immo hoc ex Geometria oſtendi, primitiva ſcilicet corporum elementa eſſe inextenſa. Videamus jam, quæ ſit ſecundum Geometras corporum geneſis. Primo concipiunt, inquit Nicolaus Martinus *in Diſſer. prælim. ad ſex lib. Geom. pla. Euc.*, punctum (ſive aliquod, quod magnitudinem nullam habet) fluere per planum aliquod; & quoniam puncti nulla eſt pars, nulla dimenſio, relinquetur fluxu ipſius in plano veſtigium ſolam longitudinem habens; atque adeo linea deſcribetur. Deinde lineam iſtam intelligunt moveri lateraliter, & quia motu iſto laterali accedit ei latitudo orietur ſuperficies, quæ longitudinem, & latitudinem habet. Denique ſuperficiem iſtam concipiunt moveri vel in altum, vel in profundum; & quia hac ratione adjungitur ei altitudo, ſeu profunditas, naſcetur corpus, quod longitudine, latitudine, & profunditate refertur. Ex quo patet, corporum elementa primitiva eſſe ſecundum Geometras puncta, ſive inextenſa.

21. Reſp. aliter. Concedo extenſionem quamlibet geometricam eſſe in infinitum diviſibilem, parteſque continere geometrice infinitas: notio enim geometrica extenſionis partes quidem continet coexiſtentes, & unitas, ſed imaginarias tantummodo, per mentem poſſibiles, & indeterminatas, non reales, actuales, determinatas: numerus quippe earum partium determinatus geometricam extenſionis notionem non ingreditur, ſed determinari poteſt, prout libuerit, quin ea notio deſtruatur. E. g. quum palmarem extenſionem ſpectat Geometra, poteſt, ſi illi libuerit, duas in illa partes determinare, ſi partis unius nomine velit ſumere medietatem, vel decem, vel centum, vel mille, prout illi libuerit unius partis nomine ſumere vel decimam, vel centeſimam, vel milleſimam totius extenſionis datæ partem. Quum ergo nil vetet, Geometram progredi, ut libuerit, in hujuſmo-

officium Phyſici eſt: ad ipſum ergo Philoſophiæ corpuſcularis culturam pertinere liquido cognoſcimus.

46. In Philoſophia corpuſculari, conſequenter in

---

juſmodi partium determinatione; ſiquidem aſſignabilis non eſt limes, ultra quem progredi amplius non poſſit; appellat iccirco Geometra extenſionem hoc ſenſu in infinitum diviſibilem, ſumitque, infinitas in qualibet extenſione contineri partes: id enim dicitur a Geometris infinitum, in quo nulli aſſignari poſſunt limites, ultra quos augeri amplius non poſſit. Hinc „ vocabulum *Infiniti* apud Geometras eſt modus loquendi exprimens „ plura, quæ nullo determinato numero comprehendi poſ„ ſunt „ inquit Vvolffius §. 805. Ontol. Immo vero infinitum geometricum eſt omnino impoſſibile (ex §§. 210. 211. Ontol.). Quapropter monet appoſite Johannes Baptiſta Duhamelius *in Philoſ. Vet.*, *& Nova tom. IV. tract. 2. diſſert.* 1. *cap.* 2. „ Geometras id ſupponere in ſuis „ demonſtrationibus, quod minime demonſtrant; ſed nec „ demonſtrare poſſunt; extenſionem ſcilicet, quam ſu„ munt realem eſſe, cum non ſit niſi imaginaria, qua„ lis ſpatio tribuitur. Suas ergo demonſtrationes ſibi „ ſervent Geometræ, nec ad Phyſicam eas transferant, „ quæ non lucem, ſed majores huic ſcientiæ offun„ dunt tenebras „. Non quod demonſtrationes geometricæ non magno ſint uſui in rebus phyſicis: ſed cavendum ſemper eſt, ne id, quod mens ſibi fingit, & quidem non ſine ratione, hoc ipſum ſimili prorſus modo in rerum natura ineſſe temere judicemus. Videatur etiam Genoveſius *Elem. Metaph. par. priore in Sch. ad prop.* 92. Quare qui partes actu infinitas in continuo, ſive in compoſito admittunt contineri argumentis geometricis æque videntur

„ Errare, atque illi, ſupra quos diximus ante.

22. Illos tandem audiamus, qui extenſionem dicunt eſſe corporis eſſentiam. In eo, inquiunt, corporis eſſentia conſiſtit, quo poſito, ponitur corpus, quo ſublato, tollitur & corpus: atqui poſita extenſione ponitur corpus, ea ſublata, tollitur: ergo &c.

23. Et huic difficultati facile fit ſatis. Corpus eſſentialiter eſt multitudo partium ad invicem unitarum (ex §. 118.

in Phyſica elementis opus non eſt; atque vel ideo citra errandi periculum, cujuſmodi ipſa ſint, ignoratur. Conſequens id ipſum fit ex hoc, quod Philoſophia corpuſcularis in hoc ſolum intenta eſſe debeat, ut corporum obſervabilium phœnomena intelligibiliter explicentur. Enimvero hæc intelligibilis explicatio petenda eſt a qualitatibus corpuſculorum (§. 45.), quæ ab elementis abſunt; elementis igitur opus non eſt; & cujuſmodi ipſa ſint, tuto ignoratur in Philoſophia corpuſculari.

SCH. *Non tamen ideo exiſtimandum, omnem de elementis tractationem inutilem eſſe; præterquamquod enim eorundem cognitio egregium uſum in Theologia Naturali præſtet, arcet etiam circa phœnomena generalia errores, qui plurima præjudicia gignunt, unde in Metaphyſicis difficultates oriuntur, e. g. labyrinthus de compoſitione, & diviſione continui, & in Phyſicis imaginaria Mathematicorum cum realibus confunduntur.*

§. 118. Ont., & ex §. 15.): ex illis porro partibus naturaliter oritur extenſionis phœnomenon. Atque hinc corpus connaturaliter ſaltem eſt extenſum (ex §. 16.). Realitas extenſionis, ſeu id, quod in extenſione reale eſt, ad eſſentiam corporis utique pertinet, cum ſit ipſa multitudo partium invicem unitarum: extenſio vero ut phœnomenon, hoc eſt, ut ſenſibus apparet, non equidem pertinet ad corporis eſſentiam: in hoc igitur peccant Carteſiani, quod phœnomenon extenſionis ab hujus realitate non diſtinguant. Ceterum ſi allatum Carteſianorum argumentum probaret extenſionem eſſe corporis eſſentiam, corporis quoque eſſentiam eſſe figuram eodem jure probaret; poſita enim figura, ponitur corpus, eaque ſublata, tollitur. Itaque eſſentia rei ex iis eſt determinanda, quæ Cap. III. Sect. II. Ontol. habet Auctor.

47. Qualitates aliæ vocantur *mechanicæ*, aliæ *phyſicæ*, aliæ denique *mixtæ*. Mechanicæ ſunt, *quæ per principia Mechanica explicabiles ſunt*; ſunt nimirum principia mechanica *figura*, *magnitudo*, ſive *moles*, *motus*, & *ſitus*. Phyſicæ ſunt, *quæ per principia phyſica explicabiles ſunt*: intelliguntur ſcilicet per principia phyſica certa *phænomena*, *quatenus ex iis aliorum phænomenorum ratio reddi poteſt*. Mixtæ denique ſunt, *quæ per principia partim mechanica, partim phyſica explicabiles ſunt*. (79)

48. Phyſicus non tenetur phœnomena in remotiſſima uſque principia reſolvere, ſed recte acquieſcit in proximis, quæ ſcilicet ſub ſenſus cadunt, legitimiſque experimentis innoteſcunt, maxime ſi periculum ſubeſt, ut ne in requirendis, & adſignandis prioribus, ac remotioribus a vero plurimum aberret. Qualitates phyſicæ ſunt ejuſmodi principia proxima, ex quibus phœnomena intelligibiliter explicari poſſunt (§. præc.): ad ipſas ergo Phyſicus recte confugit, atque ſi ratio ita fert, etiam in iis acquieſcit.

49. Ex quo demum ſpeciatim colligitur, nihil contra ſanam philoſophandi rationem peccari ab iis, qui Illuſt. Nevvtonum ſectantes vim mutuo ad ſe accedendi tanquam phœnomenon ſumunt pro principio ad alia phœnomena corporum intelligibiliter explicanda; neque porro ſolliciti ſunt, in quæ alia principia hæc vis forte reſolubilis ſit: agunt nempe id, quod a Phyſico recte agi poſſe quiſque cordatus fateri debet.

SCH.

(79) A Carteſianis exponuntur mechanica principia notiſſimis iis verſiculis, qui materiam a DEO in varias particulas diviſam comprehendunt, omneſque materiæ affectiones: „ Mens

SCH. Sane alii caſus aſſignari poſſunt, in quibus Phyſicus recte phœnomenon ſumit tamquam principium alia explicandi ita, ut in ipſo acquieſcat. Recte e.g. ſumit is elaſticitatem aeris, & ex ea rationem plurimarum, diverſiſſimorumque phœnomenorum reddit, quin teneatur hanc elaſticitatem in alia principia reſolvere, licet de ſe ipſa reſolubilis ponatur.

CAPUT IV.

De Natura univerſa, itemque de Naturali, & Supernaturali.

50. *Collectio virium per omnia corpora, tamquam Mundi partes, diſtributarum, Natura univerſa*, ſive *Natura rerum* dicitur.

SCH. Natura adeo terminus inanis quidem non eſt: cavendum tamen, ne tanquam ens a Mundo diſtinctum concipiatur, cum natura ſic concepta non niſi idolum imaginationis foret. Id autem porro de natura recte ſtatuitur, eam eſſe principium intrinſecum omnium mutationum, quæ in Mundo accidunt. (80)

51.

„ Mens, menſura, quies, motus, poſitura, figura
„ Sunt cum materia cunctarum exordia rerum.

(80) Inquit *de Placitis Philoſophorum lib. I. cap.* 30. Plutarchus:

„ Jam quod naturam mortales nomine dicunt,
„ Hoc nihil eſt; neque enim mortem natura, vel ortum
„ Humano præbet generi; nam mixtio tantum,
„ Mixtorumque ſubeſt quædam ſecretio rebus,
„ Idque homines vulgo naturam dicere ſuerunt. -

Lucretius item *lib. I. de rer. nat.* quibus rebus natura conſtet ſic exponit:

„ Omnis ut eſt igitur per ſe natura, duabus
„ Conſiſtit rebus; nam corpora ſunt, & inane;
„ Hæc in quo ſita ſunt, & qua diverſa moventur.

Na-

51. Vis quævis in corpore ſingillatim accepta non in quavis circumſtantia quemvis effectum producit, ut experientia unumquemque docere poteſt: id vero exinde provenire, quod ipſa nunc hoc, nunc alio modo limitetur, ac modificetur, ſicque modificata agat, recte, niſi vehementiſſime fallor, concluditur. Regulas, juxta quas modificationes illæ abſolvuntur, quaſque *regulas naturæ* appellare liceat, ſubinde in Phyſica dabimus; ubi quidem clariſſime patebit, eas nequaquam ex eſſentia corporum vi principii contradictionis manare: unde autem nunc jam tuto ſumi poteſt, eas ab abſoluta neceſſitate liberas eſſe.

52. *Naturale* in genere eſt, *cujus ratio in eſſentia, & natura entis continetur*. *Naturale* autem *in Mundo corporeo* dicitur, *cujus ratio in eſſentia, & natura corporum continetur*. Hinc facile colligitur, quid ex adverſo ſit *Supernaturale* tum in genere, tum in Mundo corporeo, nempe *cujus ratio in eſſentia, & natura entis, vel reſpective corporis non continetur*. Supernaturale reſpectu corporum etiam *Miraculum* dicitur.

53. OMNIS MUTATIO NATURALIS IN CORPORE PER MODUM, QUO PARTES CONJUNGUNTUR, EARUMQUE QUALITATES, AC REGULAS, JUXTA QUAS VIRES MODIFICANTUR, SIVE REGULAS NATURÆ, EXPLICABILIS EST: ET OMNIS MUTATIO, QUÆ ITA EX-

---

Naturam Peripatetici dividebant in *Naturam naturantem*, & *Naturam naturatam*: natura naturans eſt DEUS: natura vero naturata eſt *congeſtus omnium cauſſarum creatarum*. Natura definitur a Muratorio *in Philoſophia Morali*: „ Il compleſſo di tutte quelle leggi, per mezzo „ delle quali ogni coſa vien condotta al ſuo fine „.

EXPLICABILIS EST, NATURALIS EST. Eſt enim naturale, cujus ratio in eſſentia, & natura ipſius continetur (§. 52.); jam autem eſſentia corporis conſiſtit in modo, quo tales partes conjunguntur, & natura in viribus activis conſiſtit, quæ non agunt niſi juxta certas regulas modificatæ: mutatio ergo naturalis per modum, quo partes conjunguntur, earumque qualitates, ac regulas naturæ, explicabilis eſt. Quod erat primum.

Mutatio, quæ ita explicabilis eſt, ejus ratio indubitate in eſſentia, & natura continetur, ut ex modo dictis confici poteſt: eſt ergo naturalis (§. 52.). Quod erat alterum.

54. Igitur ex adverſo MUTATIO CORPORIS, QUÆ PER MODUM, QUO PARTES CONJUNGUNTUR, EARUMQUE QUALITATES, AC REGULAS NATURÆ EXPLICABILIS NON EST, MIRACULUM EST. Hujuſmodi mutationis ratio in eſſentia, ac natura corporis non continetur: conſequenter miraculum eſt (§. 52.). (81)

55. SI MIRACULUM ACCIDIT, DEFICIUNT ACTUALES CAUSSÆ NATURALES EJUS, QUOD ACTUM, SIVE EXISTENTIAM CONSEQUITUR: ET SI QUID ACTUM, SIVE EXISTENTIAM CONSEQUITUR, DEFICIENTIBUS CAUSSIS NATURALIBUS, MIRACULUM ACCIDIT. Pone enim ejus, quod actum conſequitur, actuales cauſſas non deficere: igitur ratio illius, quod actum conſequitur, in cauſſis, hoc eſt in natura con-

(81) Ut aliquis effectus miraculoſus dicatur, non ſufficit, quod mutationis ratio in eſſentia, ac natura corporum non contineatur; ſed inſuper, ut vim quamlibet creatam excedat, ſive Angelorum, ſive mentium humanarum, requiritur.

continetur, proindeque miraculum non accidit (§. 52.), quod hypotheſim evertit. Stat ergo primum.

Si quid, deficientibus cauſſis naturalibus, actum conſequitur, ejus ratio in natura non continetur; conſequenter miraculum eſt (§. 52.). Quod erat alterum.

56. Hinc colligitur

I. Num quid in miraculorum numerum referendum ſit, potiſſimum agnoſci poteſt ex defectu cauſſarum naturalium.

II. Quodvis miraculum vim univerſæ naturæ excedit; conſequenter, poſita vi univerſæ naturæ, non ponitur miraculum.

III. Quodcumque miraculum actum conſequi nequit, niſi dependenter ab ente, quod a Mundo diverſum eſt.

SCH. Spinoſa miraculum dixit non aliud eſſe, atque effectum, cujus cauſſæ nos latent. Quam definitionem condidit convenienter ad perniciosiſſimum dogma ſuum, vi cujus ſtatuit, potentiam naturæ ipſam DEI virtutem eſſe, cujus tamen oppoſitum ex iis, quæ de natura rerum tradidimus, manifeſte evincitur, & in Theologia Naturali clarius eluceſcet. Cæterum hic apertius adhuc doceri convenit, nihil impoſſibilitatis intrinſecæ, ac abſolutæ in eo eſſe, ut corpus mutationem ſubeat, cujus ratio in natura non continetur, quo contra Spinoſam perſpicuum fiat, miraculum in vero ſenſu poſſibile eſſe. (82)

57.

(82) Spinoſianam hanc miraculi definitionem ſuam facit Lokius *in diſcurſu de Miraculis*; quaſi vero tot illi, tamque admirabiles effectus, qui in ſacris litteris deſcribuntur de vulgi tantum, ac popelli ſententia miracula putari debeant, genuinis alioquin non accenſendi.

57. POSSIBILIS DE SE EST MUTATIO IN CORPORE, QUÆ PER REGULAS NATURÆ EXPLICABILIS NON EST: SEU POSSIBILE DE SE EST MIRACULUM IN VERO SENSU. Regulæ naturæ ab abſoluta neceſſitate liberæ, ſeu contingentes ſunt (§. 51.); impoſſibile proinde non eſt, ut mutatio accidat, quæ per illas explicari nequit, ſive etiam quæ illis contraria eſt (§. 96. Ontol.): eſt ergo poſſibile miraculum in vero ſenſu.

58. Natura non agit niſi juxta certas regulas modificata (§. 51.): itaque in agendo ordinem obſervat (§. 121. Ontol.). Hic *ordo, quem natura in agendo obſervat*, *Ordo naturæ* appellatur, contineturque adeo regulis, juxta quas virium modificationes abſolvuntur.

59. Quoniam ordo naturæ continetur regulis, quibus virium modificationes abſolvuntur, recte porro dicimus *fieri contra ordinem naturæ, quod ita fit, ut per regulas, quibus ordo naturæ continetur, explicari nequeat;* hucque pertinent omnes mutationes in numerum miraculorum referendæ. Ex adverſo *ſecundum ordinem naturæ fieri* non immerito dicimus, *quæ ita fiunt, ut per regulas, quibus ordo naturæ continetur, explicabilia ſint*; hucque ſpectant quævis mutationes, quæ naturales dici merentur.

60. Per *Curſum naturæ* intelligitur ejuſmodi *eventuum conſecutio, quæ eſſentiis, ac naturæ corporum conformis eſt*. Quoniam ergo, quod naturale eſt, ejus ratio in eſſentia, & natura corporum, continetur, miraculi autem ratio in eſſentia & natura non continetur; NATURALE SECUNDUM CURSUM NATURÆ, MIRACULUM CONTRA EUNDEM CONTINGIT (83) CA-

(83) 1. Probamus primo, vera miracula eſſe poſſibilia,

CAPUT V.

De Mundi Perfectione, & Ordine.

61. PErfectum aliquid dicitur, quatenus in eo propter generalem quamdam rationem talia potius, quam alia conjunguntur, ſive quatenus in illo plura, eaque varia ad unum, idemque

---

lia, atque a DEO poſſe produci. Miraculum, SS. Auguſtino, & Thoma (Spinoſa, Lokio, aliiſque impietatis, incredulitatiſque portentis, quam longiſſime ſapientioribus) facem præferentibus, apte definiri poteſt *Effectus, qui præter uſitatas naturæ leges mechanicas accidit, omneſque cauſſarum naturalium vires egreditur*: at DEUS effectus hujuſmodi poteſt producere; DEUS enim moderator ſapientiſſimus omnium rerum, legumque omnium mechanicarum conditor omnipotentiſſimus legibus naturæ, rerumque ordini ſubjectus non eſt; poteſtque adeo pro libito eas immutare: ergo &c.

2. S. Thomas 1. p. q. 105. ar. 5. inquit: „Si . . ordo rerum conſideretur, prout dependet a prima cauſſa, ſic contra rerum ordinem DEUS facere non poteſt: ſi enim ſic faceret, faceret contra ſuam præſcientiam, aut voluntatem, aut bonitatem; ſi vero conſideretur rerum ordo prout dependet a qualibet ſecundarum cauſſarum, ſic DEUS poteſt facere præter ordinem rerum; quia ordini ſecundarum cauſſarum ipſe non eſt ſubjectus; ſed talis ordo ei ſubjicitur, quaſi ab eo procedens; non per neceſſitatem naturæ, ſed per arbitrium voluntatis; potuiſſet enim & alium ordinem rerum inſtituere. Unde & poteſt præter hunc ordinem inſtitutum agere, cum voluerit; puta agendo effectus ſecundarum cauſſarum ſine ipſis, vel producendo aliquos effectus, ad quos cauſſæ ſecundæ non ſe extendunt„. Conſulatur idem Ange-

que obtinendum tendunt (§. 131. Ontol.). Itaque etiam Mundus dici *perfectus* debebit, ſi tum ſimultanea, tum ſucceſſiva, ex quibus ipſe conſtat

---

Angelicus Præceptor & lib. III. cont. Gent. cap 98.

3. At opponitur 1. Ordo naturæ eſt neceſſarius; mutari itaque, & inverti nequit: neceſſarium enim illud eſt, cujus oppoſitum eſt impoſſibile. 2. Si hic ordo naturæ immutetur, hic ordo naturæ ceſſat, aliuſque ſuccedit: ſi hic ordo naturæ ceſſat, hæc rerum ſeries ceſſat, & alia ſuccedit: ſi rerum hæc ſeries ceſſat, hic Mundus ceſſat, & alius ſuccedit: ergo ſi ordo naturæ propter aliquod miraculum immutatur, Mundus hic interit, & alius ſuccedit, quod eſt abſurdiſſimum. 3. In ſyſtemate meo, inquit Spinoſa, natura eſt ipſe DEUS: ergo ut contingere poſſit miraculum proprie dictum, debet eſſe poſſibilis effectus, qui excedat vires DEI: at hic effectus vires DEI excedens eſt impoſſibilis: ergo &c. 4. Nos, inquit Lokius, in maxima legum naturalium ignoratione verſamur, quo fit, ut ſine gravi erroris periculo conſtituere nequeamus, quinam effectus a naturæ legibus manent, quinam ab iis abhorreant, atque diſcordent.

4. Reſp. ad 1. Phyſice quidem neceſſarius eſt naturæ ordo; at hæc neceſſitas abſolutæ contingentiæ minime opponitur (ex §§. 10., & 13.). Mutari ergo, invertique poteſt naturæ ordo a ſupremo creatore, qui libere illum condidit.

5. Ad 2. Dum leges naturæ per miracula infringuntur, omneſque cauſſarum naturalium vires miraculoſus effectus egreditur, Mundus iſte non mutatur, ſed evolvitur, perficitur, completur miraculorum ope. Mundus enim iſte ſeries eſt, quæ non ordinem ſolum naturalem, ſed ſupernaturalem quoque complectitur. Ad hunc itaque Mundum pertinent effectus, & qui a cauſſis naturalibus, & ſecundum leges determinatas operantibus producuntur, & illi, qui a cauſſa prima, & univerſali leges naturæ moderante, diſponente, immutante, prout in idea archetypa hujus Mundi repræſentatur, efficiuntur. Breviter. Mundus iſte eſt iſta ſeries, cujus mutationum ratio ſufficiens proxima vel in aliis continetur mutationibus, vel in ſola DEI omnipotentia: ſi in

ſtat, per generalem quamdam rationem conjunguntur, ſeu ad unum quid obtinendum tendunt, ac conſpirant.

SCH.

---

in aliis mutationibus proximam ſufficientem rationem agnoſcit effectus, naturalis is eſt: ſi non agnoſcit, effectus eſt miraculoſus: uterque tamen & naturalis, & miraculoſus effectus ad hanc pertinent ſeriem.

6. Ad. 3. Furioſa Spinoſæ de ſubſtantia deliria rejecimus jam in Nota (51) ad §. 199. Ontol., eaque huc poſſunt contra notionem naturæ ab eodem Spinoſa conſictam transferri; quamquam dato etiam quod DEUS natura ſit (& recto ſenſu intelligi iſtud cum Peripateticis poteſt in Nota (80) pag. 201.), ſtat nihilominus, poſſe ordinem rerum dupliciter conſiderari, ut paullo ante cum S. Thoma animadvertimus; atque adeo ſtat, poſſe a DEO miracula fieri. Audiendus etiam eſt Em. Polignaccus, qui lib III. v. 830., & ſequ. inſanientem Spinoſam ſolide, & eleganter refutans canit:

„ - - - - - - Demens, qui ſe ipſe, Deumque
„ Confundit ranis, ac muribus; & proprium nil
„ Senſit ineſſe ſibi, vel cum ſe ſcire videret,
„ Ignorante alio, atque alio lætante doleret.
„ Egregium numen, cultro quod ſcindere poſſis!
„ Non ſcindetur, ait, quamvis quæ membra videntur
„ Corporis immenſi forte in diverſa locorum
„ Tranſtulerim; quod ſcindit enim, & quod ſcinditur unum eſt.
„ Inſulſe: ſi carnificem, gladiumque necato
„ Diſtingui nolit, nec progenitore creatum,
„ Nec paſtore lupos, nec vivis luce carentes.
„ Nam varios res una modos aſſumere quamvis
„ Temporibus poſſit variis, pugnantia numquam,
„ Ut mortem, vitamque, aſſumet tempore in uno;
„ Nec ſimul eſſe poteſt, quadrata, ſimulque rotunda,
„ Et capere adverſas cum ſimplicitate figuras.
„ Vel ſi quadratur partim, partimque rotunda eſt,
„ Non jam individua, aut ſimplex, aut una putetur.
„ Unius multas generis res eſſe fatebor;
„ At rem unam dici, quæ res complectitur omnes
„ Non modo diſtinctas, ſed tot rationibus in ſe
„ Diver-

SCH. In Theologia Naturali oſtenditur, hanc generalem rationem, per quam omnia ſimultanea, & ſucceſſiva in Mundo conjunguntur, ſeu id, ad quod ipſa tendere, & conſpirare debeant, eſſe gloriæ divinæ mani-

,, Diverſa, quarum ſemper negat hæcce, quod illa ,, Adſtruit, ac totum ſine partibus eſſe, repugnat.

7. Ad 4. ,, Omnes naturæ leges a Philoſophis ignorari, manifeſta calumnia eſt, inquit Faſſonius *in Diſſertat. de Miraculis*, quam Philoſophi toleranter ferre non ,, poſſunt, nec alii portare ,, . Et quamvis nos lateat, quoad totius naturæ vis progredi agendo poſſit, atque procedere, novimus tamen, & vim naturæ finitam eſſe, & ſuis circumſcribi terminis, atque limitibus, ſatis etiam intelligimus, earum rerum naturas, ac vires, aeris e. g., aquæ, ignis, plantarum, animantium, hominum, a quibus, aut in quibus miraculum edi ſolet. Quare cum vel tale aliquid cernimus, quod vim, poteſtatemque exigit infinitam, vel ea ab homine animadvertimus effici, quæ & naturæ legibus contraria ſunt, & tum ſuam, tum rerum earum vim ſuperant, quibus veluti quibuſdam utitur inſtrumentis, rei exitus, ac eventus & miraculum dicendus eſt, & ſoli DEO referendus eſt acceptus. Paucis. Quo pertineat naturæ vis, ignoramus; quo non pertineat, clare intelligimus. Cogitemus divinum nobis offerri hominem, qui verbis, nutibus, momento temporis ventorum impetum, tempeſtateſque coerceat, defunctorum corpora ad vitam revocet, morbis deſperatiſſimis curationem adhibeat in inſtanti, ſurdorum aures ad audiendi vim patefaciat, cæcis oculorum ſenſum, mutis loquelæ uſum, claudis liberam gradiendi facultatem, iis denique, qui membris omnibus male ſe habent, totius corporis firmitatem, valetudinemque reſtituat: quis, quæſo, divinam heic vim, & potentiam non agnoſcet? Vel quis, indoctus licet, & ruſticus, non perſpiciat, tanta, ac tam mira opera cauſſis naturalibus, quarum ignoremus vires, ſine certa pertinaciæ, vel ſtultitiæ nota adjudicari non poſſe? An neceſſe erit vires ad mathematicos calculos explorandas, definiendaſque referre? Ipſa igitur rei evidentia ſæpe miraculi indicium eſt, atque inſigne.

8. Ce-

Digitized by Google

feſtationem, *unde etiam regulæ*, *quibus perfectio Mundi nititur*, *partim eruuntur partim*, *ex obſervationibus erutæ ſtabiliuntur*.

62. Mundus eſt totum aliquod (§. 5.) : enim- vero

---

8. Ceterum heic non quæritur, utrum ex opinione vulgi, quæ erronea eſt, nec niſi caſu veritatem attingit, dentur miracula, nec ne? ſed num in Mundo quid contingere poſſit, quod non ſequatur ex eſſentia, & natura corporum? inquit Vvolffius.

9. Carpitur à Cl. P. Faſſonio *in laud. diſſertatione de Miraculis*, & a ſapientiſſimo P. Valſecchio *contra Incredulos Vol. 2. lib. III. cap. 16.* Abbas Houttevillius, quod in Opere *De Religione Chriſtiana factis comprobata lib. I. cap. 5.* cenſere videatur, ſapientiſſimum DEUM a Mundi initio generales quaſdam leges ſanxiſſe, juxta quas res univerſas moderatur, ac regit: ita vero naturales cauſas diſpoſuiſſe, atque ordinaſſe, ut tali tempore certos eſſent effectus neceſſario edituræ, quos miracula dicimus: miracula autem effectus illos vocari, non quod præter naturæ leges eveniant, ſed quod nobiliorem finem propoſitum habeant, & inuſitati ſint, nobiſque prorſus incogniti. Ego tamen, inquit Faſſonius, in explicatione hujuſmodi ſine ſollicitudine acquieſcere nequeo; nam neque cum ipſa miraculorum natura videtur congruere, & a Spinoſæ opinione vix abeſt, qui ad miraculum præter rem inſolentem, cujus cauſa lateat, requirit præterea nihil. Hoc unum inter utrumque differre animadverto, quod Houttevillius DEUM, ut facit Spinoſa, cum natura non miſceat, quamvis in interpretatione miraculi ita deinde conveniat, ut vix ovum ovo ſimilius invenias.

10. Huc accedit, addit Valſecchius, quod ſi miracula ſunt effectus, qui ex legibus generalibus motus conſequuntur, jam & mare dividendum erat, & Sol debebat ſtare, & Lazarus a morte ad vitam redire, quamvis neque Moyſes, neque Joſue, neque Chriſtus in terris apparuiſſent. Ex hoc autem quantum Religioni damnum? Nec vero reſpondere juvat, naturales leges harmonice congruere moralibus legibus, & liberis intelligentium creaturarum actionibus; atque adeo nec futu-

vero ut ſua perfectione totum gaudeat, in partibus ſecundum ſe ſpectatis defectus, & imperfectio admitti poteſt, immo debet; alioquin in toto perfectio deficeret; quo tamen caſu imperfectio, & defectus in partibus non niſi apparens erit, quia per exceptionem non gignitur imperfectio (§. 134. Ontol.). Hinc autem continuo ſequitur, EX OBSERVATA IMPERFECTIONE IN PARTIBUS MUNDI MALE STATUI, IPSUM MUNDUM ESSE IMPERFECTUM.

SCH. 1. *Nempe eorum, ex quibus Mundus tanquam partibus conſtat, perfectiones per rationes particulares determinantur, e. g. ſtructura corporis humani per aptitudinem ad actiones, quales in hominibus ſpeciatim obſervantur; quibus rationibus particularibus ſiquidem ſatis ſit, partes ſecundum ſe ſpectatæ ſuam omnino perfectionem adipiſcuntur. Sed enim ubi accidit, ut exigente ratione generali determinante perfectionem totius, rationibus particularibus contrarium ponendum ſit, exceptio obtinere debet, vi cujus partes ejuſdem apparenter imperfectæ fiunt, ita tamen, ut totum non eo ipſo imperfectum reddatur.*

futuros fuiſſe illos eventus, ſi Moyſes, ſi Joſue, ſi Chriſtus non extitiſſent; harmonicam enim illam congruentiam incredulus veluti liberius effictam irridebit. Conſulatur Valſecchius ipſe cit. loco: ſed ſimul conſulatur & ipſe Abbas Houttevillius tum in Præfatione, cum in Epiſtola eidem adjecta tomo I. Editionis Venetæ an. 1761.; nam pag. 11., & ſeq. Præfationis, & pag. 41. Epiſtolæ aperte declarat, ſe in cap. 5. lib. I. non propriam de miraculis propoſuiſſe ſententiam, ſed ex notione miraculi a Spinoſa data contra Spinoſam ipſum fuiſſe argumentatum. Videatur etiam Diſſertatio de Miraculis Georgii Campbelli, in qua ſolide refutantur omnia, quæ ab Humio fuerant contra miracula congeſta *in Specimine de Miraculis*.

SCH. 2. Hinc Mundus ex eo imperfectus cenſeri non debet, quod in ipſo dentur monſtra, peſtes, terræmotus &c.

63. Etſi imperfectio in partibus per exceptionem admiſſa non invehat imperfectionem in totum, eo tamen eſt totum perfectius, quo pauciores exceptiones in eo occurrunt (§. 137. Ontol.): itaque ex omnibus Mundis poſſibilibus ille perfectior eſt, in quo paucioribus exceptionibus locus conceditur; ac demum perfectiſſimus, in quo pauciſſimæ exceptiones occurrunt.

SCH. Omnia hæc generalius tradita infra in Theologia Naturali, ubi de Mundo perfectiſſimo agendum, maximum nobis uſum præſtabunt.

64. Si Mundus eſt perfectus, juxta generalem rationem, tum coexiſtentia, tum ſucceſſio variarum rerum determinatur; conſequenter in Mundo perfecto adeſt ſimilitudo in modo, quo res vel ſimul ſunt, vel ſe inſequuntur. Hinc intelligimus, in Mundo perfecto ordinem eſſe (§. 121. Ontol.).

65. Supra ordinem naturæ diximus, quem natura in agendo obſervat: is adeo ad virium modificationes reſtrictus ſolum in rerum mundanarum ſucceſſione ſpectatur: enimvero ordo Mundi tum in ſucceſſione, tum in coexiſtentia rerum locum ſibi vendicat (§. præc.): latius ergo ordo Mundi, quam naturæ patet, atque, quod non immerito adnotandum, plus requiritur ad agnoſcendum ordinem Mundi, quam ordinem naturæ.

SCH. Inſignis eſt deceptio eorum, qui cum forte aliquas regulas, quibus ordo naturæ nititur, agnoverint,

putant, ſe ſe omnem Mundi ordinem exacte perſpexiſſe. (84)

F I N I S
COSMOLOGIÆ GENERALIS.

(84) Duo principia ponunt inter naturæ regulas Philoſophi, quorum unum *continuitatis* vocant, alterum *analogiæ*. Continuitatis principium, ſive lex in eo eſt ſita, ut natura nihil per ſaltum efficiat; nullumque corpus a ſuo ad alium ſtatum demigret, niſi intermedios ſtatus omnes decurrerit: e. g. quia numquam natura ſummis ima conjungit, nec ab extremis rerum finibus ad oppoſitos, intermediis omiſſis, diſcurrit, crepuſculorum beneficio, tamquam quibuſdam gradibus, ſenſim a luce ad tenebras, a tenebris ad lucem traducimur, nec ipſa, quæ noſtris commodis proſpicit, natura patitur, ut occaſum Solis repente nox excipiat, & conſequatur, omni prorſus luce ſubducta. De hoc continuitatis principio Diſſertationem elegantiſſimam conſcripſit Boſcovichius, quæ legenda eſt. Contra hanc naturæ legem multa opponunt Maupertuiſius, & Gerdillus *in Diſſertatione de Attractione pag.* 47. pariter legendi.

Principium analogiæ hac propoſitione continetur: *De ſimilibus ſimilia ſentienda ſunt*. Huic ratiocinandi modo, inquit P. de Turris pag. 51., innumeræ hominum operationes nituntur: ſine hoc non incederemus quotidie; pericula enim, quæ nos circumdant, innumera ſunt: incedimus autem ab analogia edocti, quia videmus ut plurimum nihil periculi eſſe. Sine analogia numquam comederemus. Hac remota quis utilem cibum a veneno diſtingueret? Prudenti tamen examine utendum in applicatione hujus principii, ne præcipiti judicio diſſimilitudines negligamus, quæ in iis rebus ſæpe occurrunt, quas primo intuitu veluti ſimillimas accipimus.

Digitized by Google

PSYCHOLOGIA.

PSYCHOLOGIÆ PROLEGOMENA.

§. 1. Pſychologia eſt *Doctrina de Anima*, cujus officium eſt partim facultates, & actiones Animæ rite explicare, partim in ipſam ejus eſſentiam, ac naturam inveſtigare: indeque ceu a priori facultatum, & actionum rationem reddere. Hinc gemina Pſychologiæ pars enaſcitur, quarum prima, quod experientia utatur, *Empirica*, altera, quod rem omnem ratiocinando perficere debeat, *Rationalis* audit.

2. Quoniam in Pſychologia Empirica experientia ſtabiliuntur quæcumque de facultatibus, & actionibus Animæ traduntur, tametſi poſtmodum, ubi in Pſychologia Rationali demonſtrantur, in demonſtrando error quidam committatur, ſatis certa, atque indubitata manent; unde non timendum, ut diſciplinis, quæ concluſionibus pſychologicis, tanquam principiis, opus habent, veritas aliquid detrimenti patiatur, tametſi in Pſychologia Rationali circa demonſtrationes error aliquis committatur..

SCH. Conſulto jam nunc monemus, ſufficere poſſe Pſychologiam Empiricam, ut ex ea aliæ diſciplinæ dogmata ſua ſtabiliant; nec adeo in eum finem opus eſſe Rationali, quod ipſum infra nobis uſui erit.

3. Anima cum Mundo connexa eſt , dependetque ab illo, ut ſatis patebit ; doctrinæ proinde de Anima doctrina de Mundo præmittenda fuit: ipſa vero doctrina de Anima plurimum deſervit ad ea rite intelligenda , quæ de DEO traduntur ; hinc ante Theologiam locus ei concedendus.

SCH. Nempe in Theologia formandæ ſunt notiones attributorum divinorum ; hæ vero formantur , dum eorum , quæ Animæ conveniunt , notiones limitibus liberantur . Cæterum Pſychologiæ non unice in Theologia eſt uſus ; eſt quoque cumprimis in Philoſophia Morali , ac in ipſa vita communi , ubi tum de propriis affectibus compeſcendis , tum de propenſionibus in aliis excitandis , vel ſedandis agitur , &c. (85)

(85) „Quapropter geminis fundatur noſtra columnis
„ Religio, quas non timor, aut maleſvada cupido,
„ Ipſa ſed ante oculos prudens natura locavit :
„ Eſſe DEUM auctorem rerum , juſtique tenacem ;
„ Eſſe Animos nullo perituros temporis ævo.
Polignaccus *Antiluc. lib. IX. v. 1115. , & ſeq.*

PSYCHOLOGIÆ EMPIRICÆ

SECTIO I.

De Anima humana in genere.

CAPUT UNICUM.

De Exiſtentia Animæ.

4. Quilibet attentus ad ſe ipſum experitur, ſe tum ſui, tum aliorum conſcium eſſe, quod quidem eatenus contingit, quatenus tum ſe ab aliis diſcernit, tum ipſa alia ab invicem internoſcit.

SCH. 1. E. g. novi me non eſſe arborem, quam extra me conſtitutam video; hinc conſcius mihi mei ſum: novi item lapidem, quem juxta arborem poſitum intueor, non eſſe arborem; hinc conſcius mihi ſum lapidis, & arboris.

SCH. 2. Qui aliquid in dubium vocat, vel negat, ejus, quod negat, vel in dubium vocat, ipſo opere ſe conſcium eſſe oſtendit; nemo proinde vel negare, vel in

in dubium vocare poteſt, ſe rei cujuſdam conſcium eſſe, quia ipſa negatione, vel dubitatione ſe ſe conſcium eſſe oſtendit, & probat. (86)

5. Illud, *quod in nobis tum ſui, tum aliorum conſcium eſt, Animam* appellamus. (87)

SCH. Significatum vocis Anima *hic ſolum determinamus: in eſſentiam, ac naturam ejus, quod hac voce indigitamus, in altera Pſychologiæ parte inveſtigabimus.*

6. Experientia teſte tum noſtri, tum aliorum nobis actu conſcii ſumus (§. 4): enimvero per ipſum principium contradictionis, quod actu ſibi vel ſui, vel aliorum conſcium eſt, exiſtit: nos ergo, hoc eſt, ANIMA NOSTRA (§. 5.) EXISTIT.

7. En itaque ſyllogiſmum, quo Animæ noſtræ exiſtentia adſtruitur, ac ſtabilitur: *Quidquid ſui, vel aliorum ſibi conſcium eſt, exiſtit: in nobis aliquid ſui, & aliorum conſcium eſt, appellaturque Anima: Anima ergo noſtra exiſtit.* In hoc ſyllogiſmo, quoniam major ex numero axiomatum eſt; minor vero indubitatam experientiam exprimit; ſatis intelligitur, eo perfectam demonſtrationem contineri (§. 205. Log.).

8. Huic demonſtrationi primus locum feciſſe videtur Carteſius, cum, cæteris omnibus veritatibus in dubium vocatis, de exiſtentia ſui dubitare nequiret; concludebat namque: *Conſcius mibi ſum, ſeu*

(86) Sapienter hinc S. Auguſtinus *Enchrid. n. 7.* inquit: „ Neque quiſquam ſinitur neſcire ſe vivere; „ quandoquidem ſi non vivit, non poteſt aliquid vel „ neſcire; quoniam non ſolum ſcire, ſed etiam neſcire viventis eſt „.

(87) Anima noſtra *Spiritus* quoque, *Mens*, *Animus* vocatur.

ſeu cogito: ergo ſum. Jam vero quod is porro in eam abiverit ſententiam, quaſi hæc veritas pro principio reliquarum omnium veritatum habenda ſit, id quidem nobis probari non poteſt, poſteaquam in Ontologia agnovimus, principium contradictionis, & rationis ſufficientis eos eſſe fontes, ex quibus omnis demum veritas promanat. Et certe ipſum hoc enuntiatum: *Cogito: ergo ſum*, ratiocinium quoddam crypticum eſt, in quo major ſubintelligitur, ſcilicet: *Quidquid cogitat eſt*, quæ tamen major tanquam quædam veritas reſpective particularis ex principio contradictionis deducitur (§. 6.): hoc nihilominus admittimus, atque etiam tuemur, in argumentatione hac: *Quidquid cogitat, ſive ſibi conſcium eſt, exiſtit: ego cogito, ſive conſcius mihi ſum: ergo exiſto*, normam præberi, ad quam cæteras quaſvis veritates examinare liceat, num ita certæ nobis ſint, quemadmodum exiſtentia Animæ nobis certa eſt.

9. Maxime hic notari meretur, exiſtentiam Animæ nobis innoteſcere independenter a corpore, quippe cujus in demonſtratione nulla plane mentio fit; ut adeo, vel negata corporum exiſtentia, exiſtentia Animæ certa, evictaque conſiſtat: unde Animæ a corpore diſcrimen luculenter apparet; ſimulque diſcitur, quo ſenſu accipi, ſuſtinerique poſſit illud, quod porro Carteſius docuit, nempe, *Exiſtentiam Animæ notiorem eſſe, quam exiſtentiam corporis*. (88)

SE-

(88) Ex quo certa conſiſtat, & evicta Animæ exiſtentia, corporum etiam exiſtentia negata, fit manifeſtum, poſſe DEI exiſtentiam vel contra Idealiſtas ex Animæ noſtræ contemplatione demonſtrari.

SECTIO II.

De Facultatis cognoſcendi Parte inferiori.

CAPUT I.

De Facultate cognoſcendi in genere, ejuſque diviſione.

10. Quorum Anima actu ſibi conſcia eſt, eorum ſimilitudinem, ſeu imaginem, quæ *Idea* appellatur, in ſe expreſſam habet, atque in quantum rei ſimilitudinem, ſeu imaginem habet, rem ipſam *percipere*, item etiam *cognoſcere* dicitur. Ipſa vero *poſſibilitas perceptionis, vel cognitionis*, illud eſt, quod *Facultas percipiendi, vel cognoſcendi* appellatur. (89)

SCH. Terminum Facultas *eo ſignificatu hic accipimus, quem in Ontologia ipſi attribuimus* (§. 192. *Ontol.*)

11. Differunt inter ſe perceptiones, vel cognitiones. Dicitur perceptio, vel cognitio *obſcura*, *ſi res ſatis non diſcernitur*: unde obſcuritas a defectu

(89) Idolum quoddam, quo menti repræſentantur objecta, eſſe ideam, putet nemo; ens enim imaginarium eſt hujuſcemodi imago: quæ enim in perceptione ſoni, odoris, ſaporis fingi poteſt objecti ſimilitudo? Anima igitur perceptione ſibi repræſentat objecta, quatenus objectorum eſt conſcia. Verum hac de re alibi.

Digitized by Google

fectu diſcriminis pendet, eſtque illud, quod per *mentis caliginem* indigitatur. (90)

SCH. Obſcura e. g. eſt perceptio, quando eminus quidpiam agitatum videns nondum diſcernis, homo ne ſit, an brutum, vel lignum?

12. *Clara* perceptio, vel cognitio eſt, *qua res ſatis agnoſcitur, ac ab aliis diſcernitur*; pendet adeo claritas ab obſervato diſcrimine, eſtque illud, quod *mentis*, ſeu *animæ lumen* nominatur.

SCH. Clara e. g. eſt perceptio coloris rubri, quem ab aliis ſatis diſcernis, ac diſtinguis.

13. Diſcernimus rem ab altera, quatenus in illa aliqua animadvertimus, quæ in altera non deprehenduntur: quod ſi iſta aſſignare, & ſigillatim recenſere valemus, cognitio eſt *diſtincta*; ſecus ſolum *confuſa* eſt.

SCH. E. g. diſtincte agnoſcitur triangulum, cum ſigillatim recenſeri poſſunt ea, ex quibus conſtat, terna nempe latera, totidemque anguli: verum ſolum confuſa eſt cognitio coloris rubri, cum nihil ſigillatim aſſignari poteſt de iis, quibus is conſtat. (91)

14. Ex hoc, quod aliæ perceptiones, & cognitiones ſint confuſæ, & obſcuræ, aliæ diſtinctæ, ipſa facultas cognoſcitiva in geminas abit partes, quarum prima *inferior* dicta ſpectat ad cognitiones confuſas, & obſcuras, altera *ſuperior* ad cognitiones diſtinctas.

SCH.

---

(90) *Illuminari* dicitur Anima, quatenus facultatem acquirit res clare percipiendi, ut ejus, quod percipit, ſibi ſit conſcia, ac ea, quæ percipit, probe a ſe invicem diſtinguat.

(91) De ideis claris, atque diſtinctis in Nota (12.) ad §. 45. Log. jam actum. Addere modo juverit perceptionis totalis, partialis, adæquatæ, inadæquatæ defini-

SCH. Ad facultatis cognoſcitivæ partem inferiorem pertinent facultas ſentiendi, imaginandi, recordandi, & reminiſcendi; de quibus adeo iſta Sectione ſpeciatim agendum.

CAPUT II.

De Facultate ſentiendi.

15. S*Enſatio* dicitur quævis *cognitio*, *quæ a corpore noſtro dependet*; hoc eſt, cujus ratio in aliqua mutatione membris corporis noſtri inducta continetur. *Facultas* vero *aliquid dependenter a corpore ſenſu nunc expoſito cognoſcendi*, *Facultas ſentiendi* appellatur. (92)

SCH. Afficiunt e. g. oculos noſtros radii Solis, mox Solem cognoſcimus, eſtque hæc cognitio ſenſatio.

16. Membra, de quibus (§. præc.), *Organa ſenſus* audiunt: communiter quinque cenſentur: *Oculi*, *Aures*, *Nares*, *Lingua*, *Fibrillæ nerveæ per omne corpus diffuſæ*, unde totidem ſenſationum ſpe-

---

finitiones, Perceptio *totalis* ea eſt, *quæ ex pluribus veluti partialibus conſtat*: *partialis* dicitur, *quæ in perceptione rei alterius continetur*. Perceptio *plantæ* e. g. eſt perceptio *trunci*, *ramorum*, *foliorum*, *fructuum* &c., diciturque totalis: perceptio e contra *coloris* plantæ, partialis audit. Ea appellatur perceptio *adæquata*, *quæ objectum ita ſiſtit menti, ut hæc omnes in objecto enuntiabiles notas valeat diſtinguere ſigillatim*: *qua* vero *aliquas tantum notas mens diſtinguere valet*, *inadæquata* perceptio eſt.

(92) Clarius definiri poteſt Senſatio *Perceptio*, *quæ in Anima oritur ex immediata mutatione in organis noſtri corporis facta*, ut ſunt perceptiones *lucis*, *caloris* &c.; hoc enim modo definita ſenſatione, ab imaginatione facilius ſenſatio diſtinguitur.

ſpecies, totidemque *Senſus*, ſcilicet *Viſus*, *Auditus* *Odoratus*, *Guſtus*, *Tactus*: atque ii quidem ſenſus *externi* dicuntur propterea, quod ad objecta extra nos poſita cognoſcenda referantur. His autem addunt *Senſum internum*, ſeu *facultatem ea, quæ intra nos, ſeu in ipſa Anima contingunt, percipiendi*. (93)

17. Dum ſentimus, mutatio in corporis organo ſenſorio fiat, oportet: hinc autem vulgo ſenſatio corpori tribuitur; dici namque conſuevit: *Oculi vident, aures audiunt, nares olfaciunt* &c. Enimvero attendentibus facile innoteſcit, hanc vulgi opinionem, & loquendi rationem, niſi ex æquo reſtringatur, & determinetur, ſuſtineri non poſſe: ſane mutatio in organo ſenſus producta ipſa ſenſatio non eſt; ſed illa rei perceptio, & cognitio, cum qua mutatio organi conjuncta eſt, demum ſenſatio dici debet: unde Philoſophus ſic loquetur: *Oculi mutantur, &, iis mutatis, Anima videt*, &c. (94)

18.

---

(93) Non quinque, verum ſex in nobis admittendos eſſe ſenſus fingit Auctor Operis, cui titulus: *De Natura pag.* 161. Sextus hic ſenſus ille eſt, quo actionum honeſtatem, turpitudinemque ſentire valemus: quemadmodum enim, inquit, objecto oculis corpore lucido, & colorato, in nobis excitatur ſenſatio lucis, & coloris; ita viſa actione aliqua, ejus moralitatis idea ſtatim excitatur in nobis. Igitur ſi admittendum, ecquis neget? ſenſorium viſionis, non erit negandum ſenſorium organum moralitatis actionis. Opinationem hanc plurimum Materialiſtis favere, in altera Pſychologiæ parte demonſtrabimus.

(94) In quibuſdam corporis noſtri partibus immutationem fieri debere, ut inde ſenſatio enaſcatur, plurimo, accuratoque experimentorum apparatu detexit, ac demon-

18. Senſationes ſunt hujusmodi perceptiones, quarum ratio in mutationibus in organa ſenſoria inductis continetur (§. 15.): ex quo ipſo hæ quaſi leges ſenſuum produunt. I. *Si in eodem organo eadem accidat mutatio, eadem in Anima exiſtit perceptio.* II. *Si autem diverſa in eodem organo ſit mutatio, perceptio diverſa in Anima exiſtit.* III. *Singulis mutationibus, quæ in organis ſenſoriis producuntur, ſuæ in Anima perceptiones reſpondent.* (95)

19. Atque ita univerſim ratio redditur, cur duæ res diverſæ non raro per idem organum ſenſorium eaſdem perceptiones ſibi vendicent, itemque una, atque eadem res per idem organum diverſis temporibus diverſas ideas animo ſiſtat: prius nempe fit, ſi res diverſæ in iiſdem organis eaſdem mutationes producunt; poſterius, ſi res eadem diverſis temporibus quocumque ex capite diverſas mutationes producit.

20. Baculum aquæ immerſum, etſi is rectus ſit, ut incurvatum percipimus, ſphæram e longinquo, ut circulum, arcum in eodem nobiſcum plano conſtitutum, ut lineam rectam ſpectamus &c.: exinde ſenſus fallaciæ accuſari ſolent, ſed perperam; hæ enim perceptiones conformiter ad leges ſuas fiunt (§. 18., & §. 19.): falleremur potius per ſenſus, ſi rectus baculus in aqua non in-

---

monſtravit Halerus Anatomicus, & Medicus celeberrimus. De hac re in Phyſica.

(95) Singulis mutationibus, quæ in organis ſenſoriis rite producuntur, ſuæ quidem in Anima reſpondent perceptiones, ſed ita debiles quandoque, ut mens earum difficulter ſit conſcia. Vide Notam (8) ad §. 5. Log.

incurvatus, ſi arcus in eodem plano conſtitutus non inſtar lineæ rectæ videretur &c.; ita enim res perciperentur contra, quam per leges percipi deberent. Hinc ergo nequaquam error in perceptione eſt; foret autem in judicio, quod ex perceptione, nulla ratione habita legum exigentium ſic, & non aliter res percipi, de rebus ipſis formaretur. Vide Part. poſt. Log. Sect. 1. cap. 3. (96)

21. Inter ſenſationes per experientiam obſervantur aliæ fortiores, aliæ debiliores eſſe, quarum illæ plus, hæ vero minus claritatis habent: ſenſationes fortiores debiliores ita non raro ſupprimunt, ut prorſus harum conſcii nobis non ſi-

(96) Unde efficiatur, ut quadratum videatur rotundum, & rectum fractum exponit Lucretius lib. IV.

„ Quadrataſque procul turres cum cernimus urbis,
„ Propterea fit, uti videantur ſæpe rotundæ,
„ Angulus obtuſus quia longe cernitur omnis,
„ Sive etiam potius non cernitur, ac perit ejus
„ Plaga, neque ad noſtras acies perlabitur ictus;
„ Aera per multum quia dum ſimulacra feruntur,
„ Cogit hebeſcere eum crebris offenſibus aer.
„ Hinc ubi ſuffugit ſenſum ſimul angulus omnis,
„ Fit, quaſi tornata ut ſaxorum ſtructa tuantur:
„ Non tamen ut coram quæ ſunt, vereque rotunda,
„ Sed quaſi adumbratim paullum ſimulata videntur...
„ Nec tamen hic oculos falli concedimus hilum...
„ At maris ignavis in portu clauda videntur
„ Navigia, apluſtris fractis, obnitier undis.
„ Nam quæcumque ſupra rorem ſalis edita pars eſt
„ Remorum, recta eſt, & recta ſuperne guberna,
„ Quæ demerſa liquore obeunt, refracta videntur
„ Omnia converti, ſurſumque ſupina reverti,
„ Et reflexa prope in ſummo fluitare liquore.

Juverit & Tertullianum adire lib. de Anima cap. de quinque ſenſibus, de his omnibus ſenſuum fallaciis diſputantem.

mus: ſic ſane debilior eſt perceptio luminis Stellæ, quam Solis, & hoc ſplendeſcente, illud diſparet: ſimiliter cum percipimus ſonum tympanorum, vel fragorem tormentorum, muſicam, vel vocem loquentis audire non valemus.

22. Anima in ſenſationibus nequit quicquam immutare: idipſum quoque clariſſime experientia nos edocet: ſane cum deguſtamus aliquid, in arbitrio noſtro non eſt, ut hic potius, quam alius ſapor a nobis percipiatur: idem reſpective experimur circa auditum, olfactum &c.; ut adeo ſatis pateat, ſenſationes quadam ratione neceſſarias dici debere: prout nempe neceſſarium arbitrario opponitur. (97)

CAPUT III.

De Facultate imaginandi, ſeu de Phantaſia.

23. Rerum extra nos poſitarum, non modo cum præſentes ſunt, mutationemque in organis producunt, ſed etiam cum abſentes ſunt, Anima noſtra ideas habere poteſt. Hæc *potentia habendi ideas rerum abſentium*, *Facultas imaginandi*, itemque *Phantaſia* dicitur.

24. Anima in imaginando non eodem ſemper ſe

(97) Senſiferis corporis animalis motibus perceptiones in Anima neceſſario reſpondere, evidens eſt: aſt non ſemper cernere, odorari, & ſentire ſonum nobis eſt neceſſarium: etenim ne objecta externa in organa ſenſoria agant, impedire poſſumus; hincque ſenſationes liberæ dicuntur.

ſe ſe modo habet: primo enim facilius imaginamur nobis ea, quæ clare, ac diſtincte ſenſimus, quam quæ obſcure, aut ſolum confuſe ſenſimus: triangulum e. g., vel pentagonum antea viſum facili negotio nobis repræſentamus; non item ſaporem cibi cujusdam, quem forte ſemel tantum deguſtavimus: in priori nempe caſu præceſſit ſenſatio ſatis diſtincta; non autem in poſteriori.

25. Experimur etiam, imaginationem eo eſſe vividiorem, & fortiorem, quo recentius ſenſatio rei, quam nobis imaginamur, præceſſit, & quo crebrius ipſa repetita fuit: cum e. g. recentiſſime Drama ſpectavimus, Actorum ſpecies, & vultus vividiſſime mentem ſubeunt, quod quidem non accidet longiori temporis ſpatio interjecto: pariter vividiſſime nobis repræſentamus eos, tametſi actu præſentes non ſint, cum quibus frequentius jam converſati ſumus; non item tam vivide animo ſiſtimus eos, quos rarius oculis noſtris uſurpavimus.

26. Denique circa imaginationes iſtud quoque experientia compertum habetur, eas tunc plus claritatis in ſe continere, cum ſenſus quaſi quieſcunt, quam cum & hi munere ſuo funguntur. Senſationes claritati imaginationum officiunt: hinc, dum in ſtatu ſomnii verſamur, & ſenſus externi plane quieſcunt, clariſſimæ, & vividiſſimæ repræſentationes in mente contingunt: atque ex hoc ipſo intelligitur, cur ii, qui clarius, ac vividius quidpiam imaginari debent, oculos claudant, curque litterati ſeceſſum ament, ac denique cur phantaſia in tenebris melius officio ſuo fungatur.

SCH. In Pſychologia Empirica verſamur: contenti

ergo eſſe poſſumus, quod ea, quæ traduntur, cum experientia apprime conſentiant, tametſi aliæ explicationes nondum adferantur.

27. Per imaginationem res abſentes in mente repræſentantur (§. 23.); cum vero infinite multæ res abſentes ſint, ratio ſufficiens utique adeſſe debet, cur in caſu particulari hæc potius, quam alia res abſens actu repræſentetur.

28. Attenti ad experientiam deprehendimus, imaginationis initium, & originem in aliqua actuali ſenſatione haberi, hac nempe ratione: ſi quid actu ſenſu percipimus, cum quo aliud quid ſimul aliquando percepimus, aut cum quo aliud quid olim perceptum commune quid habet, illud ipſum, quod olim perceptum eſt, animo præſens ſiſtitur; itaque actualis, & præſens perceptio illud eſt, in quo imaginationis ratio ſufficiens continetur, ſi non immediate, ſaltem ultimo; quod hic addendum, quia fieri ſolet, ut imaginationis alicujus alia imaginatio rationem contineat non abſimili modo ab eo, quo in perceptione eandem contineri nunc diximus; quo tamen etiam caſu adeo non abeſt omnis perceptio, ut potius tanquam ratio ultima neceſſario aliqua requiratur.

29. Quoniam conſtanti obſervatione compertum eſt, in caſu præſentis ſenſationis ea etiam animo præſentia ſiſti, quæ cum re, quæ nunc percipitur, ſimul aliquando percepta ſunt, vel commune aliquid habent, hæc ipſa pro geminis legibus imaginationis ſumuntur; efferturque prima hac propoſitione: TOTIES PRÆTERITA PERCEPTIO RECURRIT, QUOTIES EJUS PARTEM PERCEPTIO PRÆSENS CONTINET: vel: SI QUÆ SIMUL ALIQUANDO SENSI-

MUS

MUS, ET SENSATIO UNIUS DENUO PRODUCITUR, IMAGINATIONE ETIAM PERCEPTIO ALTERIUS PRODUCITUR. Altera his verbis exprimitur: SI QUID ANIMUS ACTU PERCIPIT, CUM QUO ALIUD OLIM PERCEPTUM AD IDEM GENUS, VEL EANDEM SPECIEM PERTINET, HUJUS ALTERIUS ETIAM IDEA IN MENTE RECURRIT.

30. Differt phantaſma a ſenſatione: etenim ſenſationi tum in organo ſenſorio, ſeu in corporis partibus exterioribus, tum in cerebro, ſeu partibus interioribus, phantaſmati vero ſolum in cerebro, ſeu partibus interioribus mutatio aliqua reſpondet. Porro in homine vigilante, & valente phantaſma minus claritatis habet, quam ſenſatio; hinc de ſtatu ſanæ mentis indubitate dejecti ii ſunt, morboque laborant, qui, quod oculis, tactuve uſurpant, vel in dubium vocant, vel ſub certa ſpecie ſibi falſa imaginantur.

SCH. Refert Borellus in Hiſtoriarum, & Obſervationum Medico-phyſicarum Cent. 3. *Obſervat.* 19. *trium hominum exempla, quorum alius caput plumbeum ſe ſe habere dicens, pileo plumbeo ipſi admoto, & tandem remoto; alius naſum longiſſimum ſe habere credens, admota lucanica, eaque dein reſecta, alius aciculam in gutture ſe habere exiſtimans, vomitu præſcripto, & acicula contorta in pelvim clam injecta, ad ſaniorem mentem rediit.*

31. Ad phantaſiam refertur *Facultas fingendi, qua ideas rerum ſenſu perceptarum varie componere, ac dividere valemus*; ſicque Anima imagines rerum nanciſcitur, quales per ſenſus antea nunquam acquiſiverat.

SCH. E. g. ex idea auri, itemque montis ſenſu percepti naſci poteſt per facultatem fingendi idea mon-

tis aurei.

32. *Idea ex compoſitione aliarum idearum orta*, *Figmentum* dicitur. Figmenta non ejusdem generis ſunt. Nunc componuntur talia, quorum unum alteri repugnat; hinc oriuntur *Figmenta impoſſibilia*, *ac abſurda*, ſive *Chimeræ*: e. g. *Mons aureus*. *Bilineum rectilineum* &c. Nunc in compoſitione apprime ratio habetur tum principii contradictionis, tum rationis ſufficientis; unde oriuntur *Figmenta poſſibilia*, *rationalia*, *ac concinna*, qualia quidem ſunt artificia Architectorum, Poetarum, Muſicorum, Oratorum, &c.

CAPUT IV.

De variis quibusdam Animæ Statibus, ſcilicet Vigilia, Somno, Somnio &c.

33. DUo imprimis ſunt ſtatus, in quibus Anima, quamdiu corpori conjuncta eſt, ita verſatur, ut continuo alter alterum excipiat; nimirum nunc res externas organa afficientes clare ſentit, ſive claras earum ideas habet: nunc omni claritate ſenſuum caret. *Status ille*, *in quo Anima claras rerum externarum ſenſationes habet*, *Vigilia* dicitur; *ille* autem *ſtatus*, *in quo iisdem penitus deſtituitur*, *Somnus* appellatur. Hinc *vigilat*, qui clare ſentit; *dormit* vero, qui nihil clare ſentit.

SCH. Quando vigilamus, nervi ita vigent, ut iis inducta mutatio usque ad cerebrum propagari poſſit, claræque in Anima ideæ naſcantur; contra cum dormimus, functionibus ſuis impares ſunt.

34.

34. Fieri autem conſuevit, ut licet dormientes nihil clare ſentiamus, claras tamen rerum abſentium ideas habeamus; ſtatus hic *Somnium* appellatur: ſomnia ergo a phantaſia provenire, dubitari nequit (§. 23.).

35. Hinc intelligimus, ſomnia alia dici poſſe *naturalia*, eſſeque *ea, quæ per leges phantaſiæ explicabilia ſunt*, alia *ſupernaturalia, quæ per eas leges explicari nequeunt*. In ſpecie *Somnium divinum* dicitur, *cujus ratio in immediata actione DEI continetur*, quale fuit illud SS. trium Magorum, in quo a DEO illis injunctum fuit, ut ne ad Herodem reverterentur. Matth. II. v. 12.

SCH. 1. *Quicumque revelationi locum concedit, ei certum eſt dari Cacodæmones, perque illos in Anima quo demumcumque modo mutationes certas accidere poſſe: itaque &* Somnium diabolicum *poſſibile eſt*, cujus nempe ratio in actione Cacodæmonis continetur.

SCH. 2. *Nobis hoc loco Somnii naturalis explicatio propoſita eſſe debet: de iſto ergo porro quædam adferemus.*

36. Somnium vel conſideratur comparate ad res, quarum ideas dormiens habet, vel comparate ad ipſam Animam, in qua repræſentationes, ſive ideæ habentur. Somnium priori modo conſideratum *objectivum*, poſteriori modo acceptum *ſubjectivum* dicitur. IN SOMNIO OBJECTIVO NON DATUR VERITAS; DATUR TAMEN IN SOMNIO SUBJECTIVO. Etenim quæ in ſomnio repræſentantur, tum ſpectata ſimultaneitate, tum ſucceſſione, partim contra principium contradictionis, partim contra principium rationis ſufficientis conjunguntur; ut cum e. g. pridem vita defunctus comparet ad convivium; item cum ſine mora in horto

Digitized by Google

to verſamur, qui modo in templo preces fundebamus &c.: itaque in ſomnio objectivo non datur ordo, quo plura vel ſimul ſunt, vel ſe conſequuntur; conſequenter neque veritas (§. 127. Ont.): enimvero licet res, quæ repræſentantur in ſomnio, abſque ordine conjungantur, ipſæ tamen repræſentationes ſecundum leges phantaſiæ ſe ſe excipiunt (§. 35.): in ſomnio ergo ſubjectivo datur veritas. (98)

SCH. Quod ſi itaque in genere dicimus, ſomnia carere veritate, atque adeo ratione ſufficiente, male concluditur: ergo exiſtit aliquid ſine ratione ſufficiente; contra ſcilicet quam principium rationis ſufficientis poſtulat: ſic namque non eſſe concludendum ex eo evincitur, quod ſomnium ſubjective conſideratum non deſtituatur veritate, & ratione ſufficiente.

37. Somnium a phantaſia provenit (§. 34.), proindeque initium illius, & origo a præſente quadam ſenſatione habetur (§. 28.): *ipſum* vero *juxta leges phantaſiæ* continuatur: atque *in quantum* ita *continuatur*, ſomnium *ſimplex* dicitur, quia una ſimplici phantaſmatum ſerie abſolvitur. Ei opponitur *compoſitum*, *quod una vel pluribus ſenſationibus interrumpitur*, hac ratione, ut diverſæ phantaſmatum ſeries inde naſcantur. (99)

(98) Intima experientia novimus, nos, dum dormimus, longiſſimas plerumque habere ratiocinationes. Nec raro longiſſimas demonſtrationes ſomniabit Geometra, ſuaque abſtracta ſyſtemata Metaphyſicus. Somnium ergo objectivum ſuam quandoque habet veritatem, quamvis ut plurimum nullus in eo ordo ſervetur.

(99) Somnium ſecundum leges phantaſiæ inchoari, continuari, & compleri, ex iis poteſt mirifice illuſtrari,

38. Non raro expergefacti eorum omnium, aut plerorumque, quæ ſomniavimus, recordari, illaque aliis ſpeciatim enarrare valemus; quo quidem caſu ſomnium fuiſſe *clarum* dicimus: ubi ex ad-

---

ri, quæ habet Lucretius lib. IV.

„ Et quoi quiſque fere ſtudio devinctus adhæret,
„ Aut quibus in rebus multum ſumus ante morati,
„ Atque in qua ratione fuit contenta magis mens;
„ In ſomnis eadem plerumque videmur obire:
„ Cauſſidici cauſſas agere, & componere leges:
„ Induperatores pugnare, ac prælia obire:
„ Nautæ contractum cum ventis cernere bellum:
„ Nos agere hoc autem, & naturam quærere rerum
„ Semper, & inventam patriis exponere chartis.
„ Cetera ſic ſtudia, atque artes plerumque videntur
„ In ſomnis animos hominum fruſtrata tenere.
„ Et quicumque dies multos ex ordine ludis
„ Adſiduas dederunt operas plerumque videmus,
„ Quom jam deſtiterint, ea ſenſibus uſurpare,
„ Relliqüas tamen eſſe vias in mente patentes,
„ Qua poſſint eadem rerum ſimulacra venire.
„ Per multos itaque illa dies eadem obverſantur
„ Ante oculos, etiam vigilantes ut videantur
„ Cernere ſaltantes, & mollia membra moventes,
„ Et citharæ liquidum carmen, chordaſque loquentes
„ Auribus accipere, & conſeſſum cernere eumdem,
„ Scenaique ſimul varios ſplendere decores.
„ Uſque adeo magni refert ſtudium, atque voluntas,
„ Et quibus in rebus conſuerint eſſe operati
„ Non homines ſolum, ſed vero animalia cuncta.
„ Quippe videbis equos fortes, dum membra jacebunt,
„ In ſomnis ſudare tamen, ſpirareque ſæpe,
„ Et quaſi de palma ſummas contendere vires.
„ Venantumque canes in molli ſæpe quiete
„ Jactant crura tamen ſubito, voceſque repente
„ Mittunt, & crebras reducunt naribus auras,
„ Ut veſtigia ſi teneant inventa ferarum,
„ Expergefactique ſequuntur inania ſæpe
„ Cervorum ſimulacra, fugæ quaſi dedita cernant,
„ Donec diſcuſſis redeant erroribus ad ſe.

„ At

adverſo *obſcurum* ſomnium appellamus, dum eorum, quæ ſomniavimus, nulla fere nobis recordatio eſt. (100)

39. *Sui compos* dicitur homo, ſi polleat valetudine integra, ſenſationesque illius conſuetum claritatis gradum habeant: dicitur vero *extra ſe rapi*, ſi cum integra valetudine præditus eſt, una aliqua ſenſatio illius præ cæteris vividiſſima facta reliquas omnes obſcurat: in hujuſmodi ſtatu, qui etiam *Ecſtaſis* appellari ſolet, S. Paullum ver-

---

„ At conſveta domi catulorum blanda propago
„ Degere, ſæpe levem ex oculis, volucremque ſoporem
„ Diſcutere, & corpus de terra conripere inſtant.
„ Proinde quaſi ignotas facies, atque ora tuantur,
„ Et quam quæque magis ſunt aſpera ſemina eorum,
„ Tam magis in ſomnis eadem ſævire neceſſum eſt.
„ At variæ fugiunt volucres, penniſque repente
„ Sollicitant divum nocturno tempore lucos;
„ Accipitres ſomno in leni ſi prælia, pugnaſque
„ Edere ſunt perſectantes, viſæque volantes.
„ Porro hominum mentes magnis quæ motibus edunt?
„ Magna etenim ſæpe in ſomnis faciuntque, geruntque,
„ Reges expugnant, capiuntur, prælia miſcent:
„ Tollunt clamores, quaſi ſi jugulentur ibidem.
„ Multi depugnant, gemituſque doloribus edunt:
„ Et quaſi pantheræ morſu, ſævive leonis
„ Mandantur, magnis clamoribus omnia complent.
„ Multi de magnis per ſomnum rebu' loquuntur,
„ Indicioque ſui facti perſæpe fuere.
„ Multi mortem obeunt; multi de montibus altis,
„ Se quaſi præcipitent ad terram corpore toto,
„ Exterrentur, & ex ſomno, quaſi mentibu' capti,
„ Vix ad ſe redeunt permoti corporis æſtu.
„ Flumen item ſitiens, aut fontem propter amænum
„ Adſidet, & totum prope faucibus occupat amnem.

(100) „ Tam clarum quandoque ſomnium eſt, ut ex„ pergefacti vix nos ſomniaſſe credamus. En ſtultitiæ „ momentum. Stulti permaneremus, ſi nimiam hanc „ tenſionem non amitterent cerebri fibræ „ inquit Auctor ſpeciminis originis &c. *pag.* 122.

verſatum aliquando legimus. 2. Cor. XII. v. 4.

SCH. Alii ecſtaſim vocant eum ſtatum, in quo homo, ſenſibus prorſus quieſcentibus, inſolita ſibi audire, ac videre videtur. Hoc ſenſu accepta ecſtaſis ſpecies ſomnii eſt (§. 34.); *differt autem a ſomnio priori ſenſu accepta.*

CAPUT V.

De Memoria, Oblivione, & Reminiſcentia.

40. SÆpe rerum ideas, quas aliquando habuimus, denuo habemus ita, ut agnoſcamus eſſe eaſdem, quas alias habuimus.

SCH. E. g. habemus hodie ideam floris, vel hominis, quem heri vidimus, agnoſcimusque hanc ideam nos heri habuiſſe.

41. *Facultatem ideam alias habitam, ac denuo productam recognoſcendi, Memoriam* appellamus.

42. Memoriam alii definiunt per facultatem ideas alias habitas denuo habendi; ſed enim horum e ſententia memoria a phantaſia non differet: juxta dicta enim ideas alias habitas per phantaſiam denuo habere poſſumus; quo ipſo patet, definitionem hanc a nobis allatæ præferri minime poſſe.

SCH. Philoſophi nempe maximi refert efficere, ut quod in rebus diſcrimen reperitur, clariſſime appareat.

43. Definitio memoriæ, quod sit facultas ideam alias habitam, ac denuo productam recognoscendi cum usu loquendi apprime con-

SEN-

SENTIT. Numquid ſi in libro quædam legimus ignari, an iſta alias legerimus, id ipſum pro defectu memoriæ habemus? Atqui hoc non fieret, niſi communiter per memoriam intelligeretur facultas ideam olim habitam, ac denuo productam recognoſcendi: proindeque &c.

44. Attamen ex iſta memoriæ definitione nondum diſcitur, quid memoria re ipſa ſit; quippe nominalis eſt definitio: realis enim ante dari nequit, quam eſſentia, ac natura Animæ comperta ſit. Sunt, qui definitione hac nominali non contenti cum de Animæ eſſentia, ac natura nihil exploratum habent, audent ipſam memoriam reali definitione explicare, ſed infeliciſſime: hi nempe, quoniam aliter modum, quo ideæ olim habitæ redire, ac recognoſci poſſunt, explicare nequeunt, ad ea, quæ ſub ſenſus cadunt, convertuntur, deprehenſuri aliquid, ex quo repetuntur, quæ alias habita ſunt: occurunt ergo ciſtæ, & ſcrinia, in quibus nunc hæc, nunc alia reponuntur, & cuſtodiuntur, dum ſuo demum tempore promantur: mox id ipſum ad Animam applicatur, ſtatuiturque, *memoriam eſſe receptaculum, in quo ideæ reponantur, & cuſtodiantur, ſuo demum tempore ex illo repetendæ.* Sed quis hoc manifeſta cum ſubreptione ſtatui non agnoſcat? Animæ tribuitur, quod in ea nemo unquam obſervavit, neque obſervaturus eſt; immo quod Animæ repugnat: terminus ergo inanis eſt *Receptaculum* ad Animam applicatus, cui nulla notio reſpondet, vel reſpondere poteſt.

45. Interim vero ope experientiæ hic oſtendi, docerique poteſt, undenam fiat, ut redeuntem aliquam ideam agnoſcamus eandem eſſe, quam alias

lias habuimus, ſcilicet, quia ipſa nunc in alio ordine, tum intuitu idearum illarum, cum quibus ſimul eſt, tum intuitu earum, quæ præceſſerunt, vel quæ ſequuntur, continetur. E. g. redeuntem ideam hominis alicujus agnoſcimus eſſe eandem, quam olim habuimus, quia hominem illum nunc in alio loco, cum aliis hominibus, aliis veſtibus indutum ſpectamus, quam olim ſpectaverimus. Hinc etiam rogati, unde conſtet hunc hominem olim a nobis viſum eſſe, reſpondemus, quod illum hoc, vel illo loco &c. viderimus.

46. Dicimur *memoriæ mandare* aliqua, quatenus facilitatem nobis comparamus eorum ideas denuo productas recognoſcendi; id quod fit, ſi memoriæ mandanda diu intueamur, frequenter percipiamus, ſæpiusque repetamus. *Memoria retinemus*, quorum ideas recognoſcendi facilitatem in nobis conſervamus.

47. Non pari omnes ratione aliqua memoriæ mandant, & mandata retinent. Quidam *plurima*, eaque *cito*, & *facile* memoriæ mandant, & memoriæ mandata *diu* retinent, atque hos dicimus *memoria bona* gaudere. Suos ergo bonitas memoriæ gradus habet, quorum æſtimatio, unde ſumenda ſit, ex his ipſis, quæ modo adduximus, patet; nec ſane dubitari poteſt, memoriam bonam, vel comparative meliorem ipſo exercitio acquiri poſſe.

SCH. Illuſtris Mathematicus Johannes Vvaliſius aſſeverat, ſe noctu in tenebris ſola fretum memoria ex numero 53. *notis conſtante, ea, quæ communiter adhiberi ſolet, methodo, radicem quadratam* 27. *partium extraxiſſe: ſane peculiare exemplum memoriæ bonæ!*

48.

48. *Obliti* dicimur eorum, quæ vel denuo repræſentare, vel repræſentata recognoſcere non valemus. Hinc *Oblivionem* definimus per *impotentiam tum ideas olim habitas denuo habendi, tum ipſas recognoſcendi.*

SCH. Equidem non poſſe ideas olim habitas denuo habere, proprie loquendo defectus phantaſiæ eſt; ſolumque non poſſe ideam recognoſcere, memoriæ eſt defectus: enimvero quoniam cum defectu priori poſterior ſemper eſt conjunctus, non incongrue ad explicandam oblivionem uterque adhibetur, tametſi in definienda memoria potentiam ideas olim habitas denuo habendi excluſerimus, cum ideæ iterata productio non ſemper conjuncta deprehendatur cum ejusdem recognitione. Cæterum ſi quis mavult oblivionem per ſolam impotentiam ideas olim habitas denuo habendi definire, ei litem non movemus.

49. Haud difficulter intelligimus, quod, cum memoriæ mandemus, mandataque retineamus, quę diu intuemur, frequenter percipimus, ſæpiuſque repetimus (§. 46.); ex oppoſito illorum obliviſcamur, ad quæ obiter attendimus, perraro percipimus, ac repetimus.

50. Rerum ideas olim habitas, nuncque denuo præſentes ſæpe non recognoſcimus ideo, quia ſufficientia non exhibet, ex quibus conſtare poſſit, eam jam alias nos habuiſſe; unde in hujuſmodi caſu dicere ſolemus, *nos non ſatis recordari*, ſeu *reminiſci*, hancne ideam jam olim habuerimus, necne: itaque certis quaſi artificiis utimur, ut ea in animum revocentur, ex quibus demum agnoſcere licet, ideam præſentem eandem eſſe, quam alias habuimus. *Facultas ideam præſentem ope aliarum in animum revocatarum recognoſcendi, Reminiſcen-*

ſcentia audit.

SCH. Reminiſcentiam ergo non penitus in idem cum memoria recidere nulli non attentionem ad dicta adferenti clarum eſſe poteſt: memoria ſolum ideam alias habitam recognoſcit; reminiſcentia artificiis utitur ideas reducendi, & agnoſcendi. (101)

SECTIO III.

De Facultatis cognoſcendi Parte ſuperiori.

CAPUT I.

De Facultate attendendi, & reflectendi.

51. Facultatis cognoſcitivæ ea pars dicitur ſuperior, quæ ad cognitiones diſtinctas ſpectat (§. 14.). Ad cognitiones diſtinctas per quoſdam quaſi gradus a cognitionibus obſcuris, & confuſis pervenitur, quos adeo ante omnia hic referri, exponique convenit.

52.

(101) Imaginationem inter, memoriam, & reminiſcentiam diſcrimen hoc ponit laud. Auctor ſpeciminis &c. *pag.* 52. „ Imaginatio, inquit, reproducit „ ideas jam habitas; memoria reproducit ſigna, qui- „ bus ideæ adnexæ erant; reminiſcentia recognoſcit „ ipſas ideas „. Memoria igitur ſecundum Auctorem ſpeciminis eſt reminiſcentia ſecundum Sagnerium, & viciſſim reminiſcentia eſt memoria. Dum aliquod objectum percipimus, ideam objecti conſtanter alicui ſigno nos adnectere, contendit idem Auctor ſpeciminis &c.

52. Si efficimus, quemadmodum experientia teſte efficere poſſumus, ut rei cujuſdam præ aliis magis conſcii nobis ſimus, hoc eſt, ut idea rei cujuſdam præ aliis plus claritatis habeat, *ad rem attendere* dicimur.

SCH. E. g. attendimus in conventu aliquo ad Cajum, *dum efficimus, ut clariorem ideam Caji, quam cæterorum habeamus. Quod ipſum porro ita declaratur: ſi quæſtione quadam ſuper Cajo formata neſcires, quid reſpondere debeas, diceres, te* non attendiſſe *ad Cajum. Itaque ex oppoſito* attendiſti, *ſi de Cajo quærentibus reſpondere vales; hoc eſt, ſi effeciſti, ut clariorem Caji ideam acquireres.*

53. Attentio ad res vel major, vel minor eſſe poteſt. Sunt, quorum attentio tanta eſt, ut dum in re certa animum defigunt, aliorum, quæ organa ſenſoria feriunt, eo ipſo tempore vix ſibi conſcii ſint: ſunt contra etiam, qui cum leviſſime a re alia tanguntur, illico ideam præſentem relinquunt. Extra omnem vero controverſiam eſt, ad inſignem attentionis gradum per exercitium frequens perveniri.

SCH. De Archimede memoriæ proditum eſt, tanta attentione in figurarum a ſe deſcriptarum contemplatione defixum hæſiſſe, ut expugnatæ interea urbis ignarus ingredientem ad ſe ſatellitem non adverteret.

54. Ex iis, quæ attentionem turbare, ac minuere ſolent, præcipua ſunt ſenſus, & imaginatio: repente e. g. ortus fragor attentiſſimum quemvis a ſuſcepta rei contemplatione avocat: ſimiliter imagines phantaſticæ rerum alias perceptarum mentem impediunt, quo minus illa rem propoſitam attente contemplari valeat.

55. Dum in re quapiam ſive ſenſu, ſive imagina-

gination nobis præſente attentionem ad alias,atque alias partes dirigimus, *ſuper eadem reflectere* dicimur.

SCH. Reflectis e. g. ſuper horologio, ſi ad ſingulas quaſi illius partes, rotulas nempe, catenulas &c. attendis, eaſque continuata attentione conſideras.

56. Hinc omnino intelligere licet. I. Cum Anima dicitur ſuper ſe ipſa, & actionibus ſuis reflectere, non aliud ſibi velle, quam quod ipſa ad omnia partialia, & ſpeciales actiones ſuas attendat. II. Quæ §. 53. dicta ſunt de attentione, pertinere etiam ad reflexionem. III. Quæ proſunt, vel officiunt attentioni, eadem etiam reflexioni prodeſſe, vel officere.

57. Mediante attentione a cognitione obscura ad claram; mediante reflexione a cognitione confusa ad distinctam progredimur. Attentione adhibita rem, quam ante ſatis non diſcernebamus, tandem diſcernimus (§. 52.); a cognitione igitur obſcura ad claram progredimur (§. 12.): dum ſuper re reflectentes aliam partem poſt aliam conſideramus, notas detegimus, quibus ipſa ab alia re differt; mediante itaque reflexione a cognitione confuſa ad diſtinctam digredimur (§. 13.): proindeque &c.

CAPUT II.

De Intellectu.

58. Etſi quid ſenſu percipimus, itemque alias perceptum nobis imaginari valemus; attamen rogati, quid percipiamus, vel nobis imaginemur, verbis explicare ſæpe non poſſumus. Per ipſum autem uſum loquendi de eo, qui, quod

quod ſive ſenſu, ſive imaginatione cognoſcit, verbis explicare nequit, dicimus, quod id ipſum *non intelligat*. Satis exinde clarum fit, *ſenſu aliquid percipere*, vel *imaginari*, & *intelligere* vulgo etiam non in idem recidere. Nempe quod ita cognoſcitur, ut ſolis verbis ſatis explicari queat, id demum *intelligi* cenſemus. Porro inveſtigantes, cur quædam, quæ cognoſcimus, verbis ſolis explicare nequeamus, continuo deprehendimus, id inde accidere, quod cognitio non niſi obſcura, vel ſolum confuſa ſit: unde relinquitur, *ad hoc, ut quid intelligere dicamur, requiri cognitionem diſtinctam*.

59. *Facultas* proinde *diſtincte aliquid cognoſcendi* non immerito *Intellectus* appellatur; in cujus perfectione æſtimanda hæc duo attenduntur: multitudo eorum, quæ diſtincte cognoſcuntur, atque ipſius diſtinctionis gradus. Eo nempe intellectus eſt perfectior, quo plura diſtincte cognoſcuntur; itemque, quo diſtinctius plura cognoſcuntur: ut adeo perfectiſſimus demum cenſeri poſſit, ſi omnia poſſibilia diſtinctiſſime, & adæquatiſſime cognoſcantur. (102)

60. Quilibet hominum affatim compertum habet, a ſe nec omnia cognoſci, nec, quæ cognoſcit, diſtinctiſſime cognoſci. Intellectum igitur huma-

(102) „ Putant aliqui, inquit Auctor ſpeciminis &c. pag. 109. „ intellectum eſſe peculiarem Animæ facultatem: ego autem puto, melius, & nitidius loqui „ illos, qui intellectum dicunt eſſe operationum Animæ congeſtum; nempe percipere, appercipere, attendere, reproducere ideas, imaginari, reminiſci, „ reflectere, ideas diſtinguere, abſtrahere, comparare, componere, dividere, reſolvere, affirmare, negare, judicare, diſcurrere. En intellectum. „

manum re vera limitatum eſſe tum quoad objectum, tum quoad modum cognoſcendi, ſatis unicuique clarum, ac perſpicuum eſt.

61. Rei tanto diſtinctiorem cognitionem adipiſcimur, quanto plura in ipſa diſtinguimus. *Facultas in eodem objecto multa diſtinguendi*, *Acumen* dicitur.

SCH. *Attribuitur menti intelligenti acumen ſimili ſignificatu, quo viſui tribui ſolet: dicimus namque aliquem acuto viſu præditum eſſe, ſi is in objecto plura diſtinguit, quam paſſim ab aliis diſtingui ſoleant.*

62. Si in objecto ea, quibus tanquam partibus conſtat, diſtinguimus, rem ipſam diſtincte cognoſcimus: quod ſi vero in partibus alias partes diſcernimus, ipſas etiam partes rei diſtincte cognoſcimus: atque in hoc notionum analyſis, ſive reſolutio in alias ſimpliciores conſiſtit (Vid. §. 49. Log., & Schol.). Facultas, ſeu potius *facilitas notiones diſtinctas in alias ſimpliciores reſolvendi*, *Profunditas* appellari ſolet.

63. Si in rei cognitione nihil confuſionis continetur, intellectus *purus* dicitur: enimvero tum illud, quod per ſenſus cognoſcimus, tum quod nobis imaginamur, nunquam non plurimum confuſionis in ſe continet: quo uſque ergo intellectus cum ſenſu, & imaginatione conjunctus eſt, purus eſſe nequit.

SCH. 1. *Infra patebit, intellectum humanum ſaltem in hac vita a ſenſu, & imaginatione penitus ſeparari non poſſe; atque adeo nunquam is purus eſt.*

SCH. 2. Impuri *intellectus indicium in illo habetur, qui ſpatium, vel eſſentiam ſine ſenſuali quadam imagine ſibi repræſentare nequit.*

64. Rem eatenus diſtincte cognoſcimus, quatenus

nus illa, quibus tanquam partibus conſtat, diſtinguimus (§. 62.): quod ſi jam plura, quæ diſtincte cognoſcimus, inter ſe comparamus, & advertimus, in quibus ipſa conveniant, itemque in quibus diſconveniant, in definitiones incidimus; atque dum dimiſſis iis, in quibus res diſconveniunt, ad ea ſolum, in quibus conveniunt, attendimus, rerum genera, & ſpecies detegimus.

65. Facultas, vel potius facilitas plura comparandi, & advertendi, in quibus ipſa conveniunt, ſeu *facilitas obſervandi rerum ſimilitudines*, *Ingenium* dicitur.

SCH. Satis reſtricte, prout nempe a Philoſophis fieri oportet, vocem Ingenii *accipimus. Vulgo pro complexu omnium fere facultatum mentis ſumitur: hinc audias Cajum dici bono ingenio præditum eo, quod facile quædam arripiat, memoriæ mandet, dijudicet &c. Haud paullo rectius* ingenium *tribuitur Poetis, & Rhetoribus, quando utuntur allegoriis, & metaphoris, quæ in rerum ſimilitudine fundantur.*

66. Itaque intellectui, in quantum nempe cum eo ingenium eſt conjunctum, debentur definitiones, itemque ideæ generum, & ſpecierum, hoc eſt ideæ univerſales (§. 51. Log.), quæ quidem proprie notiones appellari ſolent.

67. Ideas generum, & ſpecierum detegimus, dum, dimiſſis iis, in quibus res diſconveniunt, ad ea attendimus, in quibus ipſæ conveniunt (§. 64.). Attendere ad aliqua, quæ in re continentur, dimiſſis cæteris, quæ una in re continentur, eſt illud, quod *abſtrahere* vocamus: unde liquet, ad ideas univerſales mediante abſtractione perveniri.

68. Abſtractio, *qua ad ea ſolum, in quibus plura conveniunt, dimiſſis cæteris, in quibus diſconveniunt, attendimus*, *Abſtractio ſimilitudinis* eſt; ſimilia

lia quippe ſunt, quæ easdem qualitates habent (§. 108. Ontolog.). Eſt præterea abſtractionis genus, quo illud, quod in re diſtinguimus, ſine re concipimus; ut ſi ſphæricitatem ſine eo, in quo habetur, puta, ligno, metallo, vel lapide concipimus: unde etiam ejuſmodi notiones appellavimus *abſtractas* (§. 56. Log.).

SCH. Notiones abſtractæ ſunt quævis ontologicæ, ſcilicet eſſentiæ, identitatis, ſimilitudinis, ordinis &c.

69. Itaque intellectus abſtrahendo ſeparat ea, quæ in rebus, & cum rebus conjuncta ſunt (§. 67., & §. 68.). Enimvero id ipſum abſque confuſione numquam præſtaret, niſi vocabulis, ſeu terminis uteretur, quibus demum tamquam ſignis adhibitis abſtractiones diſtinctæ evadunt. E. g. futurum non eſt, ut in globo ligneo ſphæricitas ſine ligno, aliiſve, quæ in eo una comprehenduntur, diſtincte concipiatur, niſi & ſphæricitas, & lignum competentibus terminis fuerint expreſſa, quo tamen facto haud difficulter abſtractio perficitur.

70. Ex uſu terminorum peculiare genus cognitionis, ſcilicet *ſymbolicæ* enaſcitur; ſymbolice namque aliquid cognoſcere dicimur, *cum res, mediantibus certis ſignis, cognoſcimus*: cognitioni ſymbolicæ opponitur *intuitiva; qua rem immediate, ſcilicet abſque ſignis, ſeu per ſenſum, ſeu per imaginationem, nobis repræſentamus, & cognoſcimus.*

SCH. Sunt præter vocabula, ſive terminos hominibus alia ſigna in uſu: habent ſua ſigna Aſtronomi, quibus e. g. Planetas, eorumque aſpectus indigitant, habent item Chemici, Muſici, Cultores Algebræ &c. Hinc de diverſitate, & uſu ſignorum peculiaris diſci-

plina condi poſſet. (103)

71. Intellectui non modo notiones (§. 66.); ſed etiam judicia debentur. Judicat intellectus, quatenus, quod in re deprehenditur, ab ipſa quidem re diſcernens, ad eamdem tamen pertinere agnoſcit. Judicat item, quatenus quidpiam ad rem non pertinere advertit: priori nempe caſu judicium format affirmativum; poſteriori negativum (Vid. §. 15., & §. 78. Log.). (104)

72. Quod præciſe ad ſenſationes attenti cognoſcimus, *experiri* dicimur. Cognitionem hujusmodi eſſe intuitivam, colligitur ex definitione cognitionis intuitivæ (§. 70.): referuntur autem ad experientiam tum notiones, de quibus (§. 57., & 64.), tum judicia, quæ immediate ex notione complexa per ſenſus acquiſita formantur; unde hæc etiam intuitiva appellavimus (§. 177. Log.)

SCH. De judiciis intuitivis recte formandis præcepta in Logica tradidimus, hic adeo non repetenda.

CA-

(103) Signa hæc dicuntur figuræ hieroglyphicæ; ſunt enim res quædam ad aliam rem denotandam translatæ. Ea ars, quæ explicat ſignorum uſum in rebus, aut earumdem perceptionibus denotandis inſervit, *Ars characteriſtica* appellatur.

(104) Actus judicii, inquit P. Gerdillus pag. 43. Operis, cui titulus: *Della Origine del ſenſo morale*, non eſt actus intellectus, uti putabant Scholaſtici, neque voluntatis, uti cenſuit Carteſius, ſed eſt quies mentis in veritate, quam anxie inveſtigabat.

CAPUT III.

De Ratione, & Facultate inveniendi.

73. Inter functiones intellectus locum præcipuum ratiocinia demum ſibi vendicant: de his quoque plurima jam in Logica tradita ſunt (Log. Part. priore Sect. 1. Cap. 1. §. 17.; item Sect. 4. Cap. 1. §. 101., & ſeq.). Nonnulla hoc loco addemus.

74. Ex ratiociniis diſtincte cognoſcitur modus, quo ex præſente aliqua ſenſatione aliæ cogitationes de rebus in ſenſus actu non incidentibus in mente ortum ſumunt: nempe ex ſenſatione formatur judicium intuitivum, quod quidem minoris munus obit: tum vero ope imaginationis in mentem venit aliud judicium cum illo intuitivo communem terminum habens; unde demum vi dicti de omni, & nullo tertium, ceu concluſio infertur: qua concluſione porro inſtar præmiſſæ conſiderata, denuo per imaginationem aliud judicium cum ipſa communem terminum habens mentem ſubit; indeque nova a priori diverſa concluſio fluit. Atque ita ſeries cogitationum continuatur, donec per novam ſenſationem novæ ſeriei initium fiat.

SCH. 1. Haud parvi referre putandum eſt, ut diſtincte perſpiciatur modus, quo in mente cogitatio quævis ortum ſumit. Cumprimis id eo facit, ut ne per ſubreptionis vitium experientiæ adſcribatur, quod non niſi per ratiocinium ex ſenſatione deducitur, in quo ex-

experientiſſimi quique delinquere animadvertuntur, incommodo certe non levi, cum exinde paſſim accidat, ut principia cognoſcendi non ſat firma, ac tuta aſſumantur.

SCH. 2. Paullo inferius clariſſime apparebit, quanti interſit ſpeciatim circa Animam cum experientia non confundere id, quod ſolum ratiocinio colligi poteſt.

75. Itaque in ratiocinio continetur modus cogitandi prorſus connaturalis, qui etiam vulgo reipſa in uſu eſt, licet eſſe non videatur. Porro colligimus jam ſequentia: I. Demonſtrationes exactiſſimæ, quales non immerito cenſentur a Geometris adferri ſolitæ, a naturali, eoque vulgo uſitato cogitandi modo non differunt; in his namque ea plane ratione quidpiam ſtatuitur, ac affirmatur, qua ex præſenti aliqua ſenſatione communiter quidpiam ſtatui, ac affirmari conſuevit: hoc ſolum diſcrimine, quod in priori caſu de veritatibus univerſalibus, in poſteriori de ſingularibus agi ſoleat. II. Intelligendi facultatem corrumpit potius, quam perficiat, qui in veritatum cognitione acquirenda alium tenet modum, quam quo ex una ad alteram connaturaliter perveniri poteſt; immo omnis cognitio, quam ita acquiret, ad memoriam ſolum, minime vero ad intellectum pertinebit. III. Intellectus a veritate præſenti ad aliam ceu conſequentem non pervenit, niſi beneficio præteritæ in memoriam redeuntis: contrarium ex eo non licet aſſerere, quod alias veritas conſequens mentem ſubiret ſine ratione ſufficiente, quia non connaturaliter (§. præc.).

SCH. In Logica docuimus, enthymemata, etiam illa, quæ conſequentiarum immediatarum nomine veniunt, eſſe

eſſe ſyllogiſmos crypticos, quod ipſum recte actum eſſe ex modo dictis luculentiſſime intelligi poteſt.

76. Dum ratiocinando ex duobus judiciis tertium infertur, ad nexum, qui inter veritates intercedit, attenditur, hocque perſpecto, concluſioni aſſenſus præſtatur. Atque iſtud ipſum eſt, per quod ratiocinium non mediocriter differt ab eo cogitandi genere, quod a plurimis *Expectatio caſuum ſimilium* appellatur, & in hoc conſtitutum deprehenditur, ut cum experientia patuit, rei cuidam in certis circumſtantiis quidpiam convenire, redeuntibus iiſdem circumſtantiis, id ipſum ei denuo convenire putetur, ubi nempe, non attento, & perſpecto nexu veritatum, ob unam, ac ſolam caſus ſimilitudinem rei, tribuitur quod alias eidem tributum fuit.

SCH. Expectatione caſuum ſimilium homines utuntur identidem: ea vero quod frequenter in errorem inducantur, inde fit, quia facile caſus ſimilis putatur, qui re ipſa ſimilis non eſt.

77. Ex ratiocinio ergo manifeſte colligitur facultas veritatum nexum perſpiciendi, quæ uno vocabulo *Ratio* dici conſuevit: expectatio autem caſuum ſimilium arguit facultatem quamdam, quæ non incongrue *rationis Analogum* compellatur.

SCH. Veteres Philoſophi brutis quidpiam attribuendum, ac concedendum duxerunt, quod cum ratione, qua homines prædití ſunt, non quidem in idem recideret, ſimilitudinis tamen aliquid haberet; itaque rationis analogum nominarunt: non tamen, quid ea compellatione intelligi debeat, ſatis indigitarunt; dum demum a Recentioribus animadverſum, eam per caſuum ſimilium expectationem rectiſſime explicari poſſe.

78. Quanto cumulatius, & perfectius nexus veri-

rita-

ritatum perſpicitur, tanto plus rationis adeſſe dicitur: hinc, quoniam quod per experientiam cognoſcimus, nullatenus una diſpicimus, quo modo cum aliis veritatibus connectatur, in cognitione experimentali, ſeu intuitiva ratio omnis exulat.

79. Atque ita duplex cognoſcendi genus dari videmus, quorum alterum procedere dicitur *a poſteriori*, ſcilicet per debitum ſenſuum uſum; alterum *a priori*, ſeu per rationem, recto nempe intellectus uſu.

80. Veritatem *invenire* dicimur, ſi eam ceu prius ignotam ex aliis veritatibus jam notis deducimus. Facilitas autem, ſive *habitus veritates ignotas ex aliis notis deducendi*, *Ars inveniendi* appellatur; cujuſmodi artis inveniendi exemplum non modo præbet Arithmetica, quæ ex quibuſdam numeris datis alios incognitos invenire docet; verum elucet illa quoque in quotidianis hominum, cumprimis Artificum actionibus, dum nempe identidem in nova conſilia, exequendi negotia, in nova artificia, &c. inveſtigant.

81. Manifeſtum præjudicium eſt, ratiocinium formari non poſſe, niſi concluſio cum termino medio detur: contrarium luculenter apparet ex dictis (§. 74.), ubi oſtenſum, per cognitionem intuitivam haberi propoſitionem minorem; majorem vero per leges imaginationis ſuggeri; ac ita demum concluſionem formari, cum nempe termini in præmiſſis diverſi inter ſe combinantur: unde liquet, præmiſſas ante haberi, quam concluſio habeatur, hancque ex illis jam notis demum innoteſcere poſſe. (105) 82.

(105) „ Artis inveniendi duæ ſunt quaſi ſpecies, in-

82. Itaque contra, ac alii quidam ſtatuerunt; beneficio ratiociniorum veritates inveniri poſſunt; in his namque re vera ex veritatibus ante notis alias incognitas deducimus : & vero ita veritates geometricas inventas eſſe, apparet ex dictis (§. 75.).

83. Non una, ac ſola arte, dexteritateque ratiocinandi artem inveniendi abſolvi, ſed præter eam opus eſſe aliis artificiis, dictum eſt in Logica (§. 278. Log.): talia ſunt e. g. *Reductio*, qua propoſitæ cujuſdam quæſtionis ſtatus in alium ſimilem, ſed ante jam cognitum, commutatur; *Fictio*, qua aliquid, quod non eſt, propter ſimilitudinem ſumitur, ac ſi eſſet : patet autem, hæc ab ingenio dependere (§. 65.); atque adeo ars inveniendi ſine ingenio conſiſtere nequit. (106)

SE-

inquit Auctor ſpeciminis &c. pag. 148. „ Prima ex varia idearum combinatione alicujus facultatis antea „ notæ ignotas veritates, quæ naturaliter ex illa fluunt, deducit : ſecunda vero ingenio addit quid ita „ excellens, quod ſapit vim creatricem „.

(106) *Sano ſenſu* pollere dicitur homo, ſi res faciles rite primo intuitu percipiat : rite vero dicitur percipere (quod Italis eſt *eſſere di buon guſto*), ſi abſque reflexione ad peculiaris cujuſpiam regulæ uſum, ordinem facile ſentiat, ac modum, qui in factis, & dictis conveniens ſit, magiſque deceat.

Digitized by Google

SECTIO IV.

De Facultate Appetitiva.

CAPUT I.

De Facultatis Appetitivæ Parte inferiore, ſeu Appetitu Senſitivo.

84. A Cognitione ad appetitum Anima progreditur. Quemadmodum vero in cognitionibus diverſitas habetur ita, ut cognitio alia ſit confuſa, alia diſtincta; ſic quoque in appetitu diſcrimen naſcitur ita, ut in ſpecie facultatis appetitivæ *pars inferior* ſit, *quæ a cognitione confuſa*; *pars ſuperior*, *quæ a cognitione diſtincta ortum trahit.* Progreſſus ille Animæ a cognitione ad appetitum non fit per ſaltum, ſed per congrua media, quæ adeo ante cætera hic exponenda erunt.

SCH. Paſſim adhuc Philoſophi appetitum diviſerunt in ſenſitivum, & rationalem: *illi reſpondet facultatis appetitivæ pars inferior; huic pars ſuperior: noſtra proinde diviſione re ipſa nihil novi, ac inſolentis molimur.*

85. Quoties vel in nobis, vel in re qualibet extra nos ſita perfectiones intuemur, toties in nobis *Voluptas* oritur, ut e. g. fit, cum imaginem videmus prototypo ſuo egregie ſimilem, in qua ſimilitudine ejus perfectio conſiſtit; item cum arduam aliquam veritatem intellectu comprehendimus, quippe in quo ipſo perfectio noſtri continetur.

86.

86. Itaque voluptas non immerito cum Carteſio (*) dicitur *ſenſus, ſive cognitio intuitiva perfectionis*; ubi modo notetur, hanc definitionem non equidem eſſe nominalem, atque adeo exprimentem notas, ſeu characteres ipſos voluptatis, ſed geneticam, qua ſcilicet modus explicatur, quo voluptas oriri conſuevit.

87. Perſæpe homines perfectum reputant, quod re ipſa perfectum non eſt; illis tamen perfectum apparet ideo, quod juxta alias regulas rem propoſitam conſiderent, quam juxta quas conſiderari deberet: ſic equidem nonnulli ignorant regulas bonæ orationis; alias tamen tenent, quæ ab illis prorſus diverſæ ſunt. Hinc autem fit, ut juxta has judicantes orationem perfectam reputent, quæ re ipſa perfecta non eſt.

88. Voluptas non modo oritur ex ſenſu perfectionis veræ, ſed etiam apparentis; inſigni tamen cum diſcrimine. Dum per judicium erroneum perfectum reputatur, quod re ipſa perfectum non eſt, fieri ſane poteſt, ut error demum agnoſcatur, quo adeo caſu ſenſus perfectionis, ipſaque voluptas diſparet; hinc voluptas ex ſenſu perfectionis apparentis orta minime durabilis eſt: ex oppoſito, ſi quid re ipſa perfectum eſt, metuendum non eſt, ut aliquando pro imperfecto haberi debeat; quotieſcumque ergo ejusmodi vera perfectio ſub ſenſum ceciderit, nunquam non voluptatem parit: itaque voluptas ex ſenſu, & intuitu perfectionis veræ orta conſtans, & immutabilis eſt.

89. Ut voluptas oriatur, requiritur tum perfectio, tum ejus cognitio; hinc voluptas creſcit partim ex perfectione, qua cognoſcitur, partim ex

(*) *Epiſt. Part.* I.

ex ipſa cognitione: tanto nempe voluptas eſt major, quanto major eſt perfectio, itemque quanto vividior, & ſimul certior perfectionis cognitio habetur.

SCH. Majorem voluptatem e. g. capit ex ædificii intuitu is, qui artis architectonicæ peritus eſt, quam qui ejus eſt ignarus; certiorem namque ille cognitionem perfectionis ædificii habet, quam iſte habeat.

90. Voluptati opponitur *Tædium*, quod per *ſenſum, ſeu intuitum imperfectionis* definiri ſolet. Ad tædium autem cuncta applicanda ſunt, quæ modo de voluptate ſunt tradita.

SCH. Tædium non eſt confundendum cum ſolo defectu, ſeu, ut loqui ſolent, carentia voluptatis. Diverſa hæc ſunt: Non capere voluptatem ex re quadam, *&* capere tædium ex illa. *Qui e. g. obiter imaginem intuetur, ex ea voluptatem non capit, neque tamen continuo etiam tædium capit.*

91. Tædii ſpecies eſt *Dolor*, qui congrue definitur per *ſenſum ex ſolutione continui in corpore ortum*. Nempe quiſque ultro admiſerit, ejuſmodi ſolutionem pro imperfectione noſtri habendam eſſe; ſenſus vero imperfectionis eſt tædium (§. 90.): itaque & dolor tædii ſpecies eſt.

92. *Quidquid nobis, vel ſtatui noſtro perfectionem adfert, Bonum; quidquid* vero *imperfectionem nobis, vel ſtatui noſtro conciliat, Malum* dicitur. Scientia e. g. nos perfectos, ignorantia imperfectos reddit; hinc ſcientia bonum, ignorantia malum cenſetur.

SCH. Per ſtatum hic complectimur tum illum, qui internus, *tum eum, qui* externus *appellatur. Scientia e. g. perficit ſtatum noſtrum internum; opes perficiunt ſtatum externum.*

93.

93. Intuitus, vel ſenſus perfectionis voluptatem (§. 86.), intuitus, vel ſenſus imperfectionis tædium parit (§. 90.): quoniam ergo bonum nobis, ſtatuique noſtro perfectionem, malum vero imperfectionem conciliat (§. 92.); intuitus, ſive ſenſus boni voluptatem, intuitus, ſive ſenſus mali tædium parit.

94. Exinde diſcimus bonum, itemque malum verum ab apparente diſcernere: bonum verum parit voluptatem conſtantem, non item bonum apparens: ſimiliter malum verum parit tædium conſtans, non item malum apparens.

SCH. Hinc ſcientia eſt bonum verum, cibus arridens palato, valetudini attamen officiens, bonum apparens eſt.

95. Voluptas conſtans, ac durabilis ea eſt, quæ a perfectione vera, voluptas minus durabilis, ac interitura illa, quæ a perfectione apparente ortum trahit (§. 88.): igitur & *Bonum verum* eſt, *quod nobis, ſtatuique noſtro perfectionem veram*; contra *Bonum apparens, quod non niſi apparentem perfectionem adfert.*

96. Tam perfectioni, quam imperfectioni ſui ſunt gradus (§. 137. Ontol.): ſunt igitur etiam tam bono, quam malo. Vulgo majus bonum exiſtimatur, quod majorem voluptatem, majus malum, quod majus tædium parit: ſed enim hæc æſtimatio boni, vel mali, quoniam a ſolo ſenſu pendet, non niſi cognitione confuſa abſolvitur, atque perſæpe erronea eſt. Diſtincte bonum, vel malum cognoſcitur, ſi perfectio, quam adfert bonum, vel imperfectio, quam conciliat malum, rite perſpicitur.

97. Ex cognitione boni, vel mali in mente incli-

clinatio, vel reclinatio ad objectum ſequitur; eſt autem *Inclinatio* illud, quod *Appetitus*, vel potius *Appetitio*; *Reclinatio*, quod *Averſatio* dici conſuevit. Speciatim *Inclinatio ex cognitione boni confuſa, ſeu ſenſuali orta*, *Appetitum ſenſitivum*, *Reclinatio ex ejuſmodi cognitione prognata*, *Averſationem ſenſitivam* conſtituit.

SCH. *Inclinationis, & reclinationis notionem ſolum confuſam ex ſenſu interno hic ſupponimus; neque alia ad præſens inſtitutum opus eſt: diſtincta in altera Pſychologiæ parte dabitur.*

98. Itaque qui appetitum ſenſitivum in agendo ſequuntur, id demum appetunt, quod ſenſus notabilius demulcet; averſantur autem illud, quod his moleſtiam adfert. Patet id ipſum ex hoc, quod non niſi cognitiones, & repræſentationes ſenſuales ſequantur, atque adeo bonum præſenti ſenſuum delectatione, malum præſenti eorumdem tædio æſtiment.

99. Appetitus, & averſatio ſenſitiva in diverſis ſubjectis diverſa ſunt: ad appetitum enim, & averſationem non modo perceptiones præſentes concurrunt, verum etiam præteritæ ope imaginationis reproductæ, & per memoriam ſaltem confuſe agnitæ: unde in illo ſubjecto, in quo plures præteritæ perfectiones cum præſente concurrunt, major appetitus, vel averſatio oritur, quam in eo, in quo pauciores concurrunt.

100. *Appetitum ſenſitivum, vel averſationem ſenſitivam vehementiorem, atque extantiorem, Affectum* dicimus. (107) SCH.

(107) *Paſſio* dicitur hic animi affectus. Paſſiones ſecundum S. Thomam 1. 2. q. 23. ar. 1. aliæ ſunt appetitus concupiſcibilis, aliæ appetitus iraſcibilis. Appeti-

SCH. Campum hic ad doctrinam de affectibus aperiri videmus, quam varii varie omnino pertractarunt. Nos præcipua ſeligemus, eaque, cum longis eſſe non liceat, paucis exequemur.

101. Primum affectus congrue in tria genera diſpeſcuntur, quorum unum continet *gratos*, ſive *jucundos*, alterum *moleſtos*, tertium *mixtos*. Affectus grati conjunctam ſibi habent ſenſualem voluptatem, moleſti tædium, mixti voluptatem tædio permixtam: hinc autem colligimus voluptatem, & tædium inconvenienter affectus a quibuſdam dici, cum ſint illud, quod omnibus reſpective affectibus commune eſt.

102. Quilibet affectus, experientia teſte, cum extraordinaria quadam ſanguinis, & fluidi nervei, ſive etiam ſpirituum vitalium commotione connexus eſſe ſolet: iraſcens e. g. vultu rubet, nuncque labia, ac dentes comprimit, nunc pedibus ſolum quatit &c.; quæ quidem ſine extraordinario ſanguinis, fluidique nervei motu nuſquam ſunt. (108)

titus concupiſcibilis dicitur illa pars appetitus ſenſitivi, quæ circa bonum, & malum ſenſibile verſatur præciſe ſumptum: appetitus vero iraſcibilis illa pars dicitur appetitus ſenſitivi, quæ bonum reſpicit, & malum non præciſe, ſed ſub ratione ardui.

(108) Hinc paſſio definitur a S. Thoma 1. 2. q. 22. *Motus appetitivæ virtutis ſenſibilis ex imaginatione boni, vel mali cum tranſmutatione corporali*. Corporis iſta tranſmutatio *libera cenſetur*, *vel quia imperatur*, *vel quia non prohibetur*, inquit idem S. Thomas. Pariter ex eodem Angelico Præceptore: „ Paſſiones Animæ dupliciter „ poſſunt ſe habere ad judicium rationis; uno modo „ antecedenter; & ſic, cum obnubilent judicium ra- „ tionis, ex quo dependet bonitas moralis actus, di- „ minuunt actus bonitatem. Laudabilius enim eſt, „ quod ex judicio rationis aliquis faciat opus charita- „ tis, quam ex ſola paſſione miſericordiæ. Alio modo „ ſe

103. Quod jam ad ipſas affectuum ſpecies attinet, in numero jucundorum, qui cum voluptate conjuncti ſunt, ponitur Amor, Odium, Irriſio, Acquieſcentia in ſe ipſo, Gloria, Spes, Malevolentia, Hilaritas. *Amor* eſt *lætitia*, vel juxta alios *promptitudo capiendi lætitiam ex perfectione alterius*; per lætitiam nempe inſignis gradus voluptatis intelligitur. *Odium* eſt *lætitia*, vel juxta alios *promptitudo capiendi lætitiam ex imperfectione alterius*. *Irriſio* eſt *lætitia percepta ex infelicitate alterius*; oritur hæc ex inſigni odio. *Acquieſcentia in ſe ipſo* eſt *lætitia*, *quam ex bono*, *quod a nobis patratum eſt*, *capimus*. *Gloria* eſt *lætitia orta ex bono a nobis patrato*, *quatenus id ad opinionem aliorum refertur*. *Spes* eſt *voluptas ex bono obtinendo percepta*: ſpes abit in *Fiduciam*, ſi voluptas in lætitiam degenerat. *Malevolentia* eſt *lætitia*, *quam ex malis alterius ſine emolumento noſtro percipimus*. *Hilaritas* eſt *lætitia ex eo enaſcens*, *quod malum præterierit*, *vel metus illius diſparuerit*.

104. In claſſe affectuum moleſtorum continetur Miſericordia, Invidia, Pœnitentia, Metus, Deſperatio, Terror, Puſillanimitas, Faſtidium, Ira, Pudor, Obtrectatio, Æmulatio, Luctus.

Mi-

„ ſe habent conſequenter, & hoc dupliciter. Uno mo„ do per modum redundantiæ, quia ſcilicet cum ſupe„ rior pars animæ intenſe movetur in aliquid, ſequi„ tur motum ejus etiam pars inferior; & ſic paſſio ex„ iſtens conſequenter in appetitu ſenſitivo, eſt ſignum „ intenſioris voluntatis, & ſic indicat bonitatem mo„ ralem majorem. Alio modo per modum electionis, „ quando ſcilicet homo ex judicio rationis eligit affici „ aliqua paſſione, ut promptius operetur, cooperante „ appetitu ſenſitivo, & ſic paſſio animæ addit ad bo„ nitatem actionis „. 1. 2. q. 24. ar. 3. ad 1.

Miſericordia eſt *triſtitia ex alterius miſeria orta*; per triſtitiam ſcilicet inſignis gradus tædii indigitatur: miſericordiæ mater eſt amor. *Invidia* eſt *triſtitia ex alterius felicitate ſuſcepta*, cujus mater eſt odium. *Pœnitentia* eſt *triſtitia, quam ex malo, quod a nobis patratum eſt, capimus*. *Metus* eſt *tædium ex malo adventuro perceptum*. *Deſperatio* eſt *intolerabilis triſtitia ſuper malo venturo*. *Terror* eſt *triſtitia ex inopinato malo, quod pro magno habetur, ortum trahens*. *Puſillanimitas* eſt *triſtitia ex difficultate boni, quod concupiſcitur, obtinendi*. *Faſtidium* eſt *tædium perceptum ex eo, quod ante voluptatem attulerat*. *Ira* eſt *triſtitia ex injuria nobis, vel aliis illata proveniens, conjuncta cum odio ejus, qui injuriam intulit*. *Pudor* eſt *triſtitia oriunda ex malo a nobis patrato, vel patrando*, quatenus id ad opinionem aliorum refertur. *Obtrectatio*, quam etiam *Zelotypiam* nominant, eſt *triſtitia orta ex eo, quod alius quoque potitur illo, quo ipſe potitur*. *Æmulatio* eſt *triſtitia, quæ oritur, ſi quis eo, quod concupiverit, alter potitur, ipſe caret*. *Luctus* eſt *triſtitia percepta ex interitu ejus, quem amavimus*.

105. Affectus, prout quotidianis fere exemplis compertum habetur, attentionem plurimum impediunt ita, ut verum cernere nequeamus; unde fit, ut ex præcipitantia ad actiones feramur, quas poſtea pœnitentia excipit: atque idcirco homo indulgens affectibus *in ſtatu ſervitutis* eſſe dicitur. (109)

(109) Undecim ſunt ſecundum Scholaſticos paſſiones: ſex nimirum concupiſcibilis, quinque partis iraſcibilis. Prioris ſunt, amor, & odium, deſiderium, & fuga, gaudium, & dolor: poſterioris autem ſunt ſpes, & deſpe-

CAPUT II.

De Facultatis Appetitivæ Parte ſuperiore, ſeu Appetitu Rationali.

106. **E**St facultatis appetitivæ Pars ſuperior, quæ a cognitione diſtincta ortum trahit (§. 84.): hinc per appetitum rationalem non aliud intelligitur, quam inclinatio in mente ad bonum diſtincte cognitum: hinc appetitui rationali reſpondet averſatio rationalis ſita in reclinatione a malo pariter diſtincte cognito.

107. Quatenus mens ad bonum inclinatur, id ipſum *velle*; quatenus vero a malo reclinatur, id ipſum *nolle* dicitur: unde etiam *facultas habendi inclinationem ad bonum*, *Voluntas*; *facultas* autem *habendi reclinationem a malo*, *Noluntas* nominatur. Veteres paſſim ad voluntatem referebant tum ipſum velle, tum ipſum nolle; quos ſi ſequi placet, voluntas dicenda eſt facultas ſeſe inclinandi ad objectum, quod cognoſcitur eſſe bonum, & ſeſe reclinandi ab objecto, quod eſſe malum cognoſcitur.

108. Ex dictis colligitur, numquam non aliquid adeſſe, ex quo intelligitur, cur hoc, vel illud velimus, ſeu etiam in genere appetamus, itemque cur hoc, vel illud nolimus, ſeu in genere averſemur: nempe in priori caſu repræſentationem, & cognitionem boni, in poſteriori re-

præ-

---

deſperatio, audacia, & metus, & ira, quæ caret contrario. Qui plura hac de re deſiderat adeat S. Thomam 1. 2. a q. 22. ad 48.

præſentationem, & cognitionem mali habemus: unde hæc lex appetitus, & in ſpecie voluntatis extat: QUICQUID MENS APPETIT, APPETIT SUB RATIONE BONI; QUICQUID AVERSATUR, AVERSATUR SUB RATIONE MALI.

SCH. Hanc legem, putem, nemo ſaniorum Philoſophorum ſerio in dubium vocaverit; quæ adverſus eam objici poſſe videntur, facile ſolvuntur, ut continuo patebit.

109. Repræſentationes boni, & mali alias etiam *Motiva volendi*, & *nolendi* dicuntur: cum itaque mens nihil velit, niſi ſub ratione boni, nilque nolit, niſi ſub ratione mali (§. præc.), patet, VOLUNTATEM NIHIL VELLE, VEL NOLLE SINE MOTIVIS.

110. Nonnunquam homines quidpiam volunt, vel nolunt, quin tamen rogati dicere, ac explicare poſſint, cur id ipſum velint, vel nolint. Enimvero exinde inferre non licet, eos ſimpliciter velle, vel nolle aliquid ſine motivis, ſed ſolum apud eos repræſentationem, & cognitionem boni vel mali minus diſtinctam eſſe.

111. Mens vult, vel appetit quidpiam pro ratione boni, & non vult, vel averſatur pro ratione mali, quod in eo cognoſcit (§. 108.). Id autem ita accipiendum eſt, ut etiam judicium falſum de bonitate, vel malitia objecti ſufficere cenſeatur ad id appetendum, vel averſandum: atque ex hoc intelligitur, quo pacto fieri poſſit, ut complures bonum averſentur, malum appetant, ſcilicet quia illud ipſis repræſentatur ut malum, iſtud ut bonum.

112. Sed enim accidit, ut cognoſcatur aliquid eſſe malum, & tamen appetatur, atque eligatur, e. g. abjectio mercium in caſu naufragii: atqui id

ipſum ita ſit, ut non appetatur, quatenus malum eſt, & eſſe cognoſcitur, ſed quatenus medium ad evitandum majus malum, atque adeo bonum eſt, & eſſe cognoſcitur.

113. Qui ſæpius appetiverunt, vel averſati ſunt quidpiam, id denuo oblatum appetere, vel averſari ſolent abſque eo ut rationem diſtincte expendant, cur id appetant, vel averſentur; dicuntur hi *agere ex conſuetudine*: eſtque adeo *Conſuetudo*, *habitus agendi ex præterita determinatione*.

114. In conſuetudine proinde volendi, vel nolendi motiva latent; unde intellecturi, quomodo appetitus, vel averſatio naſcatur, attentionem ad illos caſus convertere oportet, quibus prima vice aliquid appetimus, vel averſamur.

115. Appetitum rationalem a ſenſitivo plurimum differre, ſatis quidem ex dictis (§. 106.) patet: attamen ut hominum intellectus hac in vita nunquam purus, ſeu ab omni ſenſu, & imaginatione ſecretus eſt, ita appetitui rationali ſenſitivus perpetuo permiſcetur: atque inde fit, ut ſæpius, non attentis repræſentationibus diſtinctis boni, vel mali, eo inclinemur, ſeu id velimus, quod alias nolebamus, ac viciſſim id nolimus, quod alias volebamus; idque ſcilicet propterea, quod hujuſmodi caſu ſenſualis, ac intuitiva cognitio vincat cognitionem intellectualem, ac ſymbolicam.

116. Interim tamen etiam fieri poteſt, ut uterque appetitus in idem feratur, ac conſentiat; certiſſimumque eſt tum in appetitu rationali plus fore efficaciæ, ſi quod per intellectum cognoſcitur eſſe bonum, ſenſuum etiam judicio bonum agnoſcatur; ſimiliter appetitum ſenſitivum fore

for-

fortiorem, ſi diſtinctis repræſentationibus quodam modo fulciatur: ex quo ipſo principia animos hominum flectendi, ac permovendi repetuntur, quibus ſane opus habent boni Oratores, cum ab Auditoribus ſuis quidpiam agi, vel omitti volunt.

117. Mens nihil vult, vel non vult ſine motivis (§. 108.); NEQUE TAMEN UT VELIT, VEL NOLIT VI QUADAM EXTERNA, AUT INTERNA COGITUR, VEL COGI POTEST. Si enim mens ad volendum, vel nolendum vi externa cogi poteſt, tum vi externa effici poſſet, ut id, quod intellectus tanquam malum agnoſcit, ſimul pro bono haberet, & viciſſim; mens enim nihil vult, niſi bonum, nihil averſatur, niſi malum (§. 108.); atqui vero per principium contradictionis id fieri nequit; itaque fieri etiam nequit, ut mens vi externa cogatur aliquid velle, vel nolle.

Quod autem etiam coactioni internæ voluntas ſubjecta non ſit, id vel ipſi in nobis experiri poſſumus; etenim ubi bonum aliquod nobis repræſentaverimus, ad id volendum invitabimur quidem, aderitque etiam fundamentum ſufficiens volendi; nulla vero aderit coactio, aut neceſſitas, cum adhuc integrum nobis futurum ſit, mutata voluntate, aliud velle.

SCH. Dum dicimus, voluntatem vi externa cogi non poſſe, id de actibus, ut ajunt, elicitis, *hoc eſt internis appetitionibus, non vero de iis, quos* imperatos *vocant, hoc eſt de actibus externis, intelligendum eſt: hinc nempe ſupplicio afficiendus nulla vi externa cogi poterit, ut appetat patibulum, licet cogi poſſit, ut e. g. pedem moveat ad locum ſupplicii.* (110)

(110) Ut melius, quæ heic loci tradit A., intelligan-

118. Itaque Anima, quoniam nulla vi cogi poteſt, ut velit, vel nolit, ipſa ſe ad volendum, vel nolendum determinat, convenienter tamen motivis, quod niſi addatur, dicere licebit, *Animam velle, quia vult*: hoc autem cum jure videri abſonum debeat, colligitur, ex repræſentationibus boni, vel mali, ſeu motivis demum intelligi, cur Anima ipſa ſe ad volendum, vel nolendum determinet, hoc eſt: ANIMA IPSA SE DETERMINAT AD VOLENDUM, VEL NOLENDUM CONVENIENTER MOTIVIS.

119. Quatenus Anima ab omni coactione libera ſe ipſam determinare valet ad volendum, vel nolendum, *Spontaneitas* ei tribuitur, actioneſque adeo, *quæ ex propria illius determinatione ponuntur*, *ſpontaneæ* appellantur.

120. His præſtructis inveſtigandum jam eſt, in quonam genuina *Libertatis* notio conſiſtat. Ad quam diſtrictius evolvendam plurimum profuerit ſpe-

---

gantur, aliqua de Violentia ſunt addenda. „ Violentum ex S. Thoma 2. 2. q. 175. a. 1. in cor. dicitur, „ cujus principium eſt extra, nil conferente eo, quod „ vim patitur „. Duplex genus violentiæ diſtinguitur: alia ſufficiens dicitur, quam S. Thomas compellentem, Juriſtæ abſolutam vocant; alia eſt inſufficiens, quæ S. Thomæ impulſiva eſt, Juriſtis conditionata. Violentia ſufficiens eſt, cum actus aliquis vi ineluctabili a nobis invitis, & repugnantibus extorquetur: violentia vero inſufficiens eſt, cum dolore, ac ſuppliciis conſenſus voluntatis extorquetur. Sic dum Tyrannus vim infert corpori, ut voluntatem adigat ad abnegandam fidem, violentia quidem eſt, ſed inſufficiens, impulſiva, conditionata, moralis; nam abſolute poſſumus id, quod exigitur, non agere: at ſi violente arrepta manus cogatur ad impiam ſubſcriptionem, palam eſt, eſſe violentiam ſufficientem, compellentem, abſolutam, & phyſicam.

ſpecialem aliquam actionem ; quæ *libera* dicitur, expendiſſe.

121. Ponamus igitur Titium libere nomen militiæ dare. Nonne hic ſequentia requiruntur: 1. ut diſtincte perſpiciat, quid agat, ut dignoſcat commoda ſibi ex hoc ſtatu adventura &c.: 2. ut ſtatum militarem repudiare, ſeu non eligere poſſit: 3. denique, ut ſe ipſe determinet ad hunc ſtatum amplectendum, neque ab alio ad eundem cogatur, aut pertrahatur?

122. Ex his colligimus, ad *Libertatem* ſpectare 1. actionis ſuſcipiendæ *intelligentiam*; unde brutis ſolet denegari libertas: 2. veram *contingentiam*, ſeu oppoſiti poſſibilitatem; unde libertati non ſubjiciuntur pulſus cordis, ſanguinis circulatio &c.: 3. *ſpontaneitatem*; quam ob rem libertas deficit in caſu, quo fur a carnifice ad furcam pertrahitur. Atque adeo in hanc *Libertatis* definitionem incidimus, quod ſit FACULTAS ENTIS INTELLIGENTIS EX PLURIBUS POSSIBILIBUS, SIVE CONTINGENTIBUS SPONTE ELIGENDI, QUOD IPSI MAXIME PLACET.

123. Paſſim libertas dicitur facultas, poſitis omnibus ad agendum requiſitis, agendi, vel non agendi; item agendi hoc, vel contrarium. Prior appellatur *Libertas contradictionis*, poſterior *Libertas contrarietatis*: hæc adeo a nobis non rejiciuntur, ut potius aperte in definitione indicentur; cum enim libertatem conſtituamus in facultate ſponte eligendi aliquid ex pluribus poſſibilibus, omnem utique ab agendi exercitio neceſſitatem removemus (per princ. Ontol.): hinc etiam ex ſententia noſtra libera actio non foret, quæ aut omitti non potuiſſet, aut cui contraria poni non potuiſſet. Id modo nemo deſideraverit,

ut

ut cum actio potius ponitur, quam omittitur, aut cum contraria ponitur, contra principium rationis ſufficientis, quod adeo etiam reſpectu voluntatis locum habere volumus, dicamus fieri abſque eo ut aliquid ſuppetat, unde intelligitur, cur fiat. Quid autem illud ſit? Ipſa voluntas? Igitur volumus, quia volumus; an hæc intelligibilis explicatio dicenda? Quid ſupereſt præter motiva volendi? At forte libertati officiunt? Atqui in actionem nullam neceſſitatem invehunt (§. 117.). Tum ſi motiva volendi officiunt libertati, ſequitur, quamvis actionem, ſiquidem libera dici debeat, ſine antecedenti deliberatione, & expenſione ſuſcipiendam eſſe, omnemque illam, quæ cum ratione, & intelligentia ſuſcipitur, fore neceſſariam: unde tota quanta doctrina de moribus inutilis, vanaque futura eſt: hæc vero an non abſurda? (111).

SCH.

(111) 1. Quæ de Principio rationis ſufficientis notanda in hac Pſychologia occurrunt, ea ſunt in hunc locum ex induſtria reſervata, ut unico veluti conſpectu, & non interrupta ſerie exhibeantur omnia. Iſtud ergo primo loco notandum, boni, & mali repræſentationes eſſe quidem motiva volendi, & nolendi, uti docet Auctor §§. 108. & 109.; non tamen quæcumque repræſentationes, vel quolibet modo fiant, ſunt motiva, ſed illæ tantum, quibus objectum repræſentatur non ſolum ut bonum, aut malum, verum etiam ut heic, & nunc conveniens, vel non conveniens. „Bonum movens voluntatem, inquit S. Thomas in q. de Elect. humana „ eſt bonum conveniens apprehenſum; „ unde ſi aliquod bonum proponatur, quod apprehendatur in ratione boni, non autem in ratione convenientis, non movebit voluntatem .... Requiritur, „ ut id, quod apprehenditur ut bonum, & conveniens, apprehendatur ut bonum, & conveniens in „ par-

SCH. Tradidimus adhuc, quæ tum circa facultatem cognoſcitivam, tum circa appetitivam præcipue tradenda videbantur. De Habitibus quædam pro coronide hoc loco attexenda putamus.

124.

„ particulari, & non in univerſali tantum „.

2. Quod S. Thomas expreſſe de bono apprehenſo notat, intelligi debet ſuo modo & de malo. Sicuti enim bonum non movet, niſi apprehenſum ut conveniens in particulari, ſeu *ut nunc*; ita nec malum movet, niſi apprehenſum ut diſconveniens in particulari, ſeu *ut nunc*: bonum etenim eatenus movet voluntatem ad volendum, ſeu proſequendum, quatenus allicit, ſeu placet: malum vero eatenus movet ad nolendum, ſeu reſpuendum, quatenus repellit, ſeu diſplicet: appetitui autem non placet, niſi quod illi ut congruens, ſeu conveniens exhibetur; nec diſplicet, niſi quod illi ut incongruum, ſeu diſconveniens repræſentatur. Quare niſi bonum *ut conveniens* proponatur appetitui, & malum *ut diſconveniens*, non movebitur appetitus. Debet vero bonum, vel malum repræſentari ut conveniens, vel diſconveniens *in particulari*, ſeu *ut nunc*, hoc eſt ſecundum peculiares, & præſentes circumſtantias; cum eſſe conveniens, aut diſconveniens in quadam coaptatione, vel repugnantia, ſeu relatione quadam conſiſtat, quæ tollitur, vel mutatur, mutatis præſentibus, & peculiaribus circumſtantiis. „ Aliter enim movetur ad aliquid voluntas irati, & voluntas quieti, quia non idem eſt conveniens utrique; „ ſicuti etiam aliter acceptatur cibus a ſano, & ab „ ægro „ ut inquit idem S. Thomas ibid.

3. Motiva igitur volendi, aut nolendi ſunt repræſentationes boni, vel mali, apprehenſi tamen ut convenientis, vel diſconvenientis in particulari, & non in univerſali tantum. Quod multo magis verum eſt, ſi ſermo ſit de motivis, ob quæ Anima (ex §. 118.) ſe determinat ad volendum, vel nolendum. Quid enim eſt Animam, vel generatim agens ſe determinare ad volendum, vel nolendum, niſi ſe determinare ad proſequendum, quod ei placet, & ad fugiendum, quod ei diſplicet? Igitur ut repræſentatio boni ſit motivum deter-

124. Anima per exercitium acquirit habitus, tam habendi notiones, item judicandi, ac ratiocinandi, quæ ad intellectum pertinent, quam appetendi, & averſandi, quæ ad voluntatem ſpectant.

---

terminationis volendi, debet eſſe talis, ut per eam bonum & innoteſcat, & ſapiat: & repræſentatio mali, ut ſit motivum determinationis nolendi, debet eſſe talis, ut per eam malum & innoteſcat, & diſpliceat. Unde S. Auguſtinus lib. II. de peccat. Meritis, & Remiſ. cap. 17.: „ Nolunt, inquit, homines facere, quod „ juſtum eſt, ſive quia latet, an juſtum ſit, ſive quia „ non delectat „. Bonum enim, quod vel latet, vel non delectat, nullatenus movet agens ad ſe determinandum ad volendum; ſicuti nec malum movet ad nolendum, quod vel ignoratur, vel non diſplicet.

4. Ex his porro intelligitur, cur homines interdum vel ea appetant, quæ mala ſunt, vel ea reſpuant, quæ ſunt bona: id enim contingit, vel quia falſo judicio illa repræſentantur ut bona, hæc vero ut mala (ex §. 111.); vel quia etſi aliquid agnoſcatur malum, ſub aliqua tamen ratione apprehenditur etiam ut bonum, & heic, & nunc conveniens; & viciſſim aliquid, quod cognoſcitur bonum, apprehenditur ſub quadam ratione ut malum, & heic, & nunc diſconveniens (ex §§. 112. 115.). Hinc illud Medeæ apud Ovidium lib. VII. Metamorphoſ. v. 18., & ſeq.

„ - - - - - - - Aliudque cupido,
„ Mens aliud ſvadet: video meliora, proboque,
„ Deteriora ſequor.

5. Obſervat etiam S. Thomas *quæſt.* 24. *de Verit. ar.* 2., quod „ appetitus cognitionem ſequitur, cum appe„ titus non ſit niſi boni, quod ſibi per vim cognitivam „ proponitur; & quod quandoque appetitus videatur „ cognitionem non ſequi, hoc ideo eſt, quia non circa „ idem accipitur appetitus, & cognitionis judicium. „ Eſt enim appetitus de particulari operabili; judicium „ vero rationis quandoque eſt de aliquo univerſali (hoc „ eſt non omnimode determinato), quod eſt quando„ que contrarium appetitui. Sed judicium de hoc par„ ticulari operabili ut nunc, numquam poteſt eſſe con„ trarium appetitui „.

6.

ctant. Nomine *Exercitii* intelligitur *actuum ejuſdem generis repetitio*. *Habitus* conſiſtit *in facilitate, ſeu promptitudine illiusmodi actus ponendi*. Cenſemur autem *faciliter*, & *prompte* id agere, quod temporis, & ope-

---

6. Notandum deinde eſt, actiones ſpontaneas illas dici ab A. §. 119., ad quas Anima ſe ipſam determinat, ſeu quæ ex propria ipſius Animæ determinatione ponuntur. Quid porro ſit Animam ſe ipſam determinare, Auctor ſupponit potius, quam exprimat §. 118., licet indicet, quid aliud eſſe, præter ſolam exemptionem ab externa, & interna coactione. Abs re itaque non erit id ipſum declarare doctrina S. Thomæ *quæſt.* 24. *de Verit. ar.* 1., quæ eſt in hanc rem aptiſſima: obſervat enim „ in iis, quæ moventur, vel aliquid agunt, „ hanc inveniri differentiam, quod quædam principium „ ſui motus, vel operationis habent in ſe ipſis; quæ„ dam vero extra ſe, ſicut ea, quæ per violentiam „ moventur.... Eorum autem, quorum principium „ motus, & operis in ipſis eſt, quædam talia ſunt, „ quod ipſa ſe ipſa movent; quædam autem, quæ non „ movent ſe ipſa, quamvis in ſe ipſis ſui motus ali„ quod principium habeant, ſicut gravia, & levia... „ Eorum autem, quæ a ſe ipſis moventur, quorum„ dam motus ex judicio rationis proveniunt; quorum„ dam vero ex judicio naturali: ex judicio rationis „ homines agunt, & moventur; ſed ex judicio natu„ rali agunt, & moventur omnia bruta... Unde re„ cte conſideranti apparet, quod per quem modum tri„ buitur motus, & actio corporibus naturalibus inani„ matis, per eumdem modum attribuitur brutis ani„ malibus judicium de agendis. Sicut enim gravia, & „ levia non movent ſe ipſa, ut per hoc ſint cauſſa ſui „ motus: ita nec bruta judicant de ſuo judicio, ſed „ ſequuntur judicium ſibi a Deo inditum, & ſic non „ ſunt cauſſa ſui arbitrii, nec libertatem arbitrii ha„ bent. Homo vero per virtutem rationis judicans de „ agendis, poteſt de ſuo judicio judicare, in quantum „ cognoſcit rationem finis, & ejus, quod eſt ad finem, „ & habitudinem, & ordinem unius ad alterum. Et „ ideo non eſt ſolum cauſſa ſui ipſius in movendo, ſed „ in

operæ compendio agimus. Unde diſcrimen elucet, quod inter *facilitatem*, ſeu promptitudinem, & inter facultatem, ſeu potentiam intercedit: nunc multa agere, ac præſtare valemus, ſed

„ in judicando; & ideo eſt liberi arbitrii, ac ſi diceretur liberi judicii de agendo, vel non agendo „. Ex iſta paullo quidem prolixà, ſed rei tamen noſtræ accomodatiſſima S. Thomæ obſervatione colligere licet, Animam rationalem determinare ſe ipſam, ſeu ejus actionem poni ex propria ipſius Animæ determinatione, quatenus proprio ſe judicio ad actionem applicat; cum ad hanc neque ab externa, neque ab interna coactione, vel neceſſitate ſit determinata. „ Non enim eſſet „ homo liberi arbitrii, inquit idem S. Thomas in II. Sentent. diſtinct. 28. q. 1. ar. 1. „ niſi ad eum determinatio ſui operis pertineret, ut ex proprio judicio eligat hoc, aut illud „. Hinc 1. 2. q. 9. a. 3. ad 6., & alibi ſæpe, agnoſcit veluti proprium agentis liberi operandi modum *per rationem determinare ſe ad volendum hoc, vel illud*; & cit. q. 24. de Verit. art. 2. in cor., & ad 2., ac 3. obſervat, quod „ quamvis in brutis ſit „ quædam potentia motiva indifferens ad agere, & „ non agere; tamen quia judicium, quo ea motiva potentia indifferens applicatur ad alterum oppoſitorum, „ eſt naturaliter determinatum ad unum, & non ex „ collatione rationis, idcirco non eſt in eis libertas „ arbitrii „.

7. Conſtat igitur 1., Animam (ex §. 118.) ſe ad volendum, vel nolendum determinare convenienter ad motiva, præter exemptionem ab externa, & interna coactione, ſignificare inſuper, Animam ex proprio judicio non determinato naturaliter ad unum, ſed ex collatione rationis formato, ſe ipſam, ſeu propriam indifferentem poteſtatem applicare ad alterum oppoſitorum, hoc eſt potius ad volendum e. g., quam ad nolendum, vel ſuſpendendum volitionis actum. Conſtat 2., ſpontaneitatem ab Auctore §. 119. ſumi non pro ſola exemptione ab externa coactione, ut plerumque ab aliis ſolet intelligi, ſed etiam a neceſſitate interna, & involvere determinationem factam ex proprio judicio for-

ſed non ſine mora, & opera inſigni, id quod ſolum facultatem arguit: alias eadem agimus, ac præſtamus abſque omni fere mora, ac opera, id quod facilitatem, ſeu habitum adſtruit.

SE-

---

formato ex collatione rationis inter oppoſita expendentis, quid ſibi heic, & nunc expediat, vel non expediat: unde actiones, quæ ab A. eodem §. 119. ſpontaneæ dicuntur, illæ ſunt, quæ ab Anima fiunt ſe ipſam ad illas ex proprio judicio determinante. Hinc 3. conſtat, quam recte obſervet A. §. 121., & colligat §. 122., tria hæc ad libertatem requiri, nempe primo actionis ſuſcipiendæ intelligentiam; ut agens nimirum diſtincte percipiat, quid agat, ut dignoſcat commoda ſibi ex tali actione adventura; debet enim agens liberum (n. 6.) cognoſcere rationem finis, & ejus, quod eſt ad finem, & habitudinem, & ordinem unius ad alterum: ſecundo veram contingentiam, ſeu oppoſiti poſſibilitatem, ita, ut poſſit agens repudiare, ſeu non eligere, aut non agere; quamvis enim (eod. n. 6.) non ſufficiat ad libertatem poteſtas ad oppoſita, ſeu indifferens ad agere, vel non agere, requiritur tamen etiam hæc poteſtas ad libertatem: tertio ſpontaneitatem, ſcilicet ut agens ſe ipſum ad actionem determinet, hoc eſt non ab alio coactum, ſed ex proprio judicio ex collatione rationis non naturaliter determinato ad unum ſe applicet ad agendum: ſi enim vel nullum ſit judicium, ut in corporibus naturalibus inanimatis, vel ſi judicium ſit naturaliter, ut in brutis, & non ex collatione rationis determinatum ad unum, non eſt (eod. n. 6.) in agente libertas arbitrii. Tandem 4. conſtat, definitionem libertatis, quam tradit A. cit. §. 122. in hanc demum recidere, vel reſolvi: *Libertas eſt facultas entis intelligentis ex pluribus poſſibilibus, vel contingentibus id eligendi, ad quod proprio ſe judicio determinaverit*. Nam ſponte eligere, vel ſe determinare idem eſt, ut jam notavimus, ac eligere, vel ſe determinare ex judicio rationis; nec aliud ſignificat, agens eligere, quod ſibi magis placet: quid enim eſt agens eligere, quod ipſi magis placet, niſi id eligere, quod heic, & nunc proprio judicio alteri præfert?

SECTIO V.

CAPUT UNICUM.

De Commercio inter Animam, & Corpus, illiusque in iſtud Regimine.

125. NEminem, qui ad ſe ipſum attendit, fugere poteſt, tunc, cum objecta externa in organis ſenſoriis mutationem producunt, in mente oriri perceptionem, ſeu repræſentationem eo-

ſert? Fieri profecto nequit, ut quidpiam placeat agenti libero, niſi per rationem ei repræſentetur ut bonum, atque conveniens (n. 1., & 3.); atque adeo nec fieri poteſt, ut quicquam eidem magis placeat, niſi in comparatione aliorum repræſentetur ut magis bonum, hoc eſt, ut magis conveniens, aut expediens.

8. Cum judicium, quo agens liberum ſe determinat, debeat eſſe (n. 6.) non naturaliter determinatum ad unum, ſed ex collatione rationis, quæ ſe habet ad oppoſita, ut notat Angelicus 1. p. q. 83. ar. 1., dici iccirco ſolet, judicium illud debere eſſe objective indifferens. Dicitur vero objective indifferens, non quia repræſentet objectum ſub omnimoda indifferentia, hoc eſt ut æque eligendum, ac non eligendum abſque ulla ratione, ſive motivo, cur e. g. eligatur potius, quam non eligatur; neque enim in hac hypotheſi ſe determinaret agens proprio judicio, ut evidens eſt; ſed quia, licet agens per tale judicium vere exeat a ſtatu ſuſpenſionis, ſeque determinate ad alterum oppoſitorum applicet, ita tamen per illud proponitur objectum, ut heic, & nunc potius eligendum e. g., quam non eligendum, ob aliquod motivum, ſeu peculiarem rationem vel honeſtatis, vel utilitatis, vel voluptatis, ut ſimul

eorundem. Hæc ergo ſimul ſunt: mutatio in corpore, & rei, a qua mutatio producta eſt, in mente repræſentatio. Ajo hæc ſimul eſſe, idque

 per

---

mul agens cognoſcat illud non eſſe undequaque bonum, nec ſibi abſolute neceſſarium; atque adeo nec abſoluta illi eſſe neceſſitate adhærendum: hoc enim dato agens ex proprio judicio ſe vere determinat ad illud eligendum, & ideo electio vere libera eſt. Quare hoc judicium, quo agens liberum ſe determinat, diſtingui debet & a judicio illo univerſali, ut illud appellat S. Thomas (n. 5.), quod eſt quandoque contrarium appetitui, & ab imperio, quod juxta eumdem S. Doctorem 1. 2. q. 17. ar. 3. ad 1. poſterius electione eſt. Illud enim univerſale judicium præcedit conſultationem, & objectum proponit ſub aliqua ratione boni, & eligibilis, at nondum ut determinate heic, & nunc eligendum; quia nondum ſunt per rationem expenſa, atque librata hinc & inde momenta, ut agens determinate judicet heic, & nunc expedire talis objecti electionem. „ In rebus enim agendis, ut obſervat idem Angelicus 1. 2. *q.* 14. *a.* 1. „ multa incertitudo invenitur, quia „ actiones ſunt circa ſingularia contingentia, quæ pro„ pter ſui variabilitatem incerta ſunt, in rebus au„ tem dubiis, & incertis ratio non profert judicium „ abſque inquiſitione præcedente, & ideo neceſſaria „ eſt inquiſitio rationis ante judicium de eligendis, & „ hæc inquiſitio conſilium vocatur „. Eſt vero judi„ cium, ut ait idem S. Thomas 1. *p. q.* 83. *ar.* 3. *ad* 2., quaſi „ concluſio, & determinatio conſilii. Determinatur enim „ conſilium primo quidem per ſententiam rationis, & „ ſecundo per acceptationem appetitus „. Unde „ poſt „ determinationem conſilii, addit *cit. q.* 17. *ar.* 3. *ad* 2., „ quæ eſt judicium rationis, voluntas eligit, & poſt ele„ ctionem ratio imperat ei, per quod agendum eſt, quod „ eligitur „: obſervandum tamen eſt, quod ad hoc judicium determinatum non ſemper eſt neceſſaria præcedens conſultatio; ut enim notat idem S. Doctor *cit. q.* 14. *ar.* 4. *ad* 2. „ ratio in rebus manifeſtis non inquirit, ſed ſtatim „ judicat, & ideo non oportet in omnibus, quæ ratione „ aguntur, eſſe inquiſitionem conſilii „ Et q. 24. de Verit. ar-

per experientiam nobis certum eſt: minime vero experimur, repræſentationem in mente per veram aliquam actionem a corpore tanquam cauſſa producí

ar. 3. ad 4. „ Dicendum, inquit, quod hoc, quod electio ſequatur conſilium, quod cum inquiſitione agitur, accidit electioni, ſecundum quod invenitur in natura rationali, quæ veritatis notitiam capit per diſcurſum rationis, ſed in natura intellectuali, quæ habet ſimplicem acceptionem veritatis, invenitur electio abſque inquiſitione præcedente, & ſic electio in Deo eſt „. Judicium ergo objective indifferens, & tamen proponens objectum ut heic, & nunc determinate eligendum, vel volendum, neceſſarium eſt, ut agens liberum ſe determinet ad eligendum, vel volendum libere, ut jam indicatum eſt etiam in Nota (13) ad §. 33. Ont. n. 6.: at judicium illud fieri poteſt, vel præcedente diſcurſu, & conſilio, vel, quod eſt multo præſtantius, per ſolam ſimplicem acceptionem veritatis, vel ſaltem per manifeſtam illius in aliquo particulari caſu cognitionem.

9. Nulla ergo determinatio, vel volitio libera ſine motivo, ut recte affirmat A. §. 117.: nec enim ſine motivo eſſe poteſt judicium illud, quo ens intelligens ſe determinat ad unum præ altero pariter poſſibili eligendum, ſeu volendum: nulla ergo eſt determinatio, vel volitio libera ſine ratione ſufficiente. Cum enim ex motivis demum intelligatur, ut notat A. §. 118., cur Anima ipſa ſe ad volendum, vel nolendum determinet, patet (ex §. 16. Ontol.), motiva ipſa eſſe rationem ſufficientem cujuslibet liberæ determinationis, ſive volitionis, ut jam indicavimus in cit. Nota (13) n. 2.; atque adeo nulla eſt determinatio, ſeu volitio libera ſine ratione ſufficiente. Idem ob eamdem rationem de quacumque libera nolitione eſſe dicendum, perſpicuum adeo eſt, ut nec admonitione opus erat.

10. Agens liberum nec ſine motivis, nec contra motiva omnia ſe determinare ad volendum, vel nolendum, illi ipſi facile concedunt, qui principium rationis ſufficientis ad liberas actiones extendi negant „ Ubi nos aliquid eligimus, inquit Boſcovichius *in cit. Supplemento n.* 33.

duci; neque enim vel confuſam hujus productionis ideam habemus: unde quamvis ex hoc capite ejuſmodi productionem ſimpliciter rejicere non liceat, infertur tamen, eam tanquam experientia evictam

S 2 ad-

33. „electionis phyſica ratio erit ipſa voluntas noſtra volitionem producens, moralis erit ſemper aliqua, cum „ voluntas in incognitum non feratur, nec ſine motivo „ operetur „: & cl. P. Franciſcus Jacquierus, cujus in Rempublicam Litterariam merita nullis poſſunt laudibus commendari ſatis, in ſua Metaphyſica par. 2. Sect. 1. cap. 3. ar. 2. concl. 2. egregie confirmat, Animam ſe ſe ad volendum, vel nolendum non ſine motivo aliquo determinare: id „ facile colligitur, inquiens, ex præcedenti concluſione, in qua demonſtratur, Animam nihil „ appetere, niſi ſub ratione boni, & nihil averſari, niſi „ ſub ratione mali. Igitur repræſentatio boni eſt motivum volitionis; repræſentatio autem mali, eſt motivum nolitionis: ergo Anima ſeſe ad volendum, vel „ nolendum non determinat ſine motivo aliquo. Idem „ confirmatur a poſteriori. Dum librum aliquem apud „ Bibliopolam percurris, multaque in eo invenis ad ſcientiam tuam utilia, eum tibi diſtincte repræſentas tamquam bonum, tibique utilem, & ideo illum cupis habere. At contra ſi tibi occurrat liber aliquis erroribus, abſurdiſque opinionibus plenus, ratiocinando „ colligis, ideoque diſtincte agnoſcis, eum eſſe malum, „ tibique inutilem, ac propterea illum averſaris, longeque a te remotum cupis. In alio quolibet exemplo „ unuſquiſque noſſe poteſt proprio conſcientiæ teſtimonio, voluntatem ſine motivo aliquo ſeſe non determinare „. Hæc pauca e multis ſufficiant, ut appareat, quam vere dixerit A. in Schol. §. 118., neminem ſaniorum Philoſophorum ſerio in dubium vocare, mentem non appetere aliquid, niſi ſub ratione boni, nec averſari, niſi ſub ratione mali; & quam recte hinc intulerit (§. 119.), Animam ſeſe determinare ad volendum, vel nolendum convenienter motivis. Quandoque illud agnoſcunt, atque fatentur illi ipſi, qui principium rationis ſufficientis ad liberas actiones extendendum non putant.

II.

admitti non poſſe, atque adeo, qui id aſſerunt, vitium ſubreptionis committere.

126. Experientia hæc quoque quemlibet condocet. I. Quod dum corpus ex morbo aliquo, vel

---

11. Niſi tamen velimus de nomine litigare, negare non poſſumus, Animam, ſive agens liberum numquam ſeſe determinare ſine ratione ſufficiente, ſi numquam ſe determinat abſque motivo aliquo. Motiva enim (n. 9.) ſunt id, unde intelligitur, cur Anima, ſeu agens liberum ſe reipſa determinet; quod patet etiam exemplo a Jacquiero allato, & cuilibet paullo attentius in ſe ipſo rem conſideranti facile innoteſcit. Neceſſe eſt ergo nos fateri, agens liberum non se determinare abſque ratione ſufficiente, ſi numquam ſe determinat abſque motivo, niſi novam, & peculiarem notionem rationis ſufficientis velimus cudere; nam quæ recepta eſt, non aliud exhibet nomine rationis ſufficientis, quam id, unde intelligitur, cur aliquid ſit, vel fiat (ex §. 16. Ont., eodemque n. 9.)

12. Vidit & hoc legitimum corollarium Jacquierus; unde & ante primam objectionem addidit: *Hæc motiva ſiquis voluerit appellare rationem ſufficientem, per nos licet* (& cur non liceat, ſi definitio rationis ſufficientis motivis omnino congruat); *de nomine enim non diſputamus* (nec ſane gravem Philoſophum de nomine diſputare decet), *dummodo tamen rationem hanc ſufficientem non confundat cum ratione ſufficiente leibnitiana, quæ fatalem neceſſitatem induceret, & neceſſaria merito dici poſſet*. Quæ ſit hæc ratio ſufficiens leibnitiana fatalem inducens neceſſitatem. prorſus ignoro. Scio Leibnitium fatalem neceſſitatem improbare prorſus; ſcio non aliam ab eodem ſtatui rationem ſufficientem liberarum actionum, præter illam, quæ in motivis eſt poſita: quæ ergo eſt ratio illa ſufficiens leibnitiana fatalem inducens neceſſitatem? An forte Harmonia præſtabilita? At hæc juxta Leibnitium & liberas actiones complectitur, & earundem motiva, & leges proprias agentis liberi. Præterea non ita connectitur ratio ſufficiens liberarum actionum cum hypotheſi (nam ut ſyſtematica hypotheſis tantum vel ab ipſis Leibnitio, & Vvolffio proponitur) Harmoniæ præſtabilitæ,

vel dolore laborat, ipſa etiam Anima ægritudinem ſentiat, & vigore amiſſo paullatim langueſcat; atque hoc ipſum innuimus dicentes: ſi corpori bene eſt, etiam Animæ bene eſt. II. Quod

 cre-

litæ, ut, illa admiſſa, ſit & hæc neceſſario admittenda. Reipſa A. non hypotheſim Harmoniæ præſtabilitæ, quam exponit §. 182., & ſeq. Pſych. Rat., ſed potius hypotheſim Influxus phyſici amplectitur, ut videre eſt §. 189., & ſeq. Pſych. Rat.

13. Etiam Boſcovichius expendit cit. n. 33., eſſe quidem ſemper rationem aliquam præter phyſicam, etiam moralem, ubi nos aliquid eligimus; cum voluntas noſtra in incognitum non feratur, nec ſine motivo operetur: „ ſed non ideo ſemper erit & ratio, inquit, cur „ voluntas potius eligat, quam non eligat; verum mo„ tivis omnibus, ſive rationibus moralibus conſideratis, „ ſupererit facultas eo ſe inclinandi, ubi etiam minus „ ponderis rationes habent „ Hinc videtur etiam concludendum juxta Patrem Boſcovichium, principium rationis ſufficientis non eſſe ad liberas actiones extendendum, quamvis agens liberum numquam ſe determinet abſque motivo aliquo: motivum enim eſt quidem ratio, cur agens liberum ſe determinet; non tamen eſt ratio, cur potius ſe determinet, quam non; cujuſmodi ratio eſſe deberet, ut eſſet ratio ſufficiens: hæc enim dicitur eſſe non ſolum ratio, cur agens liberum ſe determinet, vel eligat, ſed etiam ratio, cur potius eligat, quam non eligat, ſe potius determinet, quam non determinet. „ Quod „ ſi, ſubdit n. 34., pro ratione ſufficiente admittatur etiam „ liberum arbitrium, principium eo modo correctum ad„ mitti poterit ut verum; ſed adhuc erit inutile, & to„ tam leibnitiani principii vim evertet, & ipſius Leibnitii „ Philoſophiam confundet „. Hoc dato, *verum erit eſſe ſemper rationem aliquam, cur agens liberum ſe potius determinet, quam non: ſed hæc ratio erit ipſa cauſſæ liberæ arbitraria determinatio.*

14. Verum & hæc animadverſio diſtinguens rationem, cur eligamus, a ratione, cur potius eligamus, ſubtilior eſt, quam ſolida, ut jam innuimus in Nota (5) ad §. 16. Ont. n. 4.: unde A. in hoc §. 123. eam prorſus negle-

creſcente vigore corporis, vigor Animæ creſcat tum in repræſentando, tum in judicando, ac ratiocinando: quippe in infantia prorſus non, in pueritia parum, magis vero in adultiore ætate intel-

glexit, rationem, cur actio libera potius ponitur, quam omittitur, pro eo ſumens, unde intelligitur, cur illa fiat. Et recte quidem: quid enim eſt, agens liberum potius eligere, quam non, niſi ex deliberato ſuo conſilio, ex proprio judicio inflectere, ſive applicare ſuam indifferentem poteſtatem electivam ad eligendum, cum tamen abſolute poſſit & non eligere? Atqui ratio, cur agens liberum eligat eſt certe ratio, cur proprio judicio applicet ſuam indifferentem poteſtatem electivam ad eligendum, cum abſolute poſſet etiam non eligere: ratio ergo, cur agens liberum eligat, eſt etiam ratio, cur potius eligat, quam non. Sane ratio, cur agens liberum eligat, movet utique agens liberum ad eligendum, cum ſuapte natura ſit indifferens ſive ad eligendum, ſive ad non eligendum: ſi movet agens liberum ad eligendum, illud ſane movet ad eligendum potius, quam non: neque enim ex æquo movet ad eligendum, & non eligendum, ſi vere eſt ratio, cur eligat, & movens reipſa ad eligendum: ratio igitur, cur agens liberum eligat, eſt ratio, cur agens liberum ſuam indifferentem poteſtatem exerceat potius eligendo, quam non eligendo: ergo ſi eſt ratio, cur eligat, eſt itidem ratio, cur potius eligat; atque adeo ineptum eſt, & pugnans admittere, dari ſemper rationem aliquam, cur agens liberum eligat, & ſimul negare, dari ſemper rationem, cur potius eligat, quam non.

15. At „ motivis omnibus, ſive moralibus rationi- „ bus conſideratis, ſupereſt ſemper in agente libero fa- „ cultas eo ſe inclinandi, ubi etiam minus ponderis „ rationes habent „ inquit Boſcovichius. Quid hinc? An iccirco non eo ſe inclinat agens liberum reipſa, ubi datur ratio, cur indifferentem ſuam poteſtatem exerceat eligendo potius, quam non eligendo? hoc eſt ubi datur ratio, cur ſuo proprio judicio indifferentem ſuam facultatem inclinet, & applicet ad eligendum potius, quam non eligendum? In Nota (13) ad Sch. §. 33. Ontol. n. 3. obſervatum fuit, quod agens liberum, dum actu eligit, eligit utique retinens poteſtatem, ſeu facul-

intellectus, ac ratio ſeſe exerit. III. Quod decreſcente vigore corporis, vigor Animæ deficiat, ut in ſenibus videre eſt; item quod læſo cerebro omni rationis uſu deſtituatur. IV. Quod in caſu

cultatem non eligendi: num icc irco reipſa non eligit? A potentia ad actum non valet conſecutio, ut ajunt Philoſophi, & optime ſtat actus cum potentia, ſive facultate ad non actum: ergo licet *motivis omnibus*, *ſive moralibus rationibus conſideratis*, *ſuperſit adhuc in agente libero facultas eo ſe inclinandi*, *ubi etiam minus ponderis rationes habent*; verum, & certum nihilominus eſſe poteſt, quod agens liberum id eligat reipſa, cujus eligendi potius, quam non eligendi rationem habeat.

16. Indifferens poteſtas, ſive facultas eligendi ineſt agenti libero ex amplitudine rationis, ſeu intellectus, ex qua amplitudine ſequitur, & amplitudo voluntatis. Ex amplitudine ſiquidem intellectus fit, ut poſſit agens ſua cognitione in diverſa ferri, eaque conferre, & inter ſe, & cum ipſo agente, & cum fine ipſius agentis; & hinc perſpicere, ac judicare, quid ſibi expediat, vel non expediat. Ex amplitudine voluntatis fit, quod ad nullum particulare, & finitum bonum ſit agens ſuapte natura determinatum, ſed habeat poteſtatem indifferentem ad hoc, vel illud amplectendum. Oportet ergo, quod agens liberum, ſeu habens illam poteſtatem indifferentem ſe ipſum determinet, ut hoc, vel illud in particulari eligat reipſa, & ſuam illam exerceat poteſtatem; alioquin non eſſet cauſſa ſui motus, atque adeo nec liberum, ut recte obſervat S. Thomas loc. cit. (n. 6.). Se vero determinat agens liberum (n. 9.), cum vel ſimplici quodam intuitu, vel ſaltem ex collatione rationis eo tandem devenit, ut judicet hoc ſibi heic, & nunc magis eſſe conveniens, ſeu expedire, quam oppoſitum; tunc enim exit a ſtatu ſuſpenſionis, tunc uni oppoſitorum determinate ſe applicat, tunc ex proprio judicio, ſeu arbitrio inclinat indifferentem ſuam poteſtatem ad unam potius, quam ad alteram partem, tum demum ſponte, & libere ſe vere determinat, atque adeo certo eligit, ſeu amplectitur bonum illud, quod tali judicio prætulit; judicium enim de hoc particu-

ti-

extraordinariæ commotionis ſanguinis, ac fluidi nervei Anima turbationem ſubeat, atque ad functiones ſuas minus apta efficiatur. De quibus tamen cunctis, ac ſingulis id tenendum, quod §. præc.

---

ticulari operabili, ut nunc, numquam poteſt eſſe contrarium appetitui, ut (n. 5.) cum S. Thoma adnotavimus: ac præterea agens liberum certe eligit, ſeu amplectitur bonum apprehenſum, cum non eſt amplius ſuſpenſum, utrum ſibi eligendum ſit, vel non eligendum, amplectendum ſit bonum, vel non amplectendum, ſed ſemetipſum proprio judicio determinavit ad eligendum, vel amplectendum potius, quam non. Jamvero an quiſquam eſt, ut expendimus etiam in cit. Nota (13) Ont. n. 7., qui poſſit vel leviter ſuſpicari, agens liberum tali ſuo judicio, ac determinatione ſibi adimere, vel impedire poteſtatem eligendi oppoſitum? Nonne e contra evidens eſt, quod ſuo judicio nunc, & arbitrio tunc applicat ſuam indifferentem poteſtatem ad eam partem, quæ ſibi magis placet? An non libertatem evidenter amitteret, poteſtatemque eligendi ex arbitrio, vel quod ipſi magis placet, ſi talem operandi, ſeu volendi modum non teneret? Quomodo enim aliter operans ſe proprio judicio, conſilio, nutu determinaret? Quomodo eligeret ex arbitrio, ſi ex arbitrio, hoc eſt ex proprio judicio non eligeret; cum dicere liberi arbitrii idem ſit, ac dicere liberi judicii de agendo, vel non agendo, ut cum S. Thoma (n. 6.) jam animadvertimus?

17. Atque heic obiter notandum eſt, ineptiſſimum illud eſſe, quod ajunt nonnulli, facultatem nempe ſe volvendi pro arbitrio, quæ ineſt voluntati, ſeu potius agenti libero (eſt enim voluntas ipſa facultas quædam agentis liberi, non ipſum agens liberum) eſſe facultatem ſeſe volvendi, ſive juxta, ſive contra rationis judicium, prout magis libuerit. Quomodo enim poteſt agens liberum ſeſe volvere contra rationis judicium (niſi id intelligatur (n. 5.) de judicio non omnimode determinato), ſi ſe volvit ex arbitrio, vel prout ei magis libet? Quid enim eſt ſe ſe volvere pro arbitrio, niſi ſeſe volvere ex proprio judicio, ut mox diximus? Quid pariter eſt ſeſe volvere, ut magis libet, niſi ſeſe volvere-

præc. monuimus : cum variis his mutationibus corporis numquam non experientia teſte ſimul eſſe aliquam mutationem in Anima ; minime autem experientia conſtare, unam alterius in vero ſen-

---

vere, ut magis placet ? At (ex nn. 2. 3. 5. 9.) non poteſt intelligi quidpiam magis placere, niſi in particulari, & ut heic, & nunc illud præ altero ceu bonum, atque conveniens judicetur, ſeu ab intellectu proponatur : ergo &c. Phraſes iſtæ *agens ſe volvit, vult, eligit pro arbitrio, pro nutu ſuo, prout ei magis placet, prout ei libet*, non poſſunt niſi per deceptricem notionem aliter intelligi, quam ut ſignificent, agens ſe proprio judicio determinare : quare non excludunt, ſed involvunt ipſum rationis judicium, atque adeo & motiva ; cum ſine motivis nullum eſſe poſſit judicium (n. 9.).

18. Cum ergo addit Boſcovichius, rationem, cur agens liberum ſe potius determinet, quam non, ipſam eſſe cauſſæ liberæ arbitrariam determinationem, vel intelligit determinationem factam ex judicio rationis, & permitti poteſt iſta locutio ; cum determinatio facta ex judicio rationis involvat, aut certe ſupponat motiva, quæ ſunt ipſius judicii, & conſequentis electionis ratio ſufficiens : vel non id intelligit, & inanes terminos, notionemque deceptricem nobis obtrudit ab Auctore noſtro rejectam : nam ſi arbitraria determinatio non ſignificet determinationem factam ex judicio rationis, cum dicitur, ipſam cauſſæ liberæ arbitrariam determinationem eſſe rationem, cur agens liberum ſe potius determinet, quam non, idem eſt, ac ſi diceretur, rationem, cur agens liberum ſe determinet potius, quam non, aliam non eſſe, niſi quia ſe determinat potius, quam non, vel quia habet voluntatem, poteſtatem, facultatem ſe determinandi potius, quam non ; quarum neutra intelligibilis explicatio eſt : non prima, in qua pro ratione affertur illud ipſum, cujus ratio quæritur ; perinde ac ſiquis diceret, Lunam eclipſim pati, quia eclipſim patitur : non ſecunda, in qua pro ratione actualis determinationis affertur ratio ſolius poſſibilitatis : unde in prima nulla reipſa affertur ratio ; in altera

ſenſu cauſſam eſſe.

127. Quemadmodum in nobis ad mutationes corporis mutationes Animæ conſequi obſervamus, ita ex oppoſito obſervamus, etiam ad Animæ decre-

tera affertur non ratio pro ratione. In utraque igitur illud *Quia* terminus inanis eſt, notionemque continet deceptricem.

19. Ex dictis perſpicue intelligitur, fruſtra opponi cauſſam liberam illam eſſe, quæ poſitis omnibus ad agendum requiſitis, poteſt etiam non agere; id enim, ſi recte intelligatur ex cit. Nota (13) Ontol., non ſolum non rejicimus, verum etiam nuper demonſtravimus (nn. 15., & 16.), ſtare poteſtatem illam non agendi in cauſſa libera, poſita etiam ratione ſufficiente ad agendum. Recte monet A. §. 123., vel ex ipſa definitione libertatis ab ipſo tradita §. 122. ſatis indicari, poteſtatem illam non agendi in cauſſa eſſe debere, ut hæc libera ſit, & dici poſſit; idque luculentius ex n. 7. apparet, ubi definitionem illam uberius declaravimus. Quamquam enim ea poteſtas indifferens ad agere, vel non agere, ad libertatem non ſufficiat; ſiquidem (n. 6.) ea aliquo modo eſt etiam in brutis, in quibus tamen non eſt vera libertas; tamen & illa requiritur ad libertatem: unde definitionem libertatis, & cauſſæ liberæ ingreditur, quamvis integram ipſam definitionem ſola illa poteſtas non abſolvat.

20. Quod ſi contendat quiſpiam, ad naturam cauſſæ liberæ pertinere, ut poſſit cum omnibus prærequiſitis ad actionem componere non actionem: reſpondebimus primo idipſum diſtinguendo; tunc enim poteſt reipſa componi non actio cum omnibus ad actionem requiſitis, cum hæc ſunt hujuſmodi, ut non ſolum natura, verum etiam tempore præcedant actionem: poteſt enim in hoc caſu vel aliquod impedimentum intercipi, vel cauſſa libera aliter expendere, & conſiderare objectum propoſitum, adeoque poteſt actio ſuſpendi: at fieri id non poterit, ſi requiſita non tempore, ſed natura dumtaxat ſint actioni prævia; tunc enim iis poſitis ſtatim, & ſimul eſt & actio, quæ cum nequeat cum non actione componi, nec requiſita ad actionem componi cum non

Digitized by Google

decretum certos motus in corpore ſequi, iſtoſque decreto mutato illico ſiſti: unde hi motus etiam *voluntarii* dici ſolent.

128. Denuo autem hæc ſaltem ſimul contingere

---

non actione poſſunt. Nec id poteſt libertati officere, cum illius incompoſſibilitatis ratio tota ex ipſa actione ſit. Poſterioris hujus generis requiſitum illud eſt judicium, quo agens liberum ſuam indifferentem poteſtatem applicat determinate ad unam potius contradictionis partem, quam ad aliam, puta ad eligendum potius, ſive volendum, quam non; ſiquidem tale judicium numquam poteſt (n. 5.) eſſe contrarium appetitui, atque adeo appetitus illud certo, & infallibiliter ſequitur. Quia tamen nec vere dici, nec intelligi poſſunt omnia poſita requiſita ad actionem, niſi actio ſit per illa integre determinata: icciroo

21. Reſpondebimus ſecundo, gratis, & falſo ſumi, naturam cauſſæ liberæ poſtulare poteſtatem componendi non actionem cum omnibus requiſitis ad actionem; hæc enim eſſet poteſtas componendi contradictoria, quam nemo a natura cauſſæ liberæ dixerit poſtulari. Enimvero ſi poſita ſunt requiſita omnia non ad ſolam poſſibilitatem, ſed etiam ad actualitatem actionis, determinata jam eſt (ex cit. Nota (13) Ontol. n. 5.) ipſius actionis actualitas, ſeu exiſtentia; atque adeo neque agens, neque actio ſunt amplius in ſtatu ſuſpenſionis. Igitur ſi poſſet componi non actio cum requiſitis omnibus ad actionem, fieri poſſet, quod agens, & ejus actio in ſtatu forent ſuſpenſionis, dum amplius in tali ſtatu non ſunt, quod eſſet componere contradictoria.

22. In agente libero unum e præcipuis, immo & ultimum requiſitum ad eligendum, ſeu volendum, eſt illa ipſius determinatio, quæ fit per proprium judicium (ex ſæpe cit. Nota (13) nn. 6., & 7., itemque n. 16., & 20. hujus Notæ). Igitur ſi poſita ſunt requiſita omnia ad actionem, agens liberum jam non hæret amplius ſuſpenſum, in quam partem inclinet ſuam indifferentem poteſtatem; ſed determinate judicat in hanc potius, quam in illam inclinare. Cum igitur appetitus rationem

gere experimur, non item experimur Animam per veram actionem motum aliquem in corpore producere, cum hujus etiam productionis ne confuſam quidem ideam habeamus: hinc, ut ante in

caſu

---

nem ſequatur (n. 5.), illico & appetitus eam in partem inclinatur; atque adeo eſt electio, ſeu volitio tali determinationi, ſeu judicio conveniens. Poterit ergo agens liberum finitum, & limitatum & antequam ita judicet mentem avertere abs eorum conſideratione, per quæ ad tale judicium inducitur, & poſt illud judicium poterit ſuper illud reflectere, ac etiam ſi libuerit, retractare, conſiderando rationes alias oppoſitas: at dum actu ita judicat, ſicuti nequit non ita judicare, ita nec ſuam poteſt electionem, aut volitionem ſuſpendere, cum nequeat eſſe in ſtatu ſuſpenſionis, dum actu extra ſuſpenſionem eſt; atque adeo neque poteſt componere non actionem cum omnibus ad actionem requiſitis.

23. Supereſt ergo, ut ſupra (nn. 13., & 15.) ajebat Pater Boſcovichius, motivis omnibus, ſive moralibus rationibus conſideratis, ſupereſt ſemper in agente libero facultas eo ſe inclinandi, ubi etiam minus ponderis rationes habent. At hæc facultas non eſt ad componendam non actionem cum omnibus requiſitis ad actionem; ſed facultas agendi, vel non agendi; quæ tamen exercetur agendo potius, quam non agendo, inclinante ſe agente ipſo in eam partem, ubi heic, & nunc apud ipſum plus ponderis rationes habent: nam quæ heic, & nunc minus ponderis apud ipſum habent, nec ſunt motiva (nn. 3., & 7.), cum ex hypotheſi non illud moveant ad judicandum, hoc eſt ad ſe determinandum.

24. Nec vero quis regerat, repugnare libertati, quod actio voluntatis per aliud determinetur, quam per ſe ipſam; id enim perinde foret ac dicere, requiri ad libertatem, ut actio voluntatis fortuito, aut mero caſu erumpat a voluntate, nulla præcedente in ipſo agente determinatione ad agendum, neque a natura, neque a ſe ipſo, quod plane abſurdum eſt: eſt enim voluntas, ut jam animadvertimus n. 17. non ipſum agens liberum, ſed ejus facultas ex ſe indifferens ad amplectendum, vel non amplectendum hoc, vel illud particulare bonum pro-

po-

caſu ſimili (§. 125.), concludimus: tametſi idcirco ejuſcemodi productionem rejicere non liceat, tamquam experientia certam tamen admitti non poſſe.

129.

---

poſitum. Quare niſi ſupponamus, agens liberum ſuomet judicio hanc ſuam facultatem in hanc, vel illam partem determinate inflectere, actio ex illa fortuito, ac mero caſu erumperet; immo nec erumperet quidem, *cum ab indifferenti, qua tali, nulla ſit actio, nec velit quiſpiam, quod velle poteſt, ideo quia poteſt*, ut notat S. Anſelmus in Lib. de Caſu Diaboli cap. 27.

25. Verum equidem eſt, voluntatem *formaliter*, ut ajunt, non determinari, niſi per ipſam volitionem; qua de cauſſa dixit & S. Thomas (n. 8.), *conſilium determinari primo quidem per ſententiam rationis, & ſecundo per acceptationem appetitus*. At verum pariter eſt, & poni hanc acceptationem appetitus, poſita ſententia rationis; nam *poſt determinationem conſilii, quæ eſt judicium rationis, voluntas eligit*, ut ſubdit idem S. Thomas (eod. n. 8.), & agens liberum numquam progreditur ad eam acceptationem, niſi ſe determinans per rationem (n. 9.), & ex Nota (13.) cit. num 6.: idque confirmat & S. Anſelmus inquiens in Dial. de Verit. cap. 12. *Omnis voluntas, ſicut vult aliquid, ita vult propter aliquid . . . omnino namque nihil volumus, niſi ſit, cur velimus*: quod adeo certum eſt, ut in Diſcipuli perſona ibidem ſubjecerit: *Omnes hoc in nobis cognoſcimus*. Cur porro velimus, voluntati non applicatur, niſi per judicium rationis: hoc eſt agens liberum non vult propter aliquid, niſi quia propter illud ſuo ſe judicio determinat ad volendum: ergo præter formalem determinationem voluntatis, quæ eſt poſita in ipſa volitione, opus eſt alia, veluti cauſſali determinatione, ex qua ſcilicet intelligatur, cur ſit ipſa volitio, ne hæc quaſi fortuito, aut puro caſu e voluntate erumpere videatur. Quæcumque quomodolibet exiſtunt, determinantur formaliter ad exiſtendum per ipſam exiſtentiam; non hinc tamen tollitur neceſſitas alterius determinationis, ex qua intelligatur, cur formalis ipſa exiſtentia rebus conveniat: ergo ex quo & voluntas formaliter determinetur per ſuam volitionem,

129. Porro hic iſtud probe adnotandum venit, ad Animæ decretum motus reſpondentes in corpore non perfici, niſi organa, ac inſtrumenta motuum integra fuerint, vitioque caruerint; quip-

---

nem, non hinc excluditur quævis alia determinatio, ex qua intelligatur, cur agens liberum reipſa velit, cum poſſit etiam non velle.

26. At: Non eſt ſemper in hominis poteſtate habere hæc, vel illa motiva. Ita plane: nec enim eſt ſemper in hominis poteſtate, quid ei veniat in mentem, ut notat S. Auguſtinus de Sp., & Lit. cap. 34. Obſervat etiam S. Thomas qu. 6. de Malo, tripliciter poſſe contingere, quod voluntas feratur in id, quod ſibi offertur magis ſecundum hanc particularem conditionem, quam ſecundum aliam: „ Uno quidem modo, in quantum una præponderat . . . Alio vero modo, in quantum cogitat de una particulari circumſtantia, & non de alia; & hoc contingit plerumque per aliquam occaſionem exhibitam, vel ab interiori, vel ab exteriori, ut ei talis cogitatio occurrat. Tertio vero modo contingit ex diſpoſitione hominis &c. „. Quocumque tamen modo id contingat, neque in infinitum progrediendum eſt, ut inveniatur, cur talis cogitatio occurrat, neque ſequitur, non poſſe hominem ſuomet ingenio rationes quaſdam boni, vel mali in objecto propoſito inveſtigare, aut ſaltem ſe libere applicare ad has potius, quam illas ex propoſitis rationibus attentius conſiderandas. Immo idem S. Thomas cum 1. 2. q. 13. ar. 6. ſibi tertio loco oppoſuiſſet fieri poſſe, ut duo æqualia ſint nobis propoſita ad eligendum, reſpondet „ nihil prohibere, ſi aliqua duo æqualia proponantur ſecundum unam conſiderationem, quin circa alterum conſideretur aliqua conditio, per quam emineat, & magis flectatur voluntas in ipſum, quam in aliud „.

27. Animadvertendum præterea eſt, judicium illud, quo homo ſe determinat ad liberam volitionem, ſemper eſſe in illius poteſtate, non ſolum ſi ſpectetur, ut objective indifferens, quale n. 8. declaratum eſt, quod plane ſufficit ad libertatem (nn. 16. 17., & facile poſſet

quippe nervis ligatis, diſſectiſque muſculis, nullus ad imperium Animæ motus ſequitur.

130. *Mutuus* ille *conſenſus mutationum Animæ cum mutationibus corporis* nomine *Commercii*

ſet aliunde demonſtrari); verum etiam ſi ſpectetur ſubjective, quatenus nempe eſſe illud poteſt, & non eſſe in homine. Licet enim id ex imperfectione ſit ipſius hominis, & ideo nequeat eſſe neceſſarium ad libertatem, niſi ex parte alicujus defectus ipſius libertatis; ſignum tamen aliquod libertatis eſſe poteſt, ut ait S. Thomas loquens de poteſtate peccandi q. 22. de Verit. art. 6. Judicium ergo ſubjective ſpectatum eſt in hominis poteſtate, quatenus poteſt homo (n. 22.) & ante judicium mentem ſuam avertere a conſideratione quarumdam rationum, eamdem convertendo ad alias conſiderandas; & poſt judicium poteſt de illo judicare reflectendo ſuper illud; ac etiam, ſi libuerit, idem retractando. Quod de judicio dictum eſt intelligi quoque debet de motivis, quæ ſunt judicii ratio ſufficiens: poſſunt enim & hæc ſpectari vel objective, vel ſubjective. Poſito tamen judicio, quod utique ponitur, ſi dentur motiva, infallibiliter & homo vult, quin hæc infallibilitas ullatenus officiat libertati volitionis, uti jam oſtendimus.

28. Neque enim, ut ratione a priori rem hanc concludamus, ullatenus poteſt libertati officere illa hypotheſis, quæ licet ſit antecedens exercitium libertatis, non eſt infallibiliter cum ipſo exercitio connexa, niſi quatenus involvit, aut ſupponit proprium operandi modum agentis liberi, cum impoſſibile ſit præjudicium libertatis exercitio inferri per ipſum proprium agentis liberi operandi modum. Quare cum & judicium, & motiva, quæ ipſius judicii ſunt ratio ſufficiens, atque adeo, & liberarum volitionum, & nolitionum, eatenus ſint infallibiliter connexa cum libertatis exercitio, quatenus proprium eſt agentis liberi, ut liberum eſt, proprio ſe judicio determinare ad exercendam hoc, vel illo modo novam indifferentem poteſtatem, ideſt ſive amplectendo, ſive reſpuendo, aut non amplectendo propoſitum objectum, ut ex dictis evidenter conſtat, pariter evidens eſt, nul-

cii paſſim indigitatur, atque intuitu ejuſdem conſenſus Anima, & corpus ad ſe invicem pertinere, illaque huic *unita* dicitur (112). Tribuitur autem Animæ *Regimen in Corpus*, quatenus, ut di-

nullum præjudicium inferri libertati volitionum, ac nolitionum ex illa infallibili connexione, qua fit, ut poſitis motivis ponatur judicium, & poſito judicio ponantur liberæ volitiones, aut nolitiones: evidens igitur ſimiliter eſt, principium rationis ſufficientis extendi ad actiones etiam liberas, ſalva ipſius agentis, ejuſdemque actionum libertate. Nec obtrudi poteſt, neceſſarium illud eſſe, quod ſequitur ex neceſſario: ut enim alia mittamus, quæ dici heic poſſent, quod non ſequitur ex neceſſario, niſi quatenus iſtud ſupponit, aut involvit proprium operandi modum agentis liberi, quem operandi modum nequit agens prætermittere, niſi deſinat operari, ut agens liberum, non ſequitur ex neceſſario, ut neceſſarium eſt, ſed ut eſt principium actionis liberæ; atque adeo ſequitur ut liberum, non ut neceſſarium.

(112) Tam intima eſt unio Animæ Corpori, ut ex Anima, & Corpore una exurgat Perſona. Subſtantia enim, ſive ſimplex ſit, ſive compoſita, intellectu prædita, quæ per ſe, vel in ſe ita exiſtit, ut non ſit pars alicujus compoſiti, dicitur *Perſona*. Si vero ſubſtantia non ſit intelligens, dicitur *Suppoſitum*, vel *Hypoſtaſis*. Suppoſitum itaque, & hypoſtaſis unum idemque ſunt; ſed perſona ſupra ſuppoſitum, ſeu hypoſtaſim aliquam addit dignitatem petitam a natura rationali; hominis enim dicimus perſonam, dicimus Angeli, dicimus DEI, non arboris, non equi, inquit Boethius. Quamvis autem ſuppoſitum, vel hypoſtaſis a perſona differat; quod tamen vocatur perſona etiam ſuppoſitum dicitur, & hypoſtaſis: unde legimus *tres in divinis hypoſtaſes*, *divinum ſuppoſitum* &c.

Diverſimode a Philoſophis definitur perſona. Boethio ea eſt *Rationalis naturæ individua ſubſtantia*, quam definitionem exponit S. Thomas 1. p. q. 29. ar. 1., ubi ait, perſonam eſſe rationalis naturæ ſingularem, & per ſe exiſtentem ſubſtantiam. Definitur perſona a Vvolffio §. 741. Pſychol. Rational. *Ens, quod memoriam ſui conſervat*, hoc

dictum eſt, ad illius imperium certi motus in corpore ſequuntur.

131. Atque hæc ſunt, quæ per indubiam ex-

---

hoc eſt meminit, ſe eſſe idem illud ens, quod ante in hoc, vel illo fuit ſtatu. Videtur Vvolffiana hæc perſonæ definitio obſcurior definito, nec univerſalem perſonæ ideam proponit: fortene homo vigilans diverſam refert perſonam, ac dum alte dormit? Locumne habere poteſt in divinis hæc definitio?

Melius definitur perſona, *Subſtantia ſui juris, quæ eſt quoddam totum in ſe, & principium totale, & integrum ſuarum operationum:* vel *Subſtantia rationalis ultimo completa, ſui juris, incommunicabilis alteri tamquam perſonæ, quæque eſt principium totale, & integrum ſuarum operationum.* Ex hac definitione conſequitur, ſubſiſtentiam non eſſe entitatem naturæ ſuperadditam; nec enim exiſtendi modus entitas ſuperaddita dici debet. Conſulatur Purchotius in Exercitat. Ontol.

Quæritur pariter hoc loco, qua unione Anima ſit corpori connexa? Certum eſt, Animam noſtram non ita uniri corpori, ut ipſum corpus tangat:

„ Tangere enim, & tangi, niſi corpus, nulla poteſt res.

Neque unio Animæ corpori moralis tantum eſt, uti homo aliis eſt hominibus unitus; neque enim ex Anima, & corpore tunc una conſurgeret perſona. S. Thomas lib. II. cont. Gent. cap. 56. docet, Animam noſtram eſſe phyſice corpori copulatam, in quantum Anima operatur in corpus. Ab. Chaumeixius in ſuo critico Encyclopediæ Examine tom. VII. p. 260. ſentit, Animam, & corpus tamdiu copulata permanere, quamdiu in corpore habentur motus ab Anima dependentes, & in Anima affectiones, quarum ratio in corpore continetur. Ex Vvolffio 1. p. Theolog. Nat. §. 118. *Præſentia generatim ſumpta eſt relatio entium quo ad coexiſtentiam, quatenus utrumque coexiſtentium, vel unum ſaltem continet in ſe rationem ſufficientem alicujus determinationis, quæ alteri ineſt.* Anima itaque eſt phyſice unita corpori, quatenus in Anima continetur ratio aliquorum motuum corporis. Quomodo corpus determinet Animam ad percipiendum, dicemus in Pſychol. Rat.

Digitized by Google

perientiam de Commercio Animæ, & Corporis conſtant. Quod ad modum illud explicandi attinet, a variis varius adhuc adhibitus eſt, ut infra fuſius docebitur.

F I N I S
PSYCHOLOGIÆ EMPIRICÆ.

PSYCHOLOGIÆ RATIONALIS SECTIO I.

De Animabus humanis.

CAPUT I.

De Animæ humanæ Eſſentia, ac Natura.

132. Est eſſentia illud, quod in re primum concipitur, & in quo cæterorum ratio continetur (§. 51. Ontol.): iſtud in Anima detecturi ratiocinio utamur, oportet; ex iis enim, quæ de ipſa experimur, nihil tale conſtat: ordine autem procedendum eſt.

133. Anima ſui, aliorumque extra ſe conſcia ſibi eſt (§. 4.); conſequenter cogitat: quod cogitat in cogitando indiſpenſabiliter hæc præſtat: 1. percipit rem A: 2. repræſentat rem diſcernendam B: 3. diſcernit cogitans tum ſe a re cogitata, tum res cogitatas inter ſe (§. eod.): igitur quidquid hæc tria præſtare nequit, cogitare non poteſt.

134. Nullum ens compositum cogitare potest. Ens enim compoſitum neque ſe ipſum ab aliis rebus, neque res inter ſe diſcernere valet;

id, quod ita evincitur. Diſcreturus aliqua ea inter ſe comparet, atque, quæ in ipſis diverſa ſunt, obſervet, eſt neceſſe: ens compoſitum hæc præſtare nequit; quidquid namque in ente compoſito fit, non niſi per motum, hoc eſt per ablationem, vel adjunctionem, aut demum tranſpoſitionem partium fit: ex his autem ſolummodo varia magnitudo, figura, & ſitus partium enaſcitur, in quibus ſane nulla comparatio, diſcriminiſque cujuſdam obſervatio locum ſibi vendicat: nullum ergo ens compoſitum cogitare poteſt. (113)

135.

(113) 1. Illi, quos Itali *Spiriti forti* dicunt, & infirmiſſimi reipſa ſunt, operam omnem in eo ponunt, ut materiales eſſe Animas noſtras oſtendant, hominesque deprimant ad plantarum categoriam. Hinc apto magis vocabulo dicuntur Materialiſtæ: eos enim hac in re ſequuntur, qui nihil præter corpora, ſeu materiam, ejuſque affectiones exiſtere cogitant, vel certe vellent. Hos inter eminet Lucretius, qui rationibus perquam levibus, infirmiſque Animorum ſpiritualitatem, atque immortalitatem lib. III., & IV. negat audaciſſime. „ Quid enim, inquit Lambinus in Præfat. ad lib. III. Lucr. „ quemquam ſanum, ac pium moveant collecta a Lucretio „ adverſus Animorum immortalitatem, & ſpiritualitatem argumenta, cum ea omnia valeant in partes, ſeu „ poteſtates Animæ turbidas, & rationis expertes, „ non in eam, quæ omni motu a ratione averſo vacat, „ quæque ex ætheriis illis, & divinis ignibus decerpta, „ & quaſi delibata eſt? Quidquod tanta vis eſt veritatis, ut Lucretius ipſe libro ſuperiore Animos eſſe „ immortales, iisque in Cælum, unde profecti ſunt, „ reditum patere imprudens, atque adeo invitus fateatur? Quid enim illa ſibi aliud volunt? „

„ Cedit item retro, de terra quod fuit ante
„ In terras, & quod miſſum eſt ex ætheris oris,
„ Id rurſum Cæli rellatum templa receptant.

2. Lokius, quem ſolum bene de Anima ſcripſiſſe audacia

135. IN ENTE COMPOSITO REI QUIDEM ALICUJUS MATERIALIS REPRÆSENTATIO HABERI POTEST,

dacia prorſus intolerabili baubatur Volterius Ep. Philoſ. XIII., quaſi nempe & Philoſophi ceteri, Plato, Ariſtoteles, Socrates, & Eccleſiæ Patres, & Scholaſtici omnes de Animorum natura incredibilia tradiderint, Lokius, inquam, anceps hæret, ſitne Anima noſtra corpus? Itaque operæ pretium eſt demonſtrare, tota regione errare Materialiſtas, Animamque noſtram nec eſſe, nec eſſe poſſe ſubſtantiam compoſitam.

3. Præter argumentum ab Auctore propoſitum hoc §., alia ſunt multa, quæ rem contra Materialiſtas conficiunt. Sæpe laud. Auctor *Speciminis &c. p.* 7. breve hoc, aſt ſolidum proponit contra Lokium argumentum: *Congeſtus particularum non eſt unum ſubjectum: atqui ſubjectum cogitationis eſt unum: ergo ſubjectum cogitationis non eſt congeſtus particularum.* Præterea intimo ſenſu conſtat, nos, dum unum percipimus objectum, unam habere illius objecti perceptionem: jamvero ſi perceptiones dicantur ſubſtantiæ compoſitæ affectiones, quum ſubſtantia compoſita infinitas quaſi partes realiter inter ſe diſtinctas habeat (ex Nota (78) ad §. 42 Coſm.), vel una Animæ perceptio eſt omnium partium corporis affectio, vel eſt affectio aliquarum partium, vel tot ſunt in Anima perceptiones, quot partes. Si primum: igitur affectio unius ſubſtantiæ eſt affectio alterius ſubſtantiæ; quod cum repugnet, repugnat item, unam Animæ perceptionem partibus omnibus Animam componentibus eſſe communem. Nec ſecundum dici poteſt; iſtæ enim partes extenſæ ſunt, ex aliiſque conſtant partibus; erit igitur una perceptio plurium ſubſtantiarum diverſarum determinatio, quod ex dictis repugnat. Reſtat itaque ut dicant Materialiſtæ, tot haberi in nobis perceptiones, dum aliquod cognoſcimus objectum, quot ſunt in Anima partes: quum porro iſtæ partes vel ſint infinitæ, vel quaſi infinitæ, dum nos unum contemplamur objectum, infinitæ, vel quaſi infinitæ perceptiones ſimultaneæ in nobis habebuntur: atqui intimo ſenſui id repugnat; nobis enim exploratum eſt, certum, & evidens, unam nos habere perceptionem, dum unum cognoſcimus objectum: repugnat ergo perceptionem eſſe ſubſtantiæ compoſitæ determinationem.

IPSA TAMEN NULLATENUS COGITATIO DICI POTEST Ad hoc quippe, ut quid cogitare dicatur, ſatis non

---

4. Placet idem hoc argumentum ex iis illuſtrare, quæ contra Antropomorphitas profert ipſe Lokius *lib. IV. de Intellectu hum. cap.* 10. „ Primò videamus, inquit, qua „ tandem ratione profani homines ſibi potuerint per- „ ſuadere, mentem æternam corpore conſtare. Primum „ totane materia mundana, ejuſque partes cogitant? „ Non eo dementiæ evaſuros puto hujus ævi profa- „ nos, ut id dicant, niſi una opera dicere velint, TOT „ ESSE ENTIA COGITANTIA, QUOT MATERIÆ PARTES, ideſt „ infinita, atque iccirco infinitos eſſe Deos... non er- „ go materia ſuapte natura, & neceſſitate tota eſt co- „ gitans. Quid ergo? Quædam tantum partes hujus „ corporei entis cogitantes erunt, ceteræ ſtupidæ?... „ Pars ne una materiæ hoc erit ens æternum, & „ cogitans? Non minora inde, nec pauciora conſequun- „ tur abſurda: enimvero aut hæc tantum materiæ pars æ- „ terna eſt, vel non. Si primum, reliqua materia tota inde „ creata... Si ſecundum, quibus tandem argumentis illi „ non totam quoque materiam, ſed partem tantum u- „ nam cogitare adſtruent... Poſtremo nec tota, nec una „ pars materiæ eſſe ens illud æternum cogitans dice- „ tur, ſed congeries quædam plurium particularum? „ At qui illud ens æternum nec unam materiæ æter- „ næ partem, nec omnes eſſe intelligit, is, niſi nullam „ eſſe congeriem particularum quoque intelligat, lapi- „ de ſilice ſtultior ſit, neceſſe eſt. Ens ergo illud co- „ gitans æternum nec tota eſt materia, nec una pars „ materiæ, nec ulla materiæ congeries „. Hucuſque Lokius. At hoc lokianum argumentum vel non probat, DEUM non eſſe materiam, vel ſi id probat, probat pariter, Animam noſtram eſſe immaterialem: ergo &c.

5. Hinc P. Gerdillus in Opere de Animæ Immaterialitate contra Lokium, & P. Hayerus de Animæ Spiritualitate plurimis demonſtrant argumentis, vel Lokium non probare, DEUM non eſſe corpus, vel ſi hoc probat, pariter probare, Animam noſtram nec eſſe, nec poſſe eſſe corpus. Si enim DEUS eſſet corpus, infinita eſſent entia cogitantia æterna: pariter ergo ſi Anima eſſet

non eſt, rem aliquam in ſe repræſentare, ſed opus eſt eam in ſe repræſentare tanquam extra
T 4 ſe

eſſet corpus, infinitæ, vel quaſi infinitæ eſſent in uno homine Animæ;

„ Ac tot erunt mentes, quot partes corpore in uno: at utrumque repugnat: ſi ergo DEUS eſt ens ſimpliciſſimum (quod ſolidiſſimis demonſtrat Lokius argumentis), & Anima noſtra ſimplex eſt ſubſtantia, non compoſita. Hinc monet ſapientiſſime S. Auguſtinus lib. IX. de Gen. ad lit. cap. 24. n. 40. „ Nihil vicinius, aut „ fortaſſe nihil tam conſequens eſſe, quam ut credito, „ quod Anima corpus ſit, etiam DEUS corpus eſſe cre- „ datur „.

6. Accedit ad hæc, ſi Anima eſt corpus, ſeu materia, etiam cogitatio, ſive perceptio quædam erit corporis, ſeu materiæ affectio, & modificatio: igitur

„ Concurſus, Motus, Ordo, Poſitura, Figura,
vel erunt perceptio, vel conflabunt perceptionem, atque adeo et mutato partium ordine mutabuntur perceptiones, & harum quædam erunt rotundæ, quædam ellipticæ, aliæ quadratæ, cubicæ aliæ &c.: ſimplex perceptio forte erit minus ſpiſſa, quam judicium, & diſcurſus: motus mentis, dum apprehendit, erit rectilineus; dum judicat, & diſcurrit circularis, parabolicus, hyperbolicus. Quis autem pacato, & tranquillo animo portenta hæc audiat? Bene notatur in Theſibus leibnitianis, & vvolffianis, ex motu partium perceptiones, & alias affectiones Animæ gigni non poſſe. „ Si fingamus dari machinam, dicitur in laudatis Theſibus, „ quæ per ſtructuram partium cogitet, non obſtat, quominus iiſdem proportionibus retentis, majori mole conſtrui conſpiciatur, ita ut aditus in eam nobis concedatur, tamquam in Molendinum. Hoc ſuppoſito, intus nihil deprehendemus, niſi partes ſe mutuo impellentes, nec aliud quidpiam, per quod perceptio explicari queat „.

7. Ejuſmodi ſunt hæc argumenta, ut Lucretius vir non ſane ſtupidus intellexerit lib. III., motione partium vulgarium elementorum, eorum nimirum corporum, quæ noſcimus, ſenſum, & cogitationem creari non poſſe: „ Quumque nihil aliud, quod diceret, re-
periſ-

ſe conſtitutam, quemadmodum hoc de Anima noſtra experimur: ens compoſitum nequit aliquid

„ periſſet, quartam quamdam invexit ſubſtantiam cor-
„ poream, & , ne dolus apertius intelligeretur, inno-
„ minatam eſſe voluit „ inquit Genoveſius par. alt. Metaph. p. 51. En Lucretii ſenſa:

„ Nec tamen hæc ſimplex nobis natura putanda eſt.
„ Tenvis enim quædam moribundos deſerit aura
„ Miſta vapore: vapor porro trahit aera ſecum:
„ Nec calor eſt quiſquam, quoi non ſit miſtus & aer:
„ Rara quod ejus enim conſtat natura, neceſſe eſt
„ Aeris inter eum primordia multa cieri.
„ Jam triplex Animi eſt igitur natura reperta,
„ Nec tamen HÆC SAT SUNT ad ſenſum cuncta creandum.
„ Nil horum quoniam recipit mens, poſſe creare
„ Senſiferos motus, quædam qui mente volutent.
„ QUARTA quoque his igitur quædam natura neceſſe eſt
„ Attribuatur: ea eſt omnino nominis expers;
„ Qua neque mobilius quicquam, neque tenvius extat:
„ Nec magis e parvis, aut lævibus ex elementis,
„ Senſiferos motus quæ didit prima per artus.

Sed ſi ſenſiferos hos motus ſenſus, cogitationis, & ratiocinii perquam minutis illis ſeminibus *vaporis*, *aeris*, atque *ignis* gigni non poſſe ultro agnoſcis, Lucreti; videſis, an ullis aliis cujuscumque corporis partibus fieri poſſint. Scilicet ſi cogitationes fiunt atomorum motu, nulla alia præterea re, atomis minus tenuibus, atque minutis certe non æque veloces; at fient tamen: quod ſi non his, ne ullis quidem aliis. Sic loco laud. argumentatur Genoveſius.

8. Sed præſtat & Antilucretium audire eleganter, & ſolide lib. V. v. 557., & ſeq. canentem:

„ Si vero non hanc atomos acquirere dotem
„ Credideris, ſed quod conflatur corpus ab illis,
„ Textu nimirum ſubtili, & præpete motu,
„ Protinus elata reſpondens voce rogabo:
„ Ecquidnam eſt aliud corpus, quam corporis ipſa
„ Semina, quæ certa coeunt ratione locata?
„ Quidnam his accedit poſitura, aut ordine quovis,
„ Quam poſitura ipſa, & quidam novus ordo? Quid ipſum

„ Acqui-

quid repræſentare ceu extra ſe conſtitutum, cum diſcrimen inter ſe, & rem repræſentatam obſervare non

„ Acquirit corpus toto glomeramine, præter
„ Interius quemdam textum, exteriuſque figuram?
„ Sunt illæ cunctis ſolæ, te judice, dotes
„ Corporibus; ſolæ pariunt diſcrimina cuncta:
„ Hoc eſt reſpectus varios (re ſemper eadem)
„ Corporis ad corpus: nempe ut ſint pluſve, minuſve
„ Stricta, aut laxa intus, ſint pluſve, minuſve rotunda,
„ Seu quadrata foris. Nihil eſt diſcriminis inter
„ Corporeas moles, quod non redigatur ad iſta.
„ Quis mentem textus formabit, quæve figura?
„ Res ut noſſe queat: ſatin' eſt ſubtilibus illam
„ Conflari ex atomis? Sed quid ſubtilius una
„ Eſt atomo? tamen haud atomus tibi cogitat. Adde
„ Pernicem motum; ſed quid pernicius igne,
„ Æthere, luce? tamen neque lux, neque cogitat ignis,
„ Non æther. Satin' eſt aliquam illis eſſe figuram?
„ Hoc ais: hanc demum fugis expugnatus in arcem,
„ Nam quo lucifugus ſe ſe non ſubripit error!
„ Sed nos errorem, quo ſe ſe cumque receptet,
„ Inſequimur, cauſſamque animi non eſſe figuram
„ Materiæ, valida freti ratione probamus.
„ Namque hoc ſi fuerit, non omnes, credo, figuræ
„ Formabunt animum; ſed quædam hoc jure fruetur,
„ Secluſis aliis . . . . . . v. 600., & ſeq.
„ Dic igitur: qua nempe fides, & opinio forma,
„ Qua dubitatio, qua ſtabilis perſvaſio diſtent,
„ Invidia, ambitio, ſpes, aut metus? Eja age, Quinti,
„ Quid ceſſas? Hæres? Deſunt tibi verba, figuræ
„ Quamquam omnes adſunt oculis? Cur nulla roganti
„ Obvia fit, quæ vel minimum genus exprimat horum?
„ Nil quodcumque vides, Quinti, quod corpore tangis,
„ Significare valet, quod ſentis intus, & omnis
„ Materiæ tibi deeſt ratio de mente loquenti.
v. 878., & ſeq.
„ Si fingatur enim multis e partibus eſſe,
„ Parvula quantumvis, vel ſubtiliſſima fiat,
„ Officio pars quæque ſuo jam dedita, certe
„ Neſciat officium alterius, neque judicet inter
„ Senſus diverſos quis ſvavior; hæc neget, illa
Affir-

non valeat, uti tamen Anima obſervare valet; etſi igitur in ente compoſito materialis cujuſdam

„ Affirmet diſcors: velit una, quod altera nolit:
„ Quamque ſuo nam jure frui, arbitrioque neceſſe eſt.
„ Ut partes oculi non uno munere cunctas
„ Defungi certum eſt; radios nam colligit una,
„ Altera ſecernit: mentis ſic munia partes
„ Diverſæ diverſa, immo contraria obirent.
„ Libertate ſua pariter, ſeorſumque potitæ,
„ Cætus erit: veluti formicarum abdita campo
„ Plebs habitat, varium inter ſe partita laborem;
„ Aut examen apum: vel erit Reſpublica diſcors,
„ Motibus inſanis, ac ſeditionibus ardens:
„ Et confundentur populoſæ munia mentis.
„ Vel concors ut ſit, quædam ſelecta tot inter
„ Particulas ſibi congeneres, operumque miniſtras,
„ Sic princeps erit, ut cunctæ referantur ad illam,
„ Conſpirentque ſimul. Sed quæ Regina ſedebit?
„ Præter enim quam quod prorſus germana videtur
„ Mentibus his, quas Democrito exprobrare ſolebas,
„ Partibus eſt aliis conflata minoribus, æque
„ Ac famulæ, vulgusque atomorum in corpore degens:
„ Quæ pars imperio ſic nata videbitur una?
„ Quæ pars Reginæ tandem Regina futura eſt?
„ Quæ pars mentis erit vere mens? Heu, bone Quinti!
„ Fingere quam promptum! rationem reddere ficti
„ Proh quam difficile eſt! Nonne hinc intelligis unum,
„ Et ſimplex eſſe id, quod vult, & percipit? Ergo
„ Cum pars materiæ (meminiſti) nulla ſit una,
„ Nulla individua, aut ſimplex, nullam eſſe neceſſe eſt,
„ Quæ caſu quovis in mentem aſſurgere poſſit,
„ Aut per ſe ſola, aut aliis ſibi fœdere junctis.

9. Auctor Operis *De Natura*, qui creditur Alembertus, alibi jam citatus, tantam eſſe Animæ a corpore dependentiam fingit, ut nullæ in Anima exurgant perceptiones, niſi ab ipſo corpore Animæ communicentur. Quomodo autem a corpore ideæ in Anima producantur, exponit idem Auctor: ſi attente ſtructura cerebri noſtri, & cerebelli inſpiciatur, fere infinitus fibrarum nervearum numerus deprehendetur. Aliæ enim ad unam, aliæ ad aliam corporis noſtri partem mira diſpoſitione propagan-

dam rei repræſentatio haberi poſſit, hæc tamen nullatenus cogitatio dici poteſt.

SCH.

gantur. Itaque in tres claſſes tota nervorum familia dividatur. Una nervorum claſſis in ſex alias familias organorum ſenſoriorum diſpertiatur; altera claſſis fibrarum nervearum conſtituat faſciculum idearum intellectualium; ultima tandem claſſis ad volitiones ſpectabit. Erunt ergo in cerebro fibræ ſenſitivæ, fibræ intellectuales, & fibræ volitivæ: ſi fibræ ſenſitivæ concutiantur, ſenſationes exurgent vel coloris, odoris, ſaporis, ſoni, tactus, vel moralitatis. Fibræ autem intellectuales, & volitivæ ſunt cum fibris ſenſitivis ad uniſonum tenſæ: igitur ex legibus ſoni, fibris ſenſitivis oſcillantibus in cerebro, & fibræ intellectuales, & volitivæ neceſſario undulationes concipient. Hinc facile natura explicatur idearum, quid ſit habitus, quid memoria, quid paſſio: habitus enim eſt fibrarum facilitas ad tales oſcillationes concipiendas; memoria eſt facilitas fibrarum nervearum ad oſcillandum ita, ut una fibra intellectuali undulante, & aliæ plurimæ ad eumdem faſciculum ſpectantes oſcillare cogantur: paſſiones ſunt fibrarum nervearum volitivarum non oſcillationes, non commotiones, ſed convulſiones, ſed irritamenta ingentia.

10. Si hæc juxta obvium, nativumque verborum ſenſum accipiantur, purum Materialiſmum nobis exhibent: quid enim ſibi volunt propoſitiones illæ: *Animæ perceptiones a corpore in ipſa Anima producuntur: Anima illas tantum perceptiones habet, quas illi corpus communicat?* Quid ſignificant *fibræ illæ ſenſitivæ, intellectuales, volitivæ?* Fortene cerebri fibræ ſentiunt, intelligunt, volunt? Si in caſtris militat Materialiſtarum laudatus Auctor, videat, quam Philoſopho ſit indignum, homines ad imaginem DEI factos ad lapidum familiam deprimere. Qui alios homines cum ſaxis natura putat convenire, is certe a lapidibus ſe non diſcrepare conſentit.

11. Illud pariter falſitatis arguitur, ad motum ſcilicet fibrarum ſenſitivarum, confictas intellectuales fibras, & volitivas commoveri: quoties enim videt Philoſophus admirabilem corporis humani ſtructuram, itemque plantarum, & Mundi totius; modoque ad

DEUM

SCH. 1. De ente compoſito in genere oſtenſum eſt, cogitationem ipſi tribui non poſſe; necquicquam igitur quis

DEUM mentem elevat, & creatorem laudat, & amore proſequitur, & modo neque DEUM ex creaturis agnoſcit, neque laudat, neque amat? Quid? Fibræ ſenſitivæ ab iiſdem objectis ſenſitivis percelluntur, & fibræ intellectuales, & volitivæ diverſo modo oſcillant? Unde tanta in fibris intellectualibus, & volitivis diſcrepantia, eadem commotione in fibris ſenſitivis perdurante? Contra hanc opinationem & argumenta faciunt ante allata.

12. Non multum ab hac ſententia differt Helvetii opinatio in libro *de Spiritu* inſcripto, qui melius *de Materia* inſcriberetur. Duas tantum in nobis facultates, ſive potentias paſſivas, ut ipſe vocat, admittit hic Scriptor: una potentia impreſſiones recipit, quas in nobis objecta externa ſenſibilia producunt; hancque *ſenſibilitatem phyſicam* appellat; altera vero eſt memoria, quæ in continua ſenſatione, ut ut debili, conſiſtit. Anima igitur hominis in ſenſibilitate phyſica, & memoria conſiſtit eſſentialiter; nec homo differt a brutis, niſi per extrinſecam corporis organizationem: ſi enim natura hominis manus ad inſtar equini pedis conformaſſet, non differret homo ab equo; eædem eſſent perceptiones in homine, ac in equo. Si pariter externa corporis noſtri ſtructura eſſet qualis in urſo, in cervo, in fele, non eſſet homo ab urſo, a cervo, a fele diverſus.

13. Nihil eſſe hoc dicendi, vel cogitandi modo ſtolidius, nil craſſius, nil contemptius, omnibus, qui belluas ſe non reputent, pateſcit. In ſola potentia paſſiva extrinſecas corporeas impreſſiones recipiendi hominum perceptiones conſiſtunt? Nullas habet homo operationes præter ſenſationes cum brutis communes? A brutis homo eſſentialiter non differt? Infeliciſſima ſunt hæc hominis mente, & corde corrupti deliria. Corpus non ſentit, ſed Anima realiſſime a corpore diſtincta, poſitis debitis in corpore impreſſionibus, objecta percipit ſenſibilia. Nec homo ſolum ſenſationes habet, ſed ſuper objectis ſenſatione cognitis reflectit, abſtractiones, judicia, diſcur-

quis materiam neſcio quam ſubtilem obtenderit, cum & hæc nihilominus entibus compoſitis ſit adnumeranda.

SCH.

ſcurſus conficit, quæ operationes brutis non competunt, nec ullo modo, ut alibi dicemus, competere poſſunt. Quare a brutis,

„ Inque aliis rebus multis differre neceſſe eſt

„ Naturas hominum varias, moreſque ſequaces.

Conſulatur Valſecchius tom. I. pag. 109.

14. Non ſunt præterea bruta pura authomata, ſed animas habent a corpore diſtinctas; quæ animæ, etſi noſtris inferiores, ſimplices ſunt tamen. Verum de hac re iterum recurret ſermo.

15. Abbas Yvonius in Encyclopedia art. *Anima* apud Chaumeixium p. 132.: Ego ſum corpus, inquit, & cogito, & nihil ſcio præterea. Tribuam ne prudenter cauſſæ incognitæ id, quod facile cauſſæ ſecundæ ſufficienter cognitæ, ſcilicet corpori, poſſum tribuere?

16. Te eſſe corpus, & cogitare tantum agnoſcis, ignoras autem cetera? Adeo in poſtremum ſtoliditatis gradum inflatio ſcientiæ dejicit! Itane durus es, Yvoni, vel ſtupidus, ut corpus humanum non ſentias eſſe plurium partium aggregatum, ut capitis, thoracis, abdominis, pedum &c.? Si autem corpus humanum cogitat, quot in homine uno ſimultaneæ perceptiones (n. 3.)! Quomodo partes iſtæ cogitare poſſunt (nn. 3. 4.)? Si igitur tibi conſtat habere corpus, & te cogitare, & cogitatio tua corpori tuo nequit competere, ab alio principio, quod corpus non ſit, cogitatio tua dimanet, eſt neceſſe; nec potes de hoc niſi imprudentiſſime dubitare.

17. Aſt quænam in homine abſque religione prudentia? Quid ſanctiſſimis prudentiæ legibus conforme ab homine expectes, qui putat ſe habere eſſe cum beſtiis, cum plantis, cum lapidibus commune, & nihil aliud? Qui canino dente rodit, lacerat, convellit omnia, quæ ad religionem ſpectant, providus ne eſt, ſagax, prudens dicendus? „ Prudentia, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 47. a. 13. „ eſt & vera, & perfecta, quæ ad bonum finem „ totius vitæ recte conſiliatur, judicat, & præcipit, & „ hæc ſola dicitur prudentia ſimpliciter, quæ in pec- „ catoribus eſſe non poteſt „. Si in peccatoribus, fideli-

SCH. 2. Vaniſſime etiam quæritur: an non DEUS per omnipotentiam enti compoſito facultatem, aut plane

---

delibus ceteroquin, haberi perfecta prudentia nequit, quomodo in homine Materialiſta habebitur?

18. Puerilibus tantum ſophiſmatibus deceptos veteres Materialiſtas Animæ ſimplicitatem negaſſe fatetur Volterius 1. p. Mataph. cap. 6.: Solus Lokius, ſubdit, nullam eſſe pugnam inter cogitationem, & extenſionem feliciter demonſtravit, recurrendo ad omnipotentiam Creatoris; nam DEUS omnipotentiſſimus nonne materiæ poteſt vim percipiendi communicare? Videat, qui dubitat, ne impietate intolerabili de hoc dubitare convincatur. Præterea ideæ noſtræ, quibus corpus agnoſcimus ſunt inadæquatæ, diminutæ, imperfectæ: qui ergo corpus non poſſe percipere fidenter judicat, judicium fert certum de re ignota, quod quidem impudentiſſime inſanire eſt.

19. Lokianum hoc argumentum proponit, & ſolvit Polignaccus lib. V. v. 1011., & ſeq.

„ Sunt in materia nobis impervia ſane
„ Plurima, quæque aciem mentis, qua cuncta tueri
„ Conamur, fugiant. Etenim finita poteſtas
„ Ingenii non aſſequitur quæcumque per omnes
„ Materiæ nexus, & vincula particularum
„ Confieri poſſunt: quare in caligine denſa
„ Progredimur ſæpe, ac veluti nictamur in umbris.
„ At ſi cuique rei quæ dotes funditus inſunt
„ Haud ſcimus plerumque; licet cognoſcere ſaltem
„ Queis careat. Nos forte latent primordia flammæ:
„ Aſt ea compertum eſt aqueis diſtare figura:
„ Inque figurarum ſolo diſcrimine poni,
„ Quidquid aquæ, aut ignis proprium eſt. Miracula nondum
„ Omnia Magnetis perſpeximus: at mihi certum eſt
„ Magnetem non eſſe animal, nec amoris ab æſtu
„ Ferratas trahere, ac ſecum vincire catenas...
„ - - - - - Quadrare rotundum
„ Nemo poteſt: at quadratum differre rotundo
„ Id norunt omnes, quidque ex utroque ſequatur.
„ Sic a materia mentem ſejungimus: etſi
„ Non omnes liquido vires utriuſque pateſcant.

20.

ne vim cogitandi concedere poſſit? cum enim ex eſſentia compoſiti ſequatur, ipſum ad cogitationem eſſe in-

20. DEUM eſſe omnipotentiſſimum ſincere fatemur; at repugnare corpori vim percipiendi invicte demonſtramus. Sunt equidem ideæ noſtræ inadæquatæ; at ſi ſint evidentes, rem nobis ſufficienter oſtendunt. Quemadmodum igitur abſque temeritate poſſumus affirmare, triangulo non poſſe quatuor latera competere; ita nulla temeritas, impietas nulla in eo eſſe poteſt, quod impoſſibile dicamus, materiam poſſe cogitare. Et ſane, quamvis ideæ noſtræ, quas de corpore habemus, diminutæ ſint, & imperfectæ, nonne Lokius abſque temeritate, immo ſumma cum laude demonſtrat, DEUM non eſſe materiam? Pari modo nos argumentis ſolidiſſimis evincimus, ſubſtantiæ compoſitæ vim percipiendi competere non poſſe. Conſul. Sch. 2. §. 135.

21. Objicitur II. Plures ſunt materiæ affectiones, quæ ex mera partium combinatione, motu, & quiete (ex Nota (75) ad §. 23. Coſm.) nequeunt oriri: forte ergo et vis percipiendi materiæ poterit communicari. Si enim corpus vim habet motricem, attractricem, repellentem; & quibus argumentis poterit probari, non poſſe habere vim percipiendi?

22. Reſp. Vires motrices, attractrices, repulſivas &c. non poſſe corporibus concedi, niſi corpora tamquam ſubſtantiarum ſimplicium aggregata ſtatuantur; extenſioni enim puræ vires nequeunt (ex Nota (75) cit.) convenire: ſi vero corpus eſſe ſubſtantiarum ſimplicium aggregatum concedat Materialiſta, jam & Anima erit ſecundum falſam Materialiſtæ opinionem plurium ſubſtantiarum aggregatum. Jamvero demonſtratum eſt, nec omnes partes, nec aliquas tantum ullius compoſiti materialis aſſeri poſſe cogitantes. Addimus modo argumentum aliud inde petitum, quod cogitationes plurium partium uniri nequeunt tamquam partiales ad unam totalem, & integram cogitationem conflandam, uti uniuntur plures partiales vires motrices ad unam totalem, & integram efficiendam. Nam poſſunt partiales vires motrices uniri ad unam totalem efficiendam, quatenus conſpirare poſſunt in idem ſubjectum, in quod agunt, & in eumdem totalem effectum: at in unam

ineptum, DEUS conceſſurus illi vim cogitandi ejus eſſentiam mutare deberet, quod abſurdum.

136.

unam totalem uniri nequeunt cogitationes partiales, niſi ſit aliquid, quod ſingularium partialium cogitationum ſit intimo ſenſu conſcium: at fieri nequit, ut unum ens cogitans cogitationis entis alterius ſit intimo ſenſu conſcium, cum intimo ſenſu non innoteſcant uni enti alterius entis affectiones: nequeunt ergo plures partiales cogitationes uniri ad unam totalem componendam.

23. Ob. III. Quod motu locali movetur corpus eſt (ex Nota (42) ad §. 158. Ontol.): at Anima locali motu movetur; dum enim homo movetur, movetur & Anima: ergo &c. Præterea mens eſt hominis pars una, locoque fixa manet certo, nec enim eſt ubique: at quod eſt in loco, corpus eſt: ergo &c. Iterum. Niſi Anima motu locali moveatur, nequit a corpore ſeparari.

24. Reſp. Diximus jam (Nota (47) ad §. 175. Ont.), ſimplices ſubſtantias non eſſe in loco, atque adeo nec eſſe mobiles: quamvis autem Anima non ſit in loco, poteſt tamen eſſe præſens corpori in loco exiſtenti (ex Nota (112.) ad §. 130.): dum igitur homo movetur, non Anima, ſed corpus ad alia coextenſa mutat diſtantiam. Nec Anima relinquit corpus, dum movetur homo: ut enim Anima intelligatur conſtanter unita corpori, ſive corpus moveatur, ſive quieſcat, ſufficit, quod hujus conſtantis unionis detur ratio ſufficiens; at hæc conſtantis unionis ratio datur, quamdiu Anima corpori eſt unita, ſive moveatur corpus, ſive quieſcat; namque ex cit. Nota (112) unionis Animæ cum corpore ſufficiens ratio ex eo deſumitur, quod Animæ perceptiones cum quibuſdam mutationibus in corpore factis connectuntur, & viciſſim: at haberi poteſt iſta connexio, quamvis Anima cum corpore non moveatur, ut evidens eſt: ergo &c. Hinc Anima eſt quidem tantum corpori proprio præſens; immo ſoli cerebro immediate: at in corpore, tanquam in loco, non eſt: Anima tandem in morte hominis ſeparatur a corpore, quatenus in corpore ceſſat ſanguinis circulatio, fibræ oſcillatorium motum amittunt, ſpirituumque animantium ſeparatio impeditur: ex his enim mutuus operationum conſenſus Animam inter & corpus ceſſat. Moritur itaque homo, & Anima novum per-

136. Anima humana est ens simplex. Anima namque cogitat, ſeu ſui, aliorumque ſibi conſcia

---

percipiendi modum acquirit, non novum locum.

25. Ob. IV. Tertullianus lib. de Anima cap. 7. 8. 9. ad probandam Animæ noſtræ corporalitatem ſequentibus utitur argumentis. 1. Dolet apud inferos Anima cujuſdam, & punitur in flamma, & cruciatur in lingua, & de digito Animæ felicioris implorat ſolatium roris: igitur diviti apud inferos lingua, & pauperi digitus, & ſinus Abrahæ. 2. Anima impii detinetur in carcere, ſeu diverſorio inferorum: ergo Anima eſt corpus; incorporalitas enim ab omni genere cuſtodiæ libera eſt. 3. Id, per quod Anima punitur, eſt corpus: probata igitur eſt corporalitas Animæ; incorporalitas enim nihil patitur, non habens per quod pati poſſit: unde ſi habet, hoc erit corpus.

26. Reſp. P. Hayerus tom. 2. pag. 242. de Animæ Spiritualitate putat, Tertullianum non admiſiſſe Animam noſtram eſſe corpoream: mihi vero ſententia S. Auguſtini magis arridet ad Optatum ſcribentis, non eſſe mirandum, Animam rationalem eſſe corpoream ſomniaſſe Tertullianum, quippe qui etiam ipſum creatorem DEUM non eſſe niſi corpus opinatur. Ad 1. ergo: falluntur baſilice, qui ex parabola, ſive hiſtoria, ſive potius parabolo-hiſtoria, quæ Lucæ XVI. legitur, Animam eſſe corpoream concludunt: „ Duo ſiquidem in illa „ narratione diſtinguere opus eſt, inquit Cl., & Celeberrimus P. Patuzzius De Fut. Imp. Statu p. 165. „ tor- „ mentum videlicet divitis, quod flammæ nomine ex- „ primitur, & effectus, affectuſque, qui ex illo tor- „ mento oriebatur in divite. Tormentum divitis, ſi- „ ve inſtrumentum, aut proxima cauſſa ſui cruciatus „ per vocem utique propriam ſignificari poterat, nul- „ laque cauſſa Evangeliſtæ ſuberat illud declarandi per „ vocem metaphoricam, quod per propriam, & nati- „ vam æque declarare potuiſſet. At vero effectus, aut „ affectus, qui exſurgebant in anima divitis innoteſce- „ re commode nequaquam poterant, niſi per tropos, „ aut metaphoras, quemadmodum & divinæ operatio- „ nes per metaphoricas voces explicari ſolent, ut fa- „ cilius intelligantur: atque hac ratione S. Scriptura

DEO

eſt ; ens autem compoſitum cogitare nequit (§. 134.): unde clarum eſt, Animam non poſſe eſ-
ſe

„ DEO adſcribit affectus odii, furoris, pænitentiæ &c.; immo & corporea membra manus, pedes, aures, oculos &c. „ Congrue itaque in ea narratione oculos, linguam, digitos diviti, & Lazaro Chriſtus attribuit, ſicut eadem a ſacris Litteris DEO congrue tribuuntur; non quod aut DEUS, aut Anima membra habeat, ſed quia nos quaſi habentes fingere ſolemus, aut quia per membra corporea DEI, & Animarum proprietates quædam, & operationes declarantur, per oculos vis cognoſcendi, per manus, ac digitos vis agendi, per linguam vis loquendi, ſentiendi &c., quæ commode aliter explicari non poſſent „ Ad 2. Quamquam Anima ſit ſubſtantia incorporalis, poteſt tamen eſſe præſens ſubſtantiæ extenſæ in loco exiſtenti (n. 24.). Poterit igitur Anima eſſe præſens igni in cavitate telluris exiſtenti. Conſulatur laud. Patuzzius in Opere de Sede Inferni in terris quærenda. Ad. 3. Quæſtionem hanc proponit, & ſolvit S. Auguſtinus lib. XXI. de Civ. Dei cap. 10. inquiens: „ Non eſt de hac re laborandum operoſa inquiſitione, aut contentioſa diſputatione certandum. Cur enim non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam Spiritus incorporeos poſſe pæna corporalis ignis affligi, ſi Spiritus hominum etiam ipſi profecto incorporei & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum ſuorum vinculis inſolubiliter alligari „?

27. Ubi de Commercio Animæ cum corpore agetur, iterum de modo, quo corpus Animam ad percipiendum poteſt determinare, erit agendum. Lucretii vero proponere, & diſſolvere argumenta opportunius fuerit, cum quæſtio erit de Animæ Immortalitate.

28. Pro bujus quæſtionis coronide lepidam quæſtiunculam proponere placet, num ſcilicet Mulieres Animam habeant ſpiritualem? Enimvero quidam Horatius Plata in opuſculo typis edito Lugduni an. 1647. mulieres non habere Animam ſpiritualem viſus eſt defendiſſe. Tam ſupinum errorem refutavit Franciſcus Bordonius in Opere, cui titulus, *Advocatus Mulierum*.

29.

ſe ens compoſitum: eſt igitur ens ſimplex (Schol. §. 173. Ontol.)

29. Tempus, operamque in hujus erroris confutatione perdere neceſſe non eſt; quædam tamen audiamus, quæ pro ſua ſententia proponit Plata. Femina, inquit, non eſt producta ad imaginem DEI; legitur enim Genes. I. 27: *Creavit DEUS hominem ad imaginem ſuam; ad imaginem DEI creavit illum, maſculum, & feminam creavit eos*. Similia habentur cap. V. 1., & utrobique imago DEI tribuitur tantum viro. Accedit Apoſtolus, qui in I. Corinth. XI. 6. ait de muliere: *Velet caput ſuum*: at de viro verſu proximo inquit: *Vir quidem non debet velare caput ſuum, quoniam imago, & gloria DEI eſt*: mulier ergo juxta Apoſtolum non eſt imago, & gloria DEI. Item Auguſtinus Apoſtoli ſententiam ſic explicat: „Mu„lier autem ideo velet caput, quia non eſt imago DEI „. Argumentatur præterea Plata. Mulieres eſſe ratione deſtitutas inde colligitur, quod nec peccati labem, nec remiſſionis gratiam habere queant; ſi enim peccatum contrahunt, cur pro ipſis inſtitutum non fuit originariæ contagionis remedium in veteri lege? Etiam baptiſmum pro viris tantum inſtitutum fuiſſe colligitur ex Matth. ult. 19. *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos*. Non iſtic occurrit feminei generis pronomen, ut exigebat terminus *gentes*, ne quis mulieres ſacro tingendas eſſe lavacro crederet. Opponit rurſus, viri dominio ſubjici feminas, ut beſtiæ, & jumenta Gen. I. 26. ſubjecta ſunt Adæ. Similia adhuc proponit improbus deriſor, peſſimuſque Dialecticus Plata, quæ piget referre.

30. Reſp. Imago DEI multipliciter ſumi poteſt. Hæc primum ſita eſt in facultate intelligendi, ac volendi; deinde in dominio, quo rationalis creatura cunctis præeſt animantibus; tandem in productione, qua primus homo omnes ex ſua poſteritate præcedit. Si ergo imaginem DEI pro intellectrice facultate accipiamus, in qua hominis natura conſiſtit, tam maſculus, quam femina refert Auctoris ſui imaginem: ſi pro dominio in res homini ſubjectas, hæc imago principaliter in homine, tum vero etiam in muliere invenitur: ſi denique pro initio, & prima cauſa humani generis propagatrice,

ſolus

137. Itaque Anima caret omnibus iis, quæ corpori, ceu enti compoſito ex eſſentia ipſius con-

ſolus vir eſt gloria, & imago DEI. Itaque Geneſ. I. divinæ imaginis ratio maſculo, & feminæ indiſcriminatim tribuitur, ubi legitur: *Creavit DEUS hominem ad imaginem ſuam*; hic enim homo eſt maſculus, & femina; nam ſequitur: *Maſculum, & feminam creavit eos*. Ibidem tribuitur tam viro, quam mulieri dominium in alia terræ animantia; legitur enim ibidem: *Benedixitque illis DEUS, & ait: creſcite, & multiplicamini, & replete terram, & dominamini piſcibus maris*. Quia tamen vir femina prior creatus eſt, de illo ſingulari numero repetitur: *Ad imaginem DEI creavit illum*. Liquet vero, quod ſi poſtremo hoc ſenſu accipiatur imago, etſi viro tribuatur dumtaxat, naturæ diverſitatem in illo non infert; nam alias nullus filiorum Adami eſſet homo, quoniam prior factus eſt Adamus, quam filii poſſent ab eo gigni. Apoſtolus pariter feminas docens humilitatem, & verecundiam, vocabulum imaginis uſurpat, quatenus in homine regiminis dignitas effulget, & principatus: unde ait: *Non enim vir ex muliere eſt, ſed mulier ex viro. Etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum*. Atque hinc recte ſequitur, caput mulieris velandum eſſe, quia velamen in capite indicium eſt poteſtatis alterius, teſte eodem Apoſtolo; & e contra non velare caput ſuum, ut Auguſtinus inquit, libertatis eſt indicium: eodem pacto accipitur DEI imago in Auguſtini allato teſtimonio: licet Opus quæſtionum Vet. & N. Teſtam., ex cujus cap. 106. deſumta ſunt allata in objectione verba, non eſſe Auguſtini, conſentiunt eruditi. Uno verbo dicam, mulierem non eſſe imaginem DEI ratione poteſtatis, eſſe tamen ratione naturæ.

31. Ad argumentum alterum reſp.: ſi mulier peccare nequit, cur mulieri in peccato deprehenſæ ait Chriſtus Joan. VIII. 11.: *Vade jam amplius noli peccare?* Cur mulieri, quæ erat in civitate peccatrix, inquit idem Lucæ VII. 48.: *Remittuntur tibi peccata?* Et pro feminis ergo inſtituta peccatorum remedia indubitatum eſt; præſertim cum in Levitico pro utroque ſexu occurrant ſacrificia, atque expiationes. De baptiſmate vero ſcriptum eſt

conveniunt (§. 173. Ont): eſtque adeo ab hoc prorſus diverſa (§. 174. Ont.).

138. Anima est substantia. Eſt enim ens ſimplex (§. 136.); ens ſimplex continet in ſe aliquid perdurabile modificabile (§. 204. Ontol.); conſequenter ſubſtantia eſt (§. 200. Ontol.): Anima igitur ſubſtantia eſt. (114)

eſt: *Baptizantes eos*, digniori genere, conſueta oratione, uſurpato pro epicæno, & promiſcuo, ut Geneſ. I. 27.: *Maſculum, & feminam creavit eos*. Mirum ſane, quod adeo inſanierit Plata, ut regenerationis lavacrum mulieribus denegarit, tam labili innixus fundamento. Tertium argumentum ſic refellitur. Nedum viro, ſed & mulieri dictum eſt Gen. I. 28.: *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram*. Non ergo eo pacto, quo jumenta, feminæ viris ſunt ſubjectæ: debebat vero uxor ſubdi marito; quoniam in quolibet rite inſtituto regimine unus præeſt: nec tamen ratione carent, qui reguntur, alioquin jumentum fuiſſet Plata alieno ſubjectus imperio.

32. Ineptit autem Plata, dum ait, mulierem eſſe viri adjutorium, ut ſutoris acus, & agricolæ aſellus; quandoquidem mulier eſt adjutorium ſimile, non ſexu, ut per ſe liquet, ſed natura: ſi etenim ad ſimilitudinem ratio ſufficit tantum adminiculi, vel inſtrumenti, irriſorem feminei ſexus dicemus jure aſino ſimilem, ſi unquam hoc animal ipſum proprio dorſo vectavit. Qui de hac re plura deſiderat adeat tom. III. p. 127. Operum P. Berti, ex quo fere, quæ de hac quæſtione dixi, exſcripta ſunt.

(114) Animas noſtras particulas eſſe ex ipſa DEI ſubſtantia avulſas, corporibusque copulatas, ſtolidi quidam ſomniarunt. Impiam hanc, abſurdamque opinionem facile refellimus ajendo, DEUM eſſe ſubſtantiam ſimpliciſſimam, in qua nullæ ſunt, aut fingi poſſunt partes.

Rationales Animas eſſe portiunculas animæ Univerſi, cenſuerunt alii: hinc Virgilius Æneid. VI. v. 724.

„ Principio cælum, ac terras, campoſque liquentes,

SCH. Hæc propoſitio etiam per experientiam ſatis certa efficitur: Anima enim percipit, & appetit per perceptiones, & appetitiones; ſtatus Animæ identidem mutatur, ac variatur, dum interea quædam perpetuo eadem manent: unde intelligimus, Animam eſſe quid perdurabile, modificabile, atque adeo ſubſtantiam.

139. ANIMA EST ENS VI PRÆDITUM. In Anima admittendum eſt quidpiam perdurabile, & modificabile (§. 138.); nihil vero aſſignari poteſt niſi vis; quippe non materia, & extenſio, cum Anima ſit ens ſimplex (§. 136.); præter materiam autem, & extenſionem, vel vim quid in ente aliquo reale, perdurabile, modificabile concipi, ac aſſignari poſſit, ſane non apparet: Anima ergo eſt ens vi præditum.

SCH. Cavendum ſane, ne terminus Perdurabile modificabile, *atque adeo* ſubſtantia *terminus inanis, & vanus ſine mente ſonus reputetur; an non autem haud immerito reputabitur, niſi vel materiam, & extenſionem, vel vim eo termino indigitaveris?*

140. IN ANIMA NON NISI UNICA VIS DATUR. Quælibet enim vis eſt quidpiam perdurabile modificabile (per modo dicta): in Anima vero plura perdurabilia modificabilia dari nequeunt; eſt enim ſimplex ſubſtantia: igitur nec plures vires in ea locum habere poſſunt; non niſi unica proinde vis in Anima datur. (115)

SCH.

„ Lucentemque globum Lunæ, titaniaque aſtra
„ Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
„ Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.

Verum & hæc ſententia antecedenti minus impia non eſt, atque abſurda: Anima enim ſubſtantia ſimplex eſt (§. 136.): ergo &c.

(115) Vi eadem Anima modo ſentit, modo imagina-

SCH. In Anima, experientia teſte, diverſiſſimæ quæque mutationes poſſibiles, diverſiſſimæque adeo facultates adſunt. Neque contrarium præſenti propoſitione adſtruitur, quippe qua iſtud ſolum innuitur, in Anima nonniſi unicam vim, qua quæcumque demum mutationes poſſibiles, & facultates actuantur. Scilicet pridem monuimus, vim cum facultate nequaquam eſſe confundendam: porro nec hoc abſonum quis putaverit, unicam vim ad multiplices, eaſque admodum diverſas mutationes actuandas deſtinari; nonne enim ignis per unam, eamdemque vim loco motivam calefacit, illuminat, exſiccat, accendit, comburit, &c.?

141. Vis eſt principium mutationum; itaque ex mutationibus, qualis ipſa ſit, demum agnoſcitur: ad Animam attenti novimus, inter quaſvis mutationes omnium uſitatiſſimas, ac frequentiſſimas eſſe ſenſationes; quoniam autem ſenſationes non ſunt, niſi rerum in mente repræſentationes (§. 15.), colligimus, ANIMAM HABERE VIM REPRÆSENTANDI. (116)

natur, modo meminit, modo reminiſcitur, modo ad perceptiones ſuas attendit, modo ad eas reflectit, modo abſtrahit, modo notiones format, judicat, ratiocinatur, modo appetit, modo averſatur, modo libere vult, modo non vult.

(116) Qui putant, ſenſationes eſſe Animæ paſſiones, non vero actiones, hoc proponunt argumentum: Illa mutatio dicitur paſſio, cujus mutationis ratio eſt extra ſubjectum, quod ſtatum mutat (§. 190. Ont.): atqui ſenſatio eſt Animæ mutatio, cujus ratio ſufficiens eſt in corpore (§. 18.): ergo &c. Reſp. Ut in Anima perceptio exoriatur, tria ſunt omnino neceſſaria: primo requiritur in Anima vis percipiendi; ſecundo requiritur, ut objectum perceptionis ſit menti proportionatum, & præſens; tertio tandem, ut Anima dirigat aciem propriam in objectum ſibi præſens. Mutationes in

SCH. Repræſentationes ſine vi repræſentandi haberi non poſſe, nemo non cogitur admittere (per princ. rat. ſuffic.) ; extra Animam autem hæc plane inconvenientiſſime conſtituitur : nam aut Animam comparabis raſæ tabulæ, cui objecta externa imaginem, & ſpeciem ſuam ipſa imprimant, Anima ad id nihil actionis adferente ; ſed quantum a Materialiſmo tum ſententia tua diſtabis ? aut a DEO tamquam cauſſa unica quaſvis rerum imagines, & ſpecies Animæ vel ſub ipſius exordium ingenerari, vel ſubinde infundi dices ; at nonne ſine neceſſitate ad DEUM refugere Philoſophia ſanior vetat ? Quid proinde ſupereſt, niſi ut repræſentationes Anima propria vi producere dicatur? (117)

142. Anima neque omnia, quæ poteſt repræſentare, actu repræſentat, neque ſummo claritatis gradu repræſentat; ſatis ex hoc ipſo patet, VIM ILLIUS ESSE LIMITATAM, AC FINITAM (§. 213. Ontol.).

Quoniam tamen omnis vis in continuo agendi conatu conſiſtit, ac poſita vi ponitur actio, niſi impedimentum adſit (§. 194., & §. 195. Ontol.); Animæ vim vero præter DEUM nihil impedire valet, ſtatuendum equidem, ANIMAM

in corpore factæ reddunt objecta ſenſibilia menti proportionata, & præſentia; at Anima vi propria eſt objectorum conſcia, nec perceptio a corpore menti communicatur: itaque mutationes in corpore factæ aliquam partialem rationem continent ſenſationum; revera tamen ab Anima phyſice perceptiones omnes producuntur. His plurimum afferent lucis, quæ de Commercio Animæ cum corpore infra dicentur.

(117) Indicat hoc Sch. A. graviſſimam illam quæſtionem, & difficultatum pleniſſimam de idearum Origine: de ea vero dicetur, poſtquam aliqua de Commercio Animæ cum corpore tradita fuerint.

MAM SEMPER ACTU ALIQUID REPRÆSENTARE.

SCH. In ſomno Anima nihil clare repræſentat, & cum a claritate pendeat rei conſcientia, nullius rei ſibi conſcia eſt, hocque ipſo non cogitat: verum enimvero nullo argumento evincitur, Animam in ſomno neque obſcure aliquid repræſentare; unde non immerito partim a Carteſio, partim a communi vulgo diſcedimus. Animam dicimus ſemper eſſe in aliquo actu repræſentationis, quod vulgus ſibi non perſuadet; negamus tamen, eam ſemper cogitare, quod tuitus eſt Carteſius. (118)

143.

(118) Animam perenniter percipere, & numquam otiari, duobus probatur argumentis I. Ex vi conſtanter ſequitur actio (§. 195. Ont.): atqui in Anima eſt conſtanter vis percipiendi: in Anima ergo ſemper eſt perceptio. Hinc S. Auguſtinus lib. IV. de Anima, & ejus origine. „ Vis, inquit, qua cogitationes fiunt, merito „ appellatur hoc nomine, quia ſicut motus non ceſſat „ in corde, ita non quieſcimus aliquid cogitando verſare„. II. Anima ſemper vivit: ergo ſemper percipit; omnis enim vita in actione eſt poſita, quæ perennis eſt, quoad vita durat, quemadmodum per ſe eſt perſpicuum: ita plantam, aliaque tamdiu vivere dicimus, quoad actione aliqua vitali agitantur: actio ergo, qua mens vivit, perennis eſſe debet, quoad vivit: ea vero actio cogitatio eſt: perenni ergo mens prædita eſt cogitatione.

Contendit Clericus Sec. I. cap. 2. Pneumat., probari non poſſe, Animam ſemper cogitare: „ Videtur, inquit, ſub„ jectum illud ſine cogitatione, ut corpus ſine motu, „ eſſe poſſe, quod eſt experientiæ conſentaneum, ut „ rationes a noctibus, ſive in ſomnio tranſactis petitæ „ oſtendunt„. Lokius pariter lib. II. de intellectu hum. cap. 2. conatur demonſtrare, fanaticum eſſe dogma de perenni mentis cogitatione: ejus argumenta ad duo ſuprema capita referri poſſunt. Primum, quod nemo unquam eorum, de quibus in profundiſſimo ſomno cogitat, recordetur. Alterum, quod ſtatus cogitationis ſit ſtatus vigiliæ: experimur enim, nos dormire non poſ-

ſe,

143. In Anima datur vis repræſentandi (§. 141.) ; quoniam autem non niſi unica vis datur (§. 140.) , neceſſe ſane eſt , ut in hac vi repræſentandi omnium , quæ in Anima deprehen-

ſe , dum perennis quædam cogitatio animum vexat ; quod ſi ſemper cogitaremus , ſemper vigilaremus . Accedit , quod mens noſtra duas referret perſonas , alteram , dum dormimus , alteram , dum vigilamus .

Reſp. Quemadmodum corpus rapidiſſimo motu agitatum , quamvis paullatim per gradus varios ejus minuatur motus , tamen in perfecta quiete non remanet , ſed continuo ad motum conatur , uti experientia conſtat : ita Anima , ceſſantibus ideis vividis , ſemper tamen ad cogitandum conabitur , atque adeo cogitabit , ut ex dictis patet : neque enim poſſumus , ut obſervat S. Hieronymus Ep. 61. , incorporalem Animam in modum glirium immobilem , torpentemque ſentire.

Si primum lokianum argumentum aliquid probaret , non ſolum mentem in ſomno quandoque otiari , verum etiam neque cum vigiles ſumus nos perpetuo cogitare demonſtraret. Non cogitamus enim alto ſopore demerſi , quia expergefacti minime nos cogitaſſe recordamur: ergo neque vigilantes ſemper cogitamus , quia eorum , quæ complexi tunc animo fuimus , tanta plerumque in nobis oblivio eſt , ut ne confuſe quidem ea in memoriam revocare poſſimus . Vid. Fort. a Brix. p. 2. Metaph. §. 356. Falſum item eſt , quod profert Lokius , nos non poſſe cogitare , & dormire ; quippe (ex Nota (98) ad §. 36.) , ſcimus , nos , dum dormimus , longiſſimas plerumque habere ratiocinationes , quod Lokius , ſi ingenuus eſſe voluiſſet , non potuiſſet negare. „ Tandem poſtremum Lokii argumentum , inquit Genoveſius par. alt. Metaph. pag. 65. „ ſi nihil aliud eſt „ perſona , niſi identitas conſcientiæ, recte concludit , „ duas Animam referre perſonas , alteram , dum dor- „ mimus , alteram , dum vigilamus . Sed id non ma- „ gis abſurdum eſt , quam eumdem hominem in ſcena „ Mercurium agere , & Soſiam . Quod ſi perſona ſta- „ tuatur eſſe individuum rationale , quemadmodum ce- „ teri omnes Philoſophi docent, Anima (melius *homo*), „ dum

henduntur, facultatum, & mutationum ratio contineatur; jam vero ex hoc ipſo liquet, IN VI REPRÆSENTANDI ANIMÆ ESSENTIAM CONSISTERE. Etenim cum vis repræſentandi debeat eſſe illud, quod cæterorum, quæ Animæ conveniunt, rationem continet, dubitari nequit, quin hæc vis repræſentandi primum illud ſit, quod in Anima concipitur: eſt autem illud, quod in re primum concipitur, ejuſdem eſſentia (§. 51. Ontol.): in vi repræſentandi proinde Animæ eſſentia conſiſtit.

144. Quoniam cujuſvis rei vis intrinſeca ad determinatas actiones patrandas tendens ejuſdem naturam conſtituit; vis repræſentandi autem eſt ejuſmodi vis intrinſeca Animæ; patet etiam, quod HÆC VIS NATURAM ANIMÆ CONSTITUAT.

SCH. In corpore ex modo compoſitionis ratio redditur eorum, quæ ipſi convenire poſſunt, hinc in illo eſſentia a natura differt: in Anima autem quoniam præter vim nihil datur, ex quo tamquam primo fonte cætera explicentur, idcirco eſſentia cum natura in idem recidit.

145. Quemadmodum in corporibus id naturale dicitur, quod per vim, quæ eorum naturam con-

---

„ dum vigilamus, & dormimus, ſemper eadem erit „ perſona, quippe ſemper idem individuum rationale „.

Sed rogant, quibus tandem de rebus, quum primum mens corpori unitur, cogitat? Unde ei ideæ ſuppetunt? Eſt enim illa id temporis nuda quædam tabula: materiem ergo cogitationum non habet. „ Quaſi vero, proſequitur mox laudatus Auctor, qui perennem cogitationem mentis ex ejus natura ſequi demonſtravit, cogatur etiam ſcire, unde illi materies ſuppetat cogitandi; aut ſi hæc ignorat, illud quoque ignoret „.

conſtituit, explicari poteſt; ita etiam in Anima *Naturale* dicendum eſt, *quod per ejus vim explicari poteſt*; porroque perinde, ac in corporibus, *Supernaturale* erit, *quod per illius vim explicari nequit*. Ubi tamen diligentiſſime notandum, hic, cum de Anima ſermo eſt, non vim conſiderari debere ſeorſim, ac ſolitariam, ſed conjunctim cum regulis, ac legibus, juxta quas illa agit, quæ leges ideo *Logico-Morales* dicuntur, quod aliæ ad exercitium cognoſcendi, aliæ ad exercitium appetendi, vel averſandi pertineant: unde ſtricte loquendo in Anima naturale erit, quod per illius vim juxta leges, quæ quidem abſolute neceſſariæ non ſunt, operantem explicari poteſt; contra ſupernaturale, quod ita explicari nequit.

146. Vis repræſentandi debet eſſe illud, in quo omnium facultatum, & mutationum ratio contineatur (§. 143.): hoc ergo ut diſtincte perſpiciatur, nunc demum opera nobis danda erit. Primum in facultate cognoſcitiva elaborabimus; tum ad appetitivam convertemur.

CAPUT II.

De Facultate cognoſcendi.

147. AD facultatem cognoſcitivam pertinent ſenſus, imaginatio, memoria, intellectus, ingenium, acumen, profunditas, ratio, ars inveniendi. Ordiamur a ſenſu.

148. Vis repræſentandi in Anima non eſt illimitata (§. 142.); limitatur autem tum per ſitum, tum per conſtitutionem partium, ſeu membro-

brorum corporis, cum quo unita eſſe dicitur, hoc nempe ſenſu, ut ea demum actu repræſententur, a quibus ceu præſentibus partes, ſeu membra corporis afficiuntur; & prout diverſimode afficiuntur, diverſimode repræſententur: atque quæ ita repræſentantur, ea, ut alibi jam docuimus, *ſentiri* dicuntur. Unde ſatis eluceſcit, ſenſationes a vi repræſentandi haberi: ſed enim circa ſenſationes quædam tradenda ſunt.

149. SENSATIONES per ſe, ac abſolute loquendo OBJECTIS, QUÆ CORPUS AFFICIUNT, SIMILES ESSE DEBENT. Ponamus enim ſimiles eſſe non debere; igitur fieri poterit, ut quando e. g. figura triangularis in oculos incidit, figura quadrangularis, vel alia quævis repræſentetur: enimvero ſi hoc admittitur, admitti oportet, ſine ſufficiente in rerum natura ratione iſtud potius modo, quam aliud repræſentari; quod quoniam abſurdum (per princ. rat. ſuffic.), ſenſationes objectis corpus afficientibus ſimiles eſſe oportet.

SCH. 1. *Errabant, qui docere audebant, DEUM pro arbitrio ſuo ſtatuiſſe, ut cum certis mutationibus in corpore certæ perceptiones, ſeu repræſentationes in Anima eſſent conjunctæ; hinc potuiſſe DEUM facere, ut quod modo ceu dulce percipitur, perpetuo ceu amarum perciperetur: ſolum propter certos fines factum, ut, quod ceu dulce percipitur, ceu amarum non perciperetur, Anima ad id nibil conferente. Verum cum hoc, ſi non rerum eſſentiis, at ſaltem naturæ curſui a nobis alibi ſtabilito maxime adverſetur, ſatis utique argumenti ſuppetit, ſententia hac rejecta, oppoſitam amplectendi.*

SCH. 2. *Diximus, ſenſationes per ſe loquendo ſimiles eſſe debere objectis, ſcilicet quamdiu ratio nul-*

la

la pro oppoſito occurrit. Enimvero re ipſa ſæpe occurrere exinde cognoſcimus, quod cum vis repræſentandi in ſentiendo per conſtitutionem, & diverſimodam affectionem organorum limitetur ita, ut convenienter affectionibus membrorum; ſeu organorum repræſentationes in Anima ſequantur, mirum jam non fuerit, ſi in caſu, quo membra non debito, aut non ſolito modo afficiuntur, etiam repræſentationes defectu ſimilitudinis laborent. Sic ſane, quoniam Chriſtus in SS. Eucbariſtia non ſolito modo organa hominum afficit, repræſentationes panis, vel vini in Animis illorum naſcuntur, licet re ipſa, ut per revelationem certum habetur, panis, vel vinum ibidem nequaquam ſit. Cæterum pro curſu naturæ dicta ita magis declarantur. Quæ corpus afficiunt, ſunt entia compoſita, hoc eſt figuræ, magnitudines, ſitus, & motus partium. Hæc vel ita ad organa, habita ratione molis, diſtantiæ, medii, diſpoſitionis ipſorum organorum, applicantur, ut diſcerni valeant, vel ita non applicantur: in priori caſu conſequitur repræſentatio ſimilis, in poſteriori ſuo modo diſſimilis: hinc nempe repræſentatio trianguli ſimilis ſuo objecto, repræſentatio coloris rubri, vel alterius coloris diſſimilis objecto reputatur: interim experientia teſte, adhibitis debitis adminiculis ad hoc, ut, quod in colore rubro eſt, ſeu ex quo ipſe conſtituitur, aliter ad organa applicetur, continuo ex diſſimili ſimilis efficitur, eodem plane ſenſu, quo repræſentatio trianguli ſuo objecto ſimilis dici, & exiſtimari ſolet. (119)

150.

(119) Quam bene hac de re diſputat Lucretius lib. IV.!

„ Nunc aliis alius cur ſit cibus, ut videamus,
„ Expediam: quareve aliis quod triſte, & amarum eſt,
„ Hoc

150. Cum sensationibus, ceu repræsentationibus in mente, semper conjunctæ sunt certæ mutationes in cerebro. Etenim ſenſa-

„ Hoc tamen eſſe aliis gratum, & prædulce videri.
„ Tantaque in his rebus diſtantia, differitaſque eſt,
„ Ut quod aliis cibus eſt, aliis fuat acre venenum.
„ Eſt utique: ut ſerpens hominis contacta ſalivis
„ Diſperit, ac ſeſe mandendo conficit ipſa.
„ Præterea nobis veratrum eſt acre venenum:
„ At capris adipes, & coturnicibus auget.
„ Ut, quibus id fiat rebus cognoſcere poſſis,
„ Principio meminiſſe decet, quæ diximus ante,
„ Semina multimodis in rebus miſta teneri.
„ Porro omnes, quæcumque cibum capiunt, animantes,
„ Ut ſunt diſſimiles extrinſecus, & generatim
„ Extima membrorum circum-cæſura coercet,
„ Proinde & ſeminibus diſtant, variantque figura:
„ Semina cum porro diſtent, differre neceſſe eſt
„ Intervalla, viaſque, foramina, quæ perhibemus
„ Omnibus in membris, & in ore, ipſoque palato.
„ Eſſe minora igitur quædam, majoraque debent,
„ Eſſe triquetra aliis, aliis quadrata neceſſe eſt,
„ Multa rotunda, modis multis multangula quædam.
„ Namque figurarum ut ratio, motuſque repoſcuut,
„ Proinde foraminibus debent differre figuræ,
„ Et variare viæ proinde ac textura coercet.
„ Ergo ubi quod ſvave eſt aliis, aliis fit amarum:
„ Illis, queis ſvave eſt, læviſſima corpora debent
„ Contrectabiliter caulas intrare palati.
„ At contra, quibus eſt eadem res intus acerba,
„ Aſpera nimirum penetrant, hamataque fauces.
„ Nunc facile ex his eſt rebus cognoſcere quæque.
„ Quippe ubi, quoi febris bili ſuperante coorta eſt,
„ Aut alia ratione aliqua eſt vis excita morbi;
„ Perturbatur ibi totum jam corpus, & omnes
„ Commutantur ibi poſituræ principiorum:
„ Fit, prius ad ſenſum ut quæ corpora conveniebant,
„ Nunc non conveniant, & cetera ſint magis apta,
„ Quæ penetrata queunt ſenſum progignere acerbum.
„ Utraque enim ſunt in mellis commiſta ſapore;
„ Id, quod jam ſupera tibi ſæpe oſtendimus ante.

ſationes cum certis mutationibus membrorum externorum, ſeu organorum conjunctæ ſunt (§. 148.); jam autem quando organum ſenſorium impulſu alterius corporis mutatur, hic impulſus per nervos uſque ad cerebrum propagatur (per princ. Phyſ.); itaque & ibidem mutatio enaſcitur, quam quidem, ſi a diverſis cauſſis, aut iiſdem diverſo modo agentibus proficiſcatur, hoc ipſo diverſam fore nemo dubitaverit: unde autem iſtud porro conſectarium fit; ſiquidem a diverſa affectione, & conſtitutione organorum diverſitas pendet repræſentationum, etiam hanc pendere oportet a diverſa mutatione, & conſtitutione cerebri.

SCH. Agnovit jam pridem Ariſtoteles, ſine certis impreſſionibus, in cerebro factis, non haberi ſenſationes, ſeu rerum naturalium ideas, & repræſentationes: nec aliud ſubinde viſum eſt aliis Philoſophis. Quoniam autem haud pauci porro eo adducti ſunt, ut per has mutationes, & impreſſiones in cerebro factas vim Animæ phyſice, & realiter determinari ad producendam ideam, ſeu repræſentationem putarent, conſequenter docuerunt, Animam in cerebro reſidere, probe intelligentes, cum ſanæ Philoſophiæ principiis cohærere non poſſe, ut ipſa tanquam ens ſimplex, & ſimul limitatum per totum corpus, & quaſvis partes quaſi diffuſa cenſeatur. Ad nos quod attinet, paullo inferius circa priorem partem ſenſum, ac ſententiam noſtram dabimus, ubi jam nunc notamus, admiſſa illa, integrum non fore, ut altera non admittatur.

151. Quemadmodum ſenſationes a vi repræſentandi Animæ propria proficiſci nunc oſtenſum eſt; ita nullo pene negotio conficitur, phantaſmata ab eadem quoque vi derivari: cum enim

phan-

phantaſmata non ſint niſi repræſentationes reproductæ rerum, quæ alias ſub ſenſum ceciderant, nihil ſane congruentius dici poteſt, quam quod per eandem vim, per quam primo res ceu præſentes ſunt repræſentatæ, denuo tanquam abſentes repræſententur, ita tamen, ut etiam hic vi iſti ſua relinquatur limitatio, unde fiat, ut non quævis repræſentationes præteritæ per illam reproducantur, ſed eæ ſolum, quæ cum aliqua præſente commune quid habent.

152. Quoniam per eandem vim phantaſmata, & ſenſationes habentur (§. præc.), non mirum videri poteſt, perinde, ut ſenſationes, etiam phantaſmata arcte cum varia conſtitutione, & mutatione cerebri eſſe connexa: & ſane ex hoc recte explicatur, quidquid in exercitio facultatis imaginandi varietatis ſolet deprehendi, ſcilicet cur quædam repræſentationes nunquam redeant, cur quædam frequentius, aliæ rarius &c.

153. Itaque etiam ſomnia non aliud, per quod explicentur, requirunt, quam eandem vim repræſentandi; ſomnia enim non ſunt, niſi phantaſmata (§. 34.).

154. Memoriæ exercitium in hoc verſatur, ut repræſentatio præſens recognoſcatur eadem eſſe, quæ alias habebatur (§. 41.): hoc ipſum autem eatenus obtinetur, quatenus per imaginationem repræſentationes eorum adjunctorum loci, temporis &c., quibus res, cujus actu repræſentatio habetur, alias obnoxia erat, reproducuntur (§. 45.): itaque cum hic indiſpenſabiliter imaginatio locum ſibi vendicet, hæc autem a vi repræſentandi derivetur (§. 151.), MEMORIAM QUOQUE AB EADEM VI DERIVARI liquido cognoſcimus.

155. Neque adeo etiam obſcurum, dubiumve eſſe poteſt, MEMORIAM, non ſecus, ac de imaginatione dictum (§. 152.), A CEREBRO PENDERE.

156. Adhuc de iis, quæ ad facultatem cognoſcitivam inferiorem referuntur, actum eſt: digrediendum jam ad ſuperiorem, ſcilicet Intellectum. Sunt ternæ præcipuæ intellectus operationes: *Formatio notionum univerſalium*, *Judicium*, & *Ratiocinium*; has operationes ſi oſtenderimus ex vi repræſentandi Animæ propria provenire, ſatis utique manifeſtum erit, ipſum quoque intellectum ab eadem vi ortum trahere.

157. Anima notiones univerſales conſequitur ope attentionis, reflexionis, & abſtractionis (§. 66., & 67.): atqui *attendere*, *reflectere*, & *abſtrahere* nihil aliud innuunt, quam conatum, & niſum ad rem unam clarius, diſtinctiuſve repræſentandam præ altera, in quo niſu, & conatu ipſa vis repræſentandi conſiſtit; EX VI igitur REPRÆSENTANDI ANIMÆ PROPRIA NOTIONUM UNIVERSALIUM FORMATIO HABETUR.

SCH. Reperias Philoſophos, qui cum dent ideas rerum materialium, quæ in ſenſus cadunt, per Animæ vim produci poſſe, notiones tamen univerſales, itemque entium ſimplicium, aut, ut illi loqui conſueverunt, ſpiritualium (neque enim inter ſimplex, & ſpirituale diſcrimen faciunt) produci nequaquam poſſe; congenitas proinde, aut infuſas eſſe oportere. Verum hi advertant demum, vel ideo, quod ſuppetat vis repræſentandi res materiales, etiam notiones univerſales, atque entium ſimplicium formari poſſe, ſi modo vis talis ſit, ut ab ea attentio, reflexio, & abſtractio non abhorreat, qualem quidem per experientiam vim Animæ humanæ eſſe novimus; neque

enim

enim ad hujuſmodi notiones præterea quidquam per dicta requiritur.

158. Judicia ſunt vel intuitiva, vel diſcurſiva. Ad judicia intuitiva formanda hæc requiruntur: præſens ſenſatio; attentio ad diſcernenda ea, quæ in objecto continentur; imaginatio, quæ congrua vocabula ſuggerat: atqui vero vim repræſentandi hæc non excedunt (§. 149., §. 152., & §. 157.); igitur & FORMATIO JUDICIORUM INTUITIVORUM EANDEM NON EXCEDIT.

159. Judicia diſcurſiva fiunt per ratiocinia: in ratiociniis minor paſſim eſt judicium intuitivum, quod adeo per vim repræſentandi haberi poteſt (§. præc.); tum vero imaginatio, & memoria aliud præteritum judicium ſiſtunt communem cum hoc judicio intuitivo terminum habens, quod æque per vim repræſentandi fieri poteſt (§. 152., & §. 154.). Ex his ſponte fluit concluſio, qua equidem nihil repræſentatur, quod in præmiſſis jam non fuiſſet repræſentatum: unde ſatis manifeſte apparet, etiam RATIOCINIA, AC JUDICIA DISCURSIVA EX VI REPRÆSENTANDI PROVENIRE.

160. Ex ratiociniis manifeſte ratio colligitur, (§. 77.); nec alia proinde origo fuerit rationis, quam ipſorum ratiociniorum; quoniam ergo origo ratiociniorum in vi repræſentandi eſt (§. præc.), patet, in eadem vi etiam rationis eſſe originem.

161. Acumen, & profunditas intellectui tribuuntur ratione primæ operationis, ſeu ob formationem notionum (§. 61., & 62.): enimvero formationem notionum a vi repræſentandi haberi ex ſupradictis conſtat (§. 157.): igitur etiam acumini, & profunditati vis repræſentandi locum facit.

162. Quemadmodum acumen, & profunditas intellectui tribuuntur ratione primæ operationis; ita ſoliditas tribuitur ratione tertiæ: eodem igitur, quo ante, modo innoteſcit, uti ratiocinia, ita etiam ſoliditatem ex vi repræſentandi promanare.

163. Ingenium in Anima locum habet propter acumen, ut colligitur ex definitione ingenii (§. 65.): quin itaque ingenium etiam ex vi repræſentandi oriatur, dubitare non licet.

164. Supereſt ars inveniendi: & hanc ergo per vim repræſentandi actuari, facile conficitur ex eo, quod ipſa a duobus cumprimis pendeat, ſcilicet a dexteritate ratiocinandi, & ingenio (§. 82., & §. 83.), quorum utrumque a vi repræſentandi pendet (§. 159, & §. præc.).

CAPUT III.

De Facultate appetitiva.

165. HAud pauci forte fuerint, qui, etſi daturi ſint facile omnia, quæ ad facultatem cognoſcitivam Animæ pertinent, per vim repræſentandi congrue explicari, non item dabunt, per eandem vim ea, quæ facultatis appetitivæ ſunt, debite explicari poſſe; illaturi continuo, vel idcirco eſſentialem Animæ conceptum ſola vi repræſentandi adeo non abſolvi, ut potius ejuſcemodi vi indubie aliud quid ſuperaddendum videatur. Sed enim videamus modo, quo res noſtra loco ſit.

166. In Anima tamquam ente limitato perpetuam de-

deprehendimus perceptionum variationem, quoniam autem ſingulæ a vi Animæ propria ortum trahunt, conſequens fit, ut dum una aliqua actu habetur, conatus, & niſus, adſit, ea mutata, aliam habendi.

167. Quandoquidem per hunc conatum, & niſum inter innumerabiles alias poſſibiles una aliqua determinate perceptio actum conſequitur, ſufficiens ratio utique hujus adeſſe debet (§. 20. Ontol.): & vero hanc imaginatio ſuppeditare ſolet: hæc quippe, dum captam ex objecto voluptatem Animæ exhibet, conatum illum, & niſum determinat ad ſenſationem objecto huic reſpondentem. Jamvero fallor vehementiſſime, aut iſte conatus, hæc tendentia ad ſenſationem præviſam, illud eſt, quod paſſim appetitus ſenſitivus appellatur: unde manifeſte apparet, APPETITUM SENSITIVUM EX VI REPRÆSENTANDI PROPULLULARE.

168. Non majori negotio, quam modo oſtenſum eſt, ex vi repræſentandi promanare appetitum ſenſitivum, oſtenditur etiam, ex eadem vi promanare averſationem ſenſitivam: in hac nempe res omnis contraria ſeſe ratione habet. Quando imaginatio captum ex objecto tædium Animæ exhibet, conatus ille, & niſus in oppoſitam partem determinatur, ſeu impedire conamur, ut ne ſenſationes objecto reſpondentes producantur, in quo conatu impediendi ſenſationem præviſam averſatio ſenſitiva conſiſtit: unde denuo pateſcit, AVERSATIONEM SENSITIVAM EX VI REPRÆSENTANDI ENASCI. (120)

(120) Hæc de appetitu ſenſitivo, & ſenſitiva aver- ſa-

169. Senſationes arctiſſime cum certo ſitu corporis comparate ad alia corpora ſunt connexæ: hinc ubi Anima ad ſenſationem aliquam, ſive producendam, ſive impediendam conatum, niſumque adhibuerit, hic conatus, & niſus ad illum quoque ſitum corporis obtinendum, ſine quo ſenſatio produci, vel impediri nequit, tendere debebit: atque ex hoc intelligitur, quomodo motus tam proprii corporis, & membrorum illius, quam aliorum corporum, quæ in hominis appetentis, vel averſantis poteſtate ſita ſunt, determinetur.

170. Affectus eſt appetitus ſenſitivus, vel averſatio ſenſitiva vehementior, & extantior (§. 100.): quod igitur de appetitu, & averſatione nunc oſtenſum, ſtabilitumque eſt, id ipſum ad quoſvis affectus pertinere nemo non ultro agnoverit. (121)

171.

ſatione Auctoris ſententia ea eſt, quam tradit Vvolffius a §. 480. uſque ad §. 496. Pſych. Rat. Communiter appetitus ſenſitivus definiri ſolet *Propenſio Animæ ad objectum pro ratione boni in eo confuſe percepti*. Ex hac porro appetitus definitione definitio facile colligitur ſenſitivæ averſationis.

(121) 1. Diſputari ſolet hoc loco ſintne affectus boni, vel mali. Celebris eſt Stoicorum ſententia, quibus mala videtur omnis animi commotio, quam & perturbationem vocant, mentis ægrotationem, morbum, inſaniam, hoc eſt inſanitatem, ut Tullius explicat Tuſcul. qq. lib. 3., propterea quod in perturbato animo, ſicut in corpore ſanitas eſſe non poſſit; cum ſanitas animorum poſita ſit in tranquillitate quadam, atque conſtantia, quo efficiunt, eum, qui perturbatis his motibus cietur, in morbo eſſe, & inſanire: & cum ſapientia ſanitas ſit animi, iiſdem vacare ſapientem.

2. Contra non modo naturales eſſe affectiones dicunt

Pe-

171. Atque ita compertum jam tenemus, qua ratione facultatis appetitivæ pars inferior per vim repræſentandi explicetur, & actuetur. Id i-
X 4 pſum

Peripatetici, ſed utiliter etiam a natura datas: fatentur tamen plurimas reſecandas eſſe; evelli penitus dicunt nec poſſe, nec oportere.

3. „ Illud compertum eſt, inquit Baccius tom. III. pag. 13. „ nihil affici omnino, non gaudio, non triſtitia, non a-
„ more, non odio, non deſiderio, eſſe imanitatis in ani-
„ mo, ſtuporis in corpore; ac, ſublatis affectionibus, o-
„ mnem etiam everti funditus humanitatem; vix enim,
„ iis evulſis, poteſt homo quicquam facere: quamobrem
„ datæ ſunt utiliter a natura tamquam ſtimuli ad offi-
„ cia vitæ, ad ſtrenue id ſequendum, quod honeſtum
„ eſt, fugiendumque, quod turpe, ideoque ad virtutem
„ plurimum valent; metus ad cautionem, & diligen-
„ tiam, ira ad juſtam imperii ſeveritatem, ſpes ad ma-
„ gna quædam ſuſcipienda, & ſuperanda, quæ obſtant,
„ triſtitia ad corrigenda malefacta, odium ad declinan-
„ da ea, quæ nocere poſſint; cupiditas rerum optima-
„ rum inflammat animum ad potiundum, ac generatim
„ hanc omnes magnam habent opportunitatem, quod
„ non ſinant eas cogitationes elabi ex animo, & eva-
„ neſcere, quas bonum ſit, & utile conſervare. Quo-
„ circa videmus, eos, qui remiſſius affectionibus permo-
„ ventur, parum idoneos eſſe præclaris rebus gerendis,
„ torpere, hebeſcere, ac languere in otio, & ſomno
„ quodam quaſi conſopiri, a quo iners, atque ignava
„ natura ægre excitari poteſt. Contra qui affectiones
„ habet ratione moderatas, iidem erecti ſunt, prompti,
„ alacres, expediti ad adminiſtrationes, & munera,
„ nec difficultatibus, aut incommodis ab honeſto ope-
„ re deterrentur, quoniam his permotionibus utuntur
„ tamquam adminiſtris ad officia virtutum, atque ut
„ ſecundis ventis ad navigandum, aut equis in tra-
„ hendo curru, quibus corporis, animique corrigant tar-
„ ditatem. Virtus itaque non abjicit, evellitque fundi-
„ tus affectiones, ſed in iis moderandis, continendiſque
„ verſatur „.

4. „ Hæc cum ita ſint, efficitur, perturbationes, de
qui-

Digitized by Google

pſum porro circa ejus partem ſuperiorem inveſtigemus.

172. Appetitus rationalis ex diſtincta repræſen-

„ quibus quæritur, naturales eſſe ex ſeſe, iccircoque non „ malas, ſi obediant rationi, nec prava opinione ſuſceptas: ſunt enim quædam aut bona, aut mala, non „ fucata, ſed vera: licet autem hæc bona appetere, „ ſperare, amare, iiſdemque gaudere, & lætari; mala „ autem fugere, declinare, odiſſe, eorumque aſpectu, ac „ præſentia triſtari, ut ratio præſcripſerit, atque id „ non opinionis eſt, ſed naturæ„.

5. „ Paſſiones animi dupliciter poſſunt conſiderari „ inquit S. Thomas 1. 2. q. 24. ar. 1. in c.: „ uno modo „ ſecundum ſe, alio modo, ſecundum quod ſubjacent „ imperio rationis, & voluntatis. Si ſecundum ſe conſiderentur, prout ſcilicet ſunt motus quidam irrationalis appetitus, ſic non eſt in eis bonum, vel malum morale, quod dependet a ratione; ſi autem conſiderentur, ſecundum quod ſubjacent imperio rationis, & voluntatis, ſic eſt in eis bonum, vel malum „ morale. Propinquior enim eſt appetitus ſenſitivus „ ipſi rationi, & voluntati, quam membra exteriora, „ quorum tamen motus, & actus ſunt boni, vel mali „ moraliter, ſecundum quod ſunt voluntarii: unde „ multo magis & ipſæ paſſiones, ſecundum quod ſunt voluntariæ, poſſunt dici bonæ, vel malæ moraliter. Dicuntur autem voluntariæ, vel ex eo, quod a voluntate imperantur, vel ex eo, quod a voluntate non prohibentur.

6. Quæ vero a Stoicis afferuntur, contra affectiones adverſas, rationique repugnantes tantum valent, quas morbos eſſe, & inſanitatem inter omnes convenit. Non enim quælibet affectio conſtantiæ, & tranquillitati contraria eſt, ſed tantum ea, quæ modum non tenet; cum civilis tranquillitas non otio, ſed actuoſa vita, rectaque ratione contineatur. „ Nolo, inquit laud. Baccius, hominem perturbationum æſtu concitatum, ſed ne ſtupidum „ quidem, ac ſtipiti, ſaxoque ſimillimum: quemadmodum „ enim ille ineptus eſt fungendo munere ſuo, quia non „ ratione ducitur, ſed ſtupiditate; ita hic, propterea quod „ inſtrumentis caret ad res præclare gerendas. Iraſcitur „ ergo interdum ſapiens: verum non tumet, non concu-

ſentatione boni, averſatio rationalis ex diſtincta repræſentatione mali ortum trahit (§. 106.); atque in hoc ipſo appetitus, & averſatio rationalis

„ cupiſcit injuſtam ultionem, non lætatur alieno ma-
„ lo, non invidet; nam invidentia vitium eſt, non
„ affectio; miſeretur alienam calamitatem; non ta-
„ men iccirco tabeſcit, ac ægritudine laceratur, ac
„ plane conficitur „. Hinc ſapienter S. Thomas 1. 2.
q. 24. a. 2. in c. inquit: „ Paſſiones non dicuntur mor-
„ bi, vel perturbationes Animæ, niſi cum carent mo-
„ deratione rationis „: & ad 3. ar. eod.: „ Paſſiones
„ Animæ, in quantum ſunt præter ordinem rationis,
„ inclinant ad peccatum; in quantum autem ſunt or-
„ dinatæ a ratione, pertinent ad virtutem „.

7. Non ſolum affectiones regere honeſtum eſt; verum etiam jucundum, glorioſum, laudabile ſibi imperare; atque in hoc mentis eximia ſapientia cernitur. Utile eſt etiam affectiones regere ad valetudinem, vitamque diuturnam: ſanitas enim, animique quies in corpus permanat, humorumque tuetur temperationem, quam affectionum acriori vi perturbari compertum eſt. Celebris eſt illa Scholæ ſalernitanæ præceptio cap. 1.

„ Si vis incolumem, ſi vis te reddere ſanum,
„ Curas tolle graves, iraſci crede profanum.

8. Ea pleriſque familiaris eſt, atque uſitata excuſatio, ſe animi ægrotationibus mederi non poſſe. Quam futilis ſit hæc excuſatio ex eo patet, quod ratio iccirco nobis data eſt tamquam regina, ac domina, quæ vinci, & peccare non poteſt invita: quiſquis igitur peccat perturbatione aliqua concitatus, abſtinere poteſt ab eo, in quo delinquit, iccircoque moderari perturbationem, ſi velit: velle autem debet non remiſſe, ſed vehementer, non languidiore quodam ſtudio, ſed inflammato, & operoſo. Vulgatum eſt illud: *Nihil difficile volenti*. Videmus quoſdam, qui cum peſſimi eſſent, & magno perturbationum æſtu, ut ſuperbiæ, iracundiæ, libidinis, jactarentur, optimos evaſiſſe, modeſtos, pacatiſſimos, continentes: ſed nos ſæpe malumus voluntariam improbitatem infirmitatis ſpecie occultare, quam aliquid laboris in repellendis cupiditatibus tolerare: & cum corporis curandi cauſſa nihil ſit, quod prætermittatur, indu-

nalis differunt ab appetitu, & averſatione ſenſitiva; cum appetitus ſenſitivus ex repræſentatione confuſa boni, averſatio ſenſitiva ex repræſentatione confuſa mali enaſcatur: enimvero quemadmodum repræſentatio confuſa boni, vel mali ab ima-

induſtriæ, grave nobis, ac moleſtum videtur in animi curatione quodammodo laborare; quod reprehendit Ovidius de R. A. lib. I.

„ Dura aliquis præcepta vocet mea: dura fatemur
„ Eſſe, ſed ut valeas multa dolenda feres.
„ Sæpe bibi ſuccos, quamvis invitus, amaros
„ Æger, & oranti menſa negata mihi eſt.
„ Ut corpus redimas ferrum patieris, & ignes,
„ Arida nec ſitiens ora lavabis aqua.
„ Ut valeas animo quicquam tolerare negabis?
„ At pretium pars hæc corpore majus habet.

9. „ Tandem etſi diligentiſſime curandum eſt, proſequitur laud. Baccius pag. 28. „ ne deſit unquam noſtra opera, improbus labor, ac ſtudium in gubernandis, moderandisque perturbationibus; tamen perſuaſum habeamus neceſſe eſt, nos nihil poſſe omnino ſine cæleſti præſidio, & naturæ, quæ ſaucia, ac debilitata eſt contagione peccati, irritos conatus fore, niſi adjuventur a DEO, a quo iccirco auxilium ſemper efflagitandum eſt contra vim inſanientium cupiditatum. Hoc cum ignorarent Stoici, aliique olim Philoſophi, optime quidem de cohibendis affectionibus diſputarunt; ſed id conſecuti ſunt, ut homines ſuperbos efficerent, non continentes, ac temperatos: quoniam vim omnem commotionum comprimendarum putabant eſſe in natura, qua una duce, liceret honeſte vivere; cum tamen & ipſi naturæ, quæ ex ſe ſe imbecilla eſt, ſit a DEO, & a chriſtiana Philoſophia adhibenda curatio: ſic enim & error a mente depelli poteſt, & contineri voluntatis proclivitas ad peccandum „.

10. Virium Animæ inordinatio, de qua n. antec., & præcipue quod convertuntur ad bonum commutabile, communi nomine dicitur *Concupiſcentia*. Ita S. Thomas 1. 2. q. 82. ar. 3. in c.

maginatione proficiſcitur; ita repræſentatio boni, vel mali diſtincta ab intellectu provenit: atqui perinde ut imaginatio, etiam intellectus a vi repræſentandi derivatur (§. 151., & 156., ac ſeq.); conſequens ſit, non minus appetitum, & averſationem rationalem a vi repræſentandi promanare, quam quidem appetitus, & averſatio ſenſitiva ab iſta promanent.

173. Libere quis agere cenſetur, quatenus ex pluribus æque poſſibilibus eligit, quod potiſſimum ipſi placet (§. 122.); unde in exercitio libertatis indiſpenſabiliter intelligi debet, num, & quantum, quod eligitur, ſtatum eligentis perficiat: iſtud autem cum ſine perſpectione nexus rerum, conſequenter ſine ratione fieri non poſſit, (§. 77.), a ratione libertatem pendere certum, manifeſtumque eſt: enimvero ratio provenit a vi repræſentandi, per quam repræſentationes diſtinctæ haberi poſſunt, qualis equidem, experientia teſte, eſt in Anima humana: igitur & libertas ab ejuſmodi vi provenit. (122)

174.

(122) 1. Quæ in Nota (111) ad §. 123. præmiſimus poſſunt ex hoc Auctoris loco confirmari. Nam ideo a ratione pendet libertatis exercitium, quod ſine rationis uſu nequeat agens perſpicere, num, & quantum, quod eligitur, ſtatum eligentis perficiat; hoc eſt ſit illi heic, & nunc bonum, atque conveniens: ergo ſine rationis uſu nec poteſt agens eligere e pluribus poſſibilibus, quod potiſſimum ipſi placet, cum placere potiſſimum non poſſit, niſi qnod tamquam magis bonum, ac conveniens heic, & nunc judicatur (ex Nota cit. n. 7.).

2. Neceſſe igitur eſt, tale judicium electioni libere præire, quo unum e poſſibilibus, inter quæ electio facienda eſt, tamquam melius, ſive utilius heic, & nunc proponatur. Namque „ eſt electio, ut notat S. Thomas

q. 22.

174. Eo demum rem deduximus, ut illorum, quæ de Anima in Pſychologia Empirica a poſteriori agnovimus, nihil ſuperſit, de quo oſtenſum non

q. 22. de Verit. ar. 15. „ actus voluntatis non abſolute, „ ſed in ordine ad rationem . . . in quantum ſcilicet „ ipſa ratio proponit voluntati aliquid, non ut utile „ ſimpliciter, ſed ut utilius ad finem „. Quamvis ergo agens liberum ſit exemptum non ſolum ab externa coactione, ſed etiam a quacumque antecedente neceſſitate, qua determinetur ad unum, ſitque indifferens ad eligendum, quod ei placuerit; non eligit tamen reipſa unum præ altero, niſi ſuomet judicio, quo unum heic, & nunc, ceu melius, vel utilius alteri præferat, ſe ad illud determinet, ſuamque indifferentem poteſtatem applicet, ſeu exerceat (cit. Nota nn. 6. 8. 16. 21.). Evidens porro eſt proximam, & expeditam poteſtatem ad oppoſitum ab agente libero non amitti ex hoc præciſe, quod tali modo ſe determinet, ſuamque indifferentem applicet poteſtatem, eamque exerceat : at evidens pariter eſt, numquam agens eſſe applicaturum ſuam indifferentem poteſtatem ad non eligendum, quamdiu eligit; vel ad eligendum B, quamdiu eamdem poteſtatem exercet eligendo A. Quare evidens etiam eſt, agens liberum, ſalva ſua libertate, & poteſtate, certo, & infallibiliter id eligere, quod judicat ſibi magis conveniens, & heic, & nunc eligendum.

3. Obſervat Boſcovichius in ſæpe jam cit. Supplem. n. 23., ex applicatione principii rationis ſufficientis ad cauſſas liberas conſequi, quod, *quotieſcunque libertas* (rectius diceret agens liberum) *ſe determinat ad aliquid, debeat ſemper haberi ratio, propter quam ſe potius ad id eligendum determinaverit, quam ad non eligendum; nec fieri omnino poſſe* (potentia nimirum conſequente, ſeu cum actu conjuncta), *ut iisdem rationibus liberæ menti objectis* (eodemque modo ita, ut agens ob illas reipſa judicet, hoc ſibi heic, & nunc eſſe magis conveniens) *aliud eligatur, quam id, quod eligitur; nimirum quod ratio, quæ apparet prævalens, ſuadet*. Id, inquam, obſervat Boſcovichius, & recte quidem, ac vere : ſed male ex his ſequenti n. 24. infert: *Hoc quidem pacto haberi liberta-*

non ſit, ejus rationem in vi repræſentandi contineri, id quod maxime requiri videbatur ad hoc, ut in hac vi repræſentandi re vera eſſentia, ac natu-

---

tatem a coactione, non autem libertatem a neceſſitate, ſeu indifferentiæ: niſi forte indifferentiæ nomine intelligat ſuſpenſionem: vere enim, ſuſpenſum non eſt agens liberum, cum actu ſuam exercet poteſtatem: at ſi per libertatem indifferentiæ exercitii libertatem intelligat, vel indifferentem poteſtatem, hæc certe eo pacto non tollitur, ſed exercetur, ut jam (n. 2.) oſtenſum eſt.

4. Neque oppoſitum probat ibidem ſubdens Boſcovichius: „ Nam voluntati liberum non eſt idipſum, ut „ hæ potius, quam illæ rationes ipſi offerantur, nec „ oblatis iis rationibus fieri poteſt, ut aliud eligat, „ quam id, pro quo ſtat ratio, quæ apparet prævalens. „ Id autem in creatis voluntatibus abſurdum omnino „ eſt: quo enim pacto aut laudandus, aut culpandus „ quis erit, quod id elegerit, quod, poſitis rationibus ſibi oblatis, poſita ſui animi conſtitutione, a „ ſuo arbitrio non pendentibus, non eligere omnino non „ potuit „? Huic argumento reſponſum jam fuit (cit. Nota (III.) nn. 16. 22., & ſeq.: quamquam enim voluntati, ſeu potius agenti libero creato, non ſemper liberum ſit, ut hæ potius, quam illæ rationes offerantur; liberum tamen ſemper illi eſt oblatas rationes expendere, ac perſpicere, quid ſibi reipſa magis conveniens ſit. Judicium etiam, quo agens liberum ſe determinat, eſt ſemper in illius poteſtate non ſolum objective ſpectatum, quod ad libertatem ſufficit; ſed etiam ſubjective, juxta conditionem deficientis cognitionis, & libertatis humanæ. Jure ergo laudandus, qui rite expendens, & recte judicans, bene eligit; jure culpandus, qui parum expendens, nec recte judicans, male eligit.

5. Si propoſitiones, e quibus conflatur Boſcovichii objectio, ita efferantur, ut ſimul exponantur, tota evaneſcit difficultas. Dicamus ergo. In agentis liberi poteſtate ſæpe non eſt, ut hæ potius, quam illæ rationes ipſi offerantur; eſt tamen in illius poteſtate oblatas rationes expendere magis, vel minus. Oblatis iis rationibus, hoc eſt poſito, quod ex oblatis rationibus agens ju-

natura Animæ conſiſtere agnoſcatur. Unum, quod porro moneamus, reſtat: quemadmodum in explicandis particularibus mutationibus corporum non ita ad ſolam eſſentiam, & naturam illorum reſpicitur, ut non etiam ratio habeatur regularum motus, juxta quas nempe natura corporum modificatur, & ſic modificata agit; ita ubi in particulari explicanda fuerit mutatio quædam Animæ, recte quidem recurretur ad vim repræſentandi; ſed ſimul reſpicere oportebit ad regulas tum illas, quibus dirigitur facultas cognoſcitiva, quaſque adeo Logica tradit, tum eas, ad quas facultas appetitiva ſeſe componere conſuevit, quaſque Philoſophia Moralis, ſeu Ethica exponit.

SCH. Regulæ hæ logico-morales, ad quas vis repræſentandi in Anima ſe ſe componit, penitus diverſæ ſunt a regulis motus, juxta quas corpora agunt. Ex regulis motus ne unum quidem vel leviſſimum ratiocinium unquam quis intelligibiliter explicaverit; ex hoc ipſo autem novum quoddam argumentum profluit

---

judicet, hoc ſibi heic, & nunc eſſe magis conveniens, fieri non poteſt, ut aliud eligat, quam id, pro quo ſtat ratio, quæ apparet prævalens, hoc eſt certiſſime illud eliget; cum proprium ſit agentis liberi id eligere, ad quod proprio ſe judicio determinaverit: qui operandi modus, etſi ab arbitrio non pendeat ipſius agentis, eſt tamen modus, quo proprium exercet arbitrium: ergo (N. B. legitimam conſecutionem conſecutioni Boſcovichii e diametro oppoſitam) jure laudandus, aut culpandus quis erit, prout bene, vel male elegerit, cum ſuo arbitrio elegerit; exercens nimirum ſuam liberam poteſtatem, modo operandi proprio agentis liberi. Nulla ergo eſt ratio excipiendi libertatem creatam a principio rationis ſufficientis. Utrum libertas ſaltem divina excipienda ſit, videbimus cum A. in Theol. Nat.

fluit pro certo habendi, Animam eſſe ſubſtantiam a corpore penitus diverſam, hoc eſt diverſiſſimæ eſſentiæ, ac naturæ: etenim ſi quid commune haberent, quomodo fieri poſſet, ut eorum actiones tam diſcrepantibus legibus conformentur? (123)

CA-

---

(123) 1. Quamquam ex iis, quæ Nota præced., & Nota (111) ad §. 123. ſunt dicta, libertatis humanæ geneſis, & exercitium poſſint abunde innoteſcere; quædam tamen juverit contra Fataliſtas adjicere. Homines itaque rationis uſu pollentes libertate arbitrii, ſeu contradictionis liberi ſunt. Intimo ſenſu conſtat, nos etiam in præſenti ſtatu proprio conſilio, & electione noſmet determinare ad agendum: „ Sentit animus ſe moveri, inquit Tullius lib. I. Tuſcul. qq. cap. 23. „ quod cum „ ſentit, illud una ſentit, ſe vi ſua, non aliena moveri „. Conſulatur Nota (68.) ad §. 7. Coſm.

„ Ecquis enim, quoties ſecum deliberat anceps
„ Quid faciat, vel conſilium ſolertis amici
„ Flagitat, ac tandem quid ſit facturus apud ſe
„ Decernit; quis dum rogat, aut hortatur, & urget;
„ Dum laudat bene geſta virum, male geſta ſeverus
„ Arguit, ac meliora jubet; dum præmia ponit,
„ Et pœnas meritis; ſi quid peccaverit ipſe
„ Excuſare palam, ne qua ſons audiat, & clam
„ Emendare parat, quia facti cura remordet,
„ Neglective pudor; dum cuncta negotia curat,
„ Fungitur officiis, morum ſibi juſta, ſuiſque
„ Dogmata conſtituit; quis demum talia præſtans
„ Non libertatem ſe perſentire, fruique
„ Jure ſui arbitrii, non externa domitum vi
„ Teſtatur, vereque probat?

inquit Polignaccus Antiluc. lib. V. v. 1170., & ſeq.

2. „ Si libertas voluntatis tolleretur, inquit S. Thomas l. III. con. gen. cap. 73. „ multa bona ſubtraherentur. Tolleretur enim laus virtutis humanæ, quæ nulla eſt, ſi homo „ libere non agat. Tolleretur etiam juſtitia præmiantis, „ & punientis, ſi non libere homo ageret bonum, vel malum; ceſſaret etiam circumſpectio in conſiliis, quæ „ de his, quæ ex neceſſitate aguntur fruſtra tractarentur „. „ Etiamne libri obſcuri mihi ſcrutandi erant,

ait

Digitized by Google

CAPUT IV.

De Modo explicandi Commercium inter Animam, & Corpus.

175. PEr Commercium inter Animam, & corpus intelligitur ille mutuus conſenſus, quo certis mutationibus corporis certæ repræſentationes, ſeu ideæ in mente reſpondent, & ad cer-

ait S. Auguſtinus cont. Manic. lib. de duab. Animab. n. 15. „ unde diſcerem, neminem vituperatione, ſupplicioque dignum, qui aut id velit, quod juſtitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non poteſt? Nonne iſta cantant & in montibus paſtores, & in theatris Poetæ, & indocti in circulis, & docti in Bibliothecis, & magiſtri in ſcholis, & in orbe terrarum genus humanum „ ?

3. „ - - - - - - Quippe omnia fruſtra
„ Hæc, atque inſulſe fierent, ſi compede dura
„ Vinctus homo, ac præceps ageretur: ut acta moveri
„ Materies, qua parte impulſa eſt, cogitur omnis.
„ Sic neque præclaris formandi legibus eſſent
„ Conventus populorum; aliqua nec civibus arte
„ Inſpirandus amor patriæ, flectendaque corda
„ In commune bonum. Magni gens fluminis inſtar
„ Quæque foret, quod non monitis, precibuſvè, minisve
„ Vincitur; aſt humiles inſano vortice ripas
„ Exſuperat, latiſque audet ſe effundere campis,
„ Proximaque injectis vaſtare paludibus arva,
„ Nequicquam aggeribus tentant frænare rebellem,
„ Indocileſque jubent alveo ſe condere fluctus.
„ Nec diſciplinis etiam exercenda juventus,
„ Præceptiſque bonis; at vitis more colenda,
„ Arboris aut teneræ, paries quam pandit apricus:
„ Nam lecto plantata ſolo, tantumque reſecta
„ Luxurie foliorum, ipſa vi denique Solis,
„ Ac

certa decreta Animæ certi motus in corpore ſequuntur (§. 130.). Jam autem de modo hunc conſenſum , ſive commercium explicandi acturi,

ad-

„ Ac terræ creſcit, fauſtique a munere cæli,
„ Neſcia progenerat fructus, ramoſque valentes.
„ Ecquid enim ratio ſine libertate juvaret?
„ Cernere quid prodeſt quæ conveniuntve, nocentve,
„ Si non illa ſequi, non hæc fugitare viciſſim
„ Noſtri juris erit?

Idem Polignaccus laud. loco.

4. De Lokio modo perpauca dicenda, qui lib. II. de Intel. hum. cap. 21. §. 8. in externis motibus libertatem ponere videtur, quaſi nos ſimus liberi, ſi manus, ſi pedes, ſi linguam, ſi alia corporis membra movere pro libito poſſimus: ſin minus enim, everti libertatem putat. Icciroo libertas, ſi hunc audias, & mentis cognitionem conſequitur, & voluntatis decretum: quod quidem ſi ita eſt, efficitur, interiores actiones neque vitio, neque laudi eſſe tribuendas, atque turpitudine vacare, ac honeſtate. Quæ ſane ſententia maxime abſurda eſt, & cum Religioni, tum Philoſophiæ contraria: neque enim laus, aut vituperatio, præmium, aut pœna in corporis facultates cadit, quæ tamquam inſtrumenta actioni perficiendæ adhibentur a voluntate; ſed in ipſammet voluntatem, quæ unum eſt, idemque cum intelligentia, & ratione, cujus externæ facultates non ſunt participes. Itaque aut in turpi errore Lokii ſententia eſt involuta, aut in impenetrabili verborum obſcuritate. Conſulatur Baccius tom. I. pag. 118.

5. Solvamus objectiones. Ob. 1. Argumentum ſecundo loco propoſitum nihil probat: bruta enim, etſi libertate non donentur, pœna plectuntur tamen; uti in equis apparet, in canibus, aliiſque brutis. Narrat immo Plinius, vidiſſe Polibium leones ab hominibus cruci affixos, ut ceteri metu pœnæ abſterrerentur: ſcribit quoque P. Bruno, Lugdunenſes dediſſe graves ſententias contra beſtias lugdunenſibus agris inſenſas; atque Advocatos delegiſſe, quorum alii pro populo, pro beſtiis alii cauſſam dicerent.

6. Reſp. Nemo poterit hiſce noſtris temporibus facile in-

advertamus oportet, nihil jam cum iis nobis eſſe poſſe, qui Animæ vim repræſentandi penitus abjudicant: horum enim ſententia eo recidit, ut vel

---

inveniri, qui belluas præmio dignas eſſe, vel pœna proprie dicta ſerio credat: morales enim leges, quibus brutorum regantur operationes, ſunt nullæ. Unde autem puniantur equi, canes &c. dominis inobedientes,

„ Non ita difficile eſt rationem reddere verbis;

brutis quippe tribuuntur ſenſus, imaginatio, appetitus ſenſitivus, ut infra patebit: ſenſifero itaque motu dolorifico fit, ut objectum ſenſibile, ut malum, nocivum, fugiendum attingat bellua, quod antea ut bonum attingebat, & inde objectum averſetur, quod antea proſequebatur. Inflictæ pœnæ finis hic eſt. Vel ope impreſſionis horrificæ in corpore belluino factæ objectum præſens cum ſenſatione doloris conjungitur; & hinc brutum non amplius appetit tale objectum, ſed ab ipſo averſatur. Portenta autem, quorum Plinius, & præcipue Bruno meminit, nil aliud ſunt, quam humanæ imbecillitatis teſtimonia certiſſima, quæ Philoſophum virum movere ne minimum quidem poſſunt.

7. Ob. 2. Petrus Bælius in Reſp. ad quæſt. Provincialis contra argumentum primo loco a nobis propoſitum hanc proponit difficultatem. Quamvis nobis intimo ſenſu conſtet nos exiſtere, non tamen intimo ſenſu conſtat, nos dependenter ab alio exiſtere: ita quamvis intimo ſenſu conſtet nos velle, non inde poteſt inferri, independenter ab alio nos velle, qui indeclinabiliter ad volendum determinet.

8. Reſp. Non omnia poſſunt intimo ſenſu cognoſci: intimo enim ſenſu ea tantum cognoſcuntur, quæ animum immediate afficiunt; cetera diſcurſu innoteſcunt: quum igitur intimo ſenſu conſtet, nos liberos eſſe, non vero ab alio dependentes, primum iccirco aſſerere poſſumus intimo ſenſu edocti, alterum vero aliis eſt argumentis detegendum. Dici quoque poſſet, ab alio nos eſſe dependentes, quia nobis intimo ſenſu non conſtat, eſſe ab alio independentes: nam ens ab alio omnino independens eſt ens a ſe; ens a ſe eſt ens perfectiſſimum: ens perfectiſſimum ſe cognoſcit a ſe exiſtere: ens ergo, quod

vel objectum, quod corpus afficit, Animam quoque afficere, illique ſui ſpeciem imprimere dicatur, vel DEUS cenſeatur toties in mente repræ-

quod intimo ſenſu non cognoſcit a ſe exiſtere, ab alio dependet.

9. Ob. 3. Thomas Hobbeſius apud D. Harriſium. Nequit voluntas ſe ipſam determinare, niſi ab alio ſit mota: dum ergo ſe determinat homo ad aliquid volendum, volitionis cauſſa non eſt homo, ſed ille, qui voluntatem ad volendum impellit.

10. Reſp. Ne proceſſus in infinitum admittatur, a DEO primum incipere voluntatis modum concedimus libentiſſime; aſt DEUS movendo voluntatem non impedit, quod homo ſe ipſum ad volendum determinet.

Rem nitide explicat S. Thomas 1. p. q. 83. a. 1. ad 3.: „ Liberum arbitrium, inquit, eſt cauſſa ſui motus, „ quia homo per liberum arbitrium ſe ipſum movet ad „ agendum. Non tamen hoc eſt de neceſſitate liberta„ tis, quod ſit prima cauſſa ſui id, quod liberum eſt, „ ſicut nec ad hoc, quod aliquid ſit cauſſa alterius, re„ quiritur, quod ſit prima cauſſa ejus. DEUS igitur „ eſt prima cauſſa movens & naturales cauſſas, & „ voluntarias. Et ſicut naturalibus cauſſis, movendo „ eas, non aufert, quin actus earum ſint naturales; „ ita movendo cauſſas voluntarias non aufert, quin a„ ctiones earum ſint voluntariæ; ſed potius hoc in eis „ facit: operatur enim in unoquoque ſecundum ejus „ proprietatem „. Idem S. Doctor 1. 2. q. 10. a. 4. ad 1. ait: „ Voluntas divina non ſolum ſe extendit, ut aliquid fiat per rem, quam movet; ſed ut etiam eo mo„ do fiat, quo congruit naturæ ipſius: & ideo magis „ repugnaret divinæ motioni, ſi voluntas ex neceſſita„ te moveretur, quod ſuæ naturæ non competit, quam „ ſi moveretur libere, prout competit ſuæ naturæ „. Et iterum 1. 2. q. 9. ar. 6.: „ DEUS movet voluntatem „ hominis, ſicut univerſalis motor ad univerſale obje„ ctum voluntatis, quod eſt bonum: ſed homo per ra„ tionem determinat ſe ad volendum hoc, vel illud, „ quod eſt vere bonum, vel apparens bonum „. Conſulatur Nota (111) ad §. 123. n. 6.

ſentationem producere, quoties in corpore mutatio oritur: utrumque vero ſaniori Philoſophiæ adverſari jam ſupra oſtenſum eſt (Sch. §. 141.). Mem-

11. Ob. 4. Collinus in Opere, cui titulus: *Inquiſitio libertatis* p. 343., hominem nulla libertate gaudere ex eo probari, quod homo, propoſitis duobus objectis, quorum unum ſit melius altero, non poſſit pejus eligere: neceſſario igitur melius eliget.

12. Reſp. In præcit. Nota (111) nn. 15. 16. jam diximus, neceſſitati cuidam eſſe hominem in liberis ſuis electionibus ſubjectum; at neceſſitas iſta non abſoluta eſt, & metaphyſica, ſed hypothetica, & moralis: eſt neceſſitas, quæ dicitur ſapientis; nec enim ſapiens, ſupienter operando majus bonum reſpuit, & minus bonum eligit, uti n. 4. cit. Notæ explicatum eſt: conſulatur & n. 28. ejuſdem Notæ.

13. Ob. 5. Helvetius cit. Operis cap. 4. Inextricabile problema eſt hominis libertas; ſunt enim cogitationes noſtræ, volitioneſque, effectus, qui ab impreſſionibus in corpore factis neceſſario producuntur.

14. Reſp. Volitiones liberæ non determinantur ab impreſſionibus ſenſiferis in corpore factis, ſed a judicio rationis perſpicientis, & expendentis, quid heic, & nunc ſit conveniens, vel diſconveniens: quod judicium tum ſubjective, cum objective (quod præſertim neceſſarium eſt, & ſufficiens ad libertatem) ſpectatum, in poteſtate hominis eſt; ut alias jam adnotavimus (Nota (122) ad §. 173.). Si homo a brutis ſola extrinſeca partium ſtructura differt, ut ſomniavit Helvetius (Nota (113) ad §. 134. n. 13.); pariterque ſi Anima noſtra materialis eſt, homo libertate non gaudet (Not. cit. n. 9., & integra Nota (111));

„ Quod ſi delira hæc, furioſaque cernimus eſſe; quis abſurdam eſſe Helvetii de humana libertate ſententiam dubitabit? Si quis vel nullam, vel abſurdam libertatis notionem ſibi efformaverit, neceſſario illi inextricabile problema erit hominis libertas: at ſi genuinam libertatis notionem quis habuerit, haud erit problematis ſolutio difficilis. Genuinam, immo & geneticam libertatis notionem dedimus in præcit. Nota (111), ex

Membrum I.

De Syſtemate Influxus Phyſici.

176. ENimvero admiſſa etiam Animæ vi repræſentandi, atque admiſſa quoque corpori vi movendi, variam nihilominus varii explicandi commercii ineundam putarunt ratio-

 nem;

---

ex qua ſartam, tectamque eſſe hominis libertatem evidenter oſtenſum eſt, licet ex ratione ſufficiente operetur. Nil profecto magis mirum eſt, quam cernere, homullos iſtos, quos improprie vocant *Spiriti forti*, de rebus claris, patentibusque dubitare, & res impoſſibiles tamquam certas defendere. Hominis libertas, ut ut omnibus intimo ſenſu nota, problema eſt inextricabile; & Animæ materialitas, quæ intelligi nullo modo poteſt, veritas eſt per Helvetium manifeſtiſſima.

„ Oh caput! oh melius ventoſa cucurbita!

15. Ob. 6. Spinoſa 1. p. Eth. in append., & ep. 62.: „ Homines ſe liberos eſſe opinantur, inquit in Ethica, „ quandoquidem ſuarum volitionum, ſuique appetitus „ ſunt conſcii, & de cauſſis, a quibus diſponuntur ad „ volendum, & appetendum, quia earum ſunt ignari, „ nec per ſomnium cogitant „. Rem clarius exponit epiſtola laud. inquiens: „ Concipe jam, ſi placet, lapi- „ dem, dum moveri pergit, cogitare, & ſcire ſe, quan- „ tum poteſt, conari, ut moveri pergat: hic ſane lapis, „ quandoquidem ſui tantummodo conatus eſt conſcius, „ licet minime indifferens, ſe liberrimum eſſe, & nul- „ la alia de cauſſa in motu perſeverare credet, quam „ quia vult. Atque hæc humana illa libertas eſt, quam „ omnes habere jactant, & quæ in hoc ſolo conſiſtit, „ quod homines ſui appetitus ſint conſcii, & cauſſarum, „ a quibus determinantur, ignari „.

16. Reſp. Non ideo eſt homo libero arbitrio præditus; quia habet intimum ſenſum; & ipſa enim bruta pro-

pria-

nem; nam cum apud quamlibet vim finitam adeſſe quid debeat, ex quo intelligi poſſit, cur in hunc potius, quam alium actum exeat, alii pri-

priarum operationum ſunt conſcia: ſed liber eſt homo libertate arbitrii, quia ad operandum proprio ſe judicio determinat; & ille parum admodum ſui conſcius eſt, qui ſpontaneos animi motus a deliberatis in ſe ipſo non diſtinguit. Vid. cit. Nota (111) n. 6. Spinoſa igitur

„ Quidquid ait vanum eſt, quidquid molitur ineptum.

17. Objici poſtremo poſſunt S. Auguſtini teſtimonia, ex quibus colligi videtur, hominis libertatem in ſola exemptione a coactione eſſe conſtitutam, quin præterea neceſſaria ſit exemptio a ſimplici neceſſitate, ſeu indifferentia poteſtatis: omnis enim volitio eſt eſſentialiter libera, inquiunt aliqui, cum volitio omnis ſit eſſentialiter in noſtra poteſtate: illud quippe in noſtra eſt poteſtate, quod fit, cum volumus, & non fit, cum nolumus: ſed omnis volitio talis eſt, ut ex terminis conſtat; ſi enim nolimus, non erit volitio, ſed nolitio: ergo &c. Major uſurpatur a S. Auguſtino, ut principium certiſſimum in lib. de Sp., & Lit.: „ Hoc, inquit, quiſque in ſua poteſtate habere dicitur, quod, ſi vult, „ facit, ſi non vult, non facit „. Hoc pervidit S. Thomas q. 22. de Verit. art. 1. ſcribens: „ Libertas „ ſecundum Auguſtinum opponitur neceſſitati coactionis, „ non autem naturalis inclinationis „. Hoc eſt ergo „ S. Auguſtini placitum, cui re ipſa non repugnat S. Thomas, qui docet q. 10. de Poten. a. 2., quod „ natu„ ralis neceſſitas, ſecundum quam voluntas aliquid ex „ neceſſitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati vo„ luntatis non repugnat „.

18. Reſp. Illud eſt in noſtra poteſtate, quod fit, cum volumus, ita ut ratio, cur fiat potius, quam non fiat, ſit, quia voluntas ſe ipſam determinat ad volendum, conc. ma.; ſi ratio, cur fiat potius, quam non fiat, non ſit, quia voluntas ſe ipſam determinat ex judicio rationis ad volendum, ſed quia ita ſumus a natura determinati, nego ma.: & diſtinguo minorem: omnis volitio talis eſt, ut ratio, cur fiat potius, quam non fiat, ſit,

primo ſunt, qui repræſentationem in mente eatenus fieri volunt, quatenus ex facta ab objecto in membris externis impreſſione, eaque ad cere-

ſit, quia voluntas ſe ipſam determinat ex judicio rationis ad volendum, nego min.; ſecus, conc. min., & nego conſeq.. Hoc igitur S. Auguſtini principium veriſſimum eſt, modo bene intelligatur: quod enim quiſque, ſi vult, facit, ſi non vult, non facit, hoc in ejus eſt poteſtate, & arbitrio, modo fiat, quia voluntas ſe ipſam ad volendum ex judicio rationis determinat: at ſi volendi neceſſitas ei a natura imponatur, ea jam volitio in ejus non eſt arbitrio, & poteſtate electiva, ſed in naturæ neceſſitate: nec de tali volitione dici proprie poteſt: *Fit, ſi velimus; non fit, ſi nolimus:* ſed potius dicendum: *Natura facit, ut velimus, & ut non velle non poſſimus.* Porro quod non velle non poſſumus, nemo dixerit in noſtra eſſe poteſtate, nec id unquam dixit S. Auguſtinus; immo vero lib. III. de Lib. Arbit. hiſce verbis concludit: „ Hoc breviſſimum tene: quæ„ cumque iſta cauſſa eſt voluntatis, ſi non ei poteſt „ reſiſti, ſine peccato ei ceditur. Si autem poteſt, non „ ei cedatur, & non peccabitur; quis enim peccat in „ eo, quod nullo modo caveri poteſt? peccatur au„ tem: caveri igitur poteſt „.

19. Fatendum tamen liberum paullo latius quandoque ſumi a S. Auguſtino, ita ut idem ſit, ac voluntarium, ſive ſpontaneum. Huic libero verum eſt ſolam opponi neceſſitatem coactionis, non vero naturalis inclinationis: immo hæc ipſa naturalis inclinatio, licet non libera libertate arbitrii, ſed neceſſaria, juxta S. Thomam nec opponitur libertati arbitrii, ſeu electionis, quia, ut idem obſervat, quamvis voluntas hominis neceſſario inclinetur in beatitudinem, ſive felicitatem, hinc tamen non ſequitur locum non habere libertatem arbitrii, & electionis circa media ad felicitatem conſequendam. Hoc ſenſu dixit & q. 22. de Verit. a. 1. & q. 10. de Poten. a. 2., quod etiam ſecundum Auguſtinum libertas non opponitur neceſſitati naturalis inclinationis, & quod naturalis neceſſitas non repugnat libertati voluntatis.

brum uſque propagata, Anima per veram actionem ſpirituum animalium determinatur ad hujus, a quo impreſſio profecta eſt, corporis repræſentationem, ſeu perceptionem producendam. Similiter etiam volunt, motus certos in corpore eatenus contingere, quatenus per veram actionem Animæ ſpiritus animales phyſice impelluntur, ut per nervos influant in muſculum, cujus ope motus deſideratus producatur: atque ſecundum hos, ut patet, corpus in Animam, & viciſſim Anima in corpus phyſice agit, ſeu influit, quo mutuo influxu quoniam nituntur ad explicandum commercium, idcirco hic eorum modus explicandi *Syſtema influxus phyſici* audit.

177. Rem ſuam ſyſtematis hujus Patroni ita fere ſtabiliunt. I. Poſito motu ſpirituum animalium in cerebro, ponitur ſtatim, & ſemper repræſentatio in mente, quo poſito ſtatim, & ſemper ponitur alterum, id quod alterius vera cauſſa dici debet: motus ergo ſpirituum animalium eſt vera cauſſa repræſentationis, ſeu vere agit, & influit in Animam. Similiter, quoniam poſito nutu, & decreto Animæ, ſtatim, & ſemper ſe-

---

20. Idipſum confirmat Angelicus & 1. p. q. 82. a. 1., ubi quærens utrum voluntas aliquid ex neceſſitate appetat, reſpondet affirmative: explicans vero illud Auguſtini: *Si aliquid eſt neceſſarium, non eſt voluntarium*: „ Dicendum, inquit, quod verbum Auguſtini eſt intelli- „ gendum de neceſſario neceſſitate coactionis. Neceſſi- „ tas autem naturalis, non aufert libertatem volunta- „ tis, ut ipſemet in eodem libro dicit „. Ceterum ſunt innumera loca & apud S. Auguſtinum, & apud S. Thomam, e quibus conſtat, utrumque S. Doctorem excludere ab actibus liberi arbitrii non ſolum coactionem, ſed naturalem etiam neceſſitatem. Qui plura hac de re deſiderat Theologos conſulat.

ſequitur motus certus in corpore, Anima in vero ſenſu agit, & influit in corpus. II. Ex conſtanti hominum conſcientia, ſenſu, & conſenſu Anima eſt cauſſa motuum in corpore, & viciſſim corpus eſt cauſſa repræſentationum: ergo &c. III. Niſi mutua Animæ in corpus, & corporis in Animam actio admittatur, actiones corporis Animæ non poſſunt imputari, neque ulla remanet virtutum, & vitiorum forma, ac norma.

178. Sed enim adverſus influxum phyſicum Animæ in corpus, vel corporis in Animam hæc opponuntur. I. „ Vox *influxus* eſt vox a rebus „ materialibus deſumpta, quæ ſi transfertur ad „ Animam, oppido omnis conceptus evaneſcit, „ nullamque cum ea ideam combinare poſſu„ mus. Advertat, qui ſibi notionem cum voce „ influxus conjungere videtur, animum ad ſe „ ipſum, & intelliget, nihil omnino eſſe, quod „ vocabulis iſtis *influxus*, *transfuſionis*, & *transfor*„ *mationis virium* reſpondeat, ubi ad Animam „ transferuntur „ (*). II. Anima actu corpus contingere non poteſt, cum contactus haberi nequeat, niſi in ente materiali; quod ſi autem inter Animam, & corpus contactus locum habere non poteſt, nec Anima corpus movere, aut viciſſim corpus Animæ mutationem inducere poteſt. III. Inter regulas motus hæc eſt: *In toto univerſo ſemper conſervari debet eadem virium vivarum quantitas*: huic regulæ adverſatur influxus phyſicus; „ etenim per influxum phyſicum vis quædam „ motrix oritur in aliqua materia, quæ ex nul„ la alia in eamdem derivatur: & ſi corpus in „ Animam phyſice influit, vis aliqua motrix in „ gra-

(*) *Vid. Vvolff. Pſychol. Rat.* §. 573.

„ gratiam Animæ perit, quæ materiæ cuidam „ inhærebat, & aliunde in ipſam derivata eſt.„ IV. Effectus integer cauſſæ plenæ æquipollet; ſive etiam, in effectu nequit plus eſſe, quam in cauſſa: ex ſyſtemate influxus phyſici ſequitur, effectum ſua cauſſa majorem eſſe; quippe integer effectus, qui a viribus corporis produci poteſt, nonniſi motus eſt; repræſentatio, ſive perceptio amplius quid eſt, quam motus: proindeque &c. (*). V. In quocumque genere entium effectus non ſemper eſt tantus, quantus ſerio intenditur: ibi datur proportio inter vires ad effectum applicatas, & quantitatem ipſius effectus (per proportionem hic intellige rationem, ſive comparationem homogeneorum, hoc eſt talium, quorum unum aliquoties repetitum alterum æquare, vel ſuperare poteſt): ille igitur effectus non dependet a viribus cum effectu quoad proportionem incomparabilibus: atqui vires Animæ, & motus corporis ſunt quoad proportionem incomparabiles: igitur motus corporis non procedunt a viribus Animæ. (**)

SCH. En tum illa, quæ pro ſyſtemate influxus phyſici, tum ea, quæ adverſus illud militant: quanta tamen efficacia, ex porro dicendis intelligemus.

Mem-

(*) *Vid. Bülfinger. de Harmonia præſtabilita* §. 37. *& ſeqq.*
(**) *Idem in Dilucidat. Philoſ.* §. 327.

Membrum II.

De Syſtemate Cauſſarum Occaſionalium, ſive Adſiſtentiæ.

179. CUm ab annis plurimis hæc in ſcholis animis omnium inſediſſet opinio, quod Anima phyſice moveat corpus, & corpus phyſice influat in ſenſationes; Carteſius demum exactius Animæ, corporiſque indolem meditatus, intellecto eorumdem diſcrimine, in eam primus conceſſit ſententiam, admitti nec poſſe, nec debere ab Anima mutationes corporis, & viciſſim a corpore mutationes Animæ provenire: hinc autem commercium, quod utique in dubium vocare non poterat, nedum inficiari, ita ſuſcepit explicandum: „ DEUM, inquit, legem quam„ dam ſanciviſſe, ut ad determinatos quoſdam „ motus ſpirituum animalium in cerebro deter„ minatæ quædam perceptiones in Anima orian„ tur; & viciſſim ut ad volitionem Animæ ſe„ quantur determinati quidam motus in corpo„ re „. Secundum Carteſium proinde corpus non niſi occaſionem præbet, ut in Anima perceptiones oriantur: ſimiliter Anima non niſi occaſionem præbet, ut in corpore certi motus ſequantur.

SCH. 1. Ex his mens Carteſii non ſatis patet, quomodo ex occaſione mutationum corporis in Anima ſequantur perceptiones, & viciſſim. Scilicet an occaſionem præbente corpore Anima ipſa per vim ſibi propriam repræſentationes producat; an vero aliunde,

nem-

Digitized by Google

nempe a DEO producantur? quod quidem poſterius cenſuiſſe, & docuiſſe Mallebranchium Carteſii ſectatorem conſtat ex iis, quæ Lib. VI. de inquirenda Veritate par. 2. c. 3. tradit; ita enim ille: „ Non poſ„ ſunt eſſe veræ cauſſæ illius rei: mentes etiam no„ biliſſimæ in eadem verſantur impotentia. Nil poſ„ ſunt cognoſcere, niſi DEUS ipſas illuminet; nil „ poſſunt ſentire, niſi DEUS ipſas modificet; nil poſ„ ſunt velle, niſi DEUS ipſas verſus ſe moveat... „ Jam autem conſtare mihi videtur, voluntatem ſpi„ rituum vel minimum corpus movere non poſſe; „ nam nullam eſſe connexionem neceſſariam inter vo„ luntatem noſtram e. g. movendi brachium, & mo„ tum brachii, evidens eſt, &c. „. Itaque Mallebranchio re vera attribuendum venit illud ſyſtema, quo Animæ repræſentationes cum mutationibus corporis eatenus conſentire dicuntur, quatenus mutatio corporis occaſionem præbet, ut a DEO repræſentationes in Anima producantur, & volitio occaſionem præbet, ut ab eodem DEO motus in corpore producatur, quodque adeo ſyſtema cauſſarum occaſionalium, *itemque* adſiſtentiæ *appellatur. De hoc autem ſyſtemate, ut pluribus agamus, non eſſe, conſtat ex dictis (§. 175.).*

SCH. 2. Quod ſi Carteſiani contra, ac Mallebranchius faciendum cenſuit, Animæ vim repræſentandi, corporique vim movendi attribuunt, ſolumque volunt vires has a DEO determinari, ac dirigi, aliud quidem a mallebranchiano haud paullo diverſum ſyſtema recipiunt; de quo tamen quid videri debeat, continuo manifeſtum fiet.

180. Si ſyſtema, quod cauſſarum occaſionalium, ſive adſiſtentiæ appellatur, ita reſtringitur, ut admiſſa Animæ vi repræſentandi, item-

que

que admiſſa corpori vi movendi, hæ vires ſolum a DEO determinari, dirigique dicantur, ſequentia ipſum commendant. I. Nihil per illud tollitur, quod ad eſſentiam, & naturam tum corporis, tum Animæ pertinet; neque natura, ejuſque actiones cum DEO, illiuſque actionibus conſunduntur: cum tamen quoad ſingulas has partes oppoſitum deprehendatur in ſyſtemate mallebranchiano. II. Salva, atque illibata relinquitur regula illa de ejuſdem virium quantitatis conſervatione: in hoc enim ſyſtemate, cum corpus in Animam non agat, non perit aliqua vis motrix in gratiam Animæ: ſimiliter cum Anima non agat in corpus, in hoc aliqua nova vis motrix non oritur: ſalva proinde, atque illibata regula dicta relinquitur contra ac in ſyſtemate influxus phyſici fieri oſtenſum eſt. III. Poſſibile certe eſt, ut DEUS ſive per voluntatem ſuam, ſive per omnipotentiam ſuam tam vim Animæ, quam vim corporis determinet, & dirigat; nihil proinde hic ſumitur, quod concipi non poſſit: cum tamen contrarium per dicta accidat in ſyſtemate influxus phyſici (§. 178.).

181. Utcumque hæc ſyſtema cauſſarum occaſionalium eo, quem aſſignavimus, modo reſtrictum commendare videantur; ſunt tamen, quæ aperte, & valide adverſus illud pugnant. I. In hoc ſyſtemate ſtatuitur, DEUM equidem per ſe, ac immediate in corpore non producere motum, ſed ſolum efficere, ut ſpiritus animales per vim, qua in motu ſuo præditi jam ſunt, influant in muſculos motuum ab Anima decretorum productores: itaque his ſpiritibus nihil quidem de vi aliqua accedit; ejus tamen, quam jam habent, di-

directio, DEO agente, mutatur. Jam autem Hugenius demonſtravit, in corporum conflictu non minus ſummatim conſervari directionem, quam virium quantitatem: hæc regula in propoſito ſyſtemate, in quo DEUS immediate in gratiam Animæ ſpirituum directionem mutat, violatur: proindeque &c. II. Quod per rerum naturam juxta proprias ſibi regulas operantem explicari nequit, ſupernaturale, ſive miraculum eſt (§. 54. Coſmol.): in propoſito ſyſtemate directio ſpirituum animalium nonniſi per omnipotentiam DEI explicanda ſumitur; perpetuo igitur in mundo miracula fiunt, cum perpetuo hujuſmodi directione opus ſit.

Membrum III.

De Syſtemate Harmoniæ Præſtabilitæ.

182. TAm in ſyſtemate influxus phyſici, quam adſiſtentiæ vis Animæ æque, ac corporis de ſe indeterminata ſumitur; unde porro concluditur, ab extrinſeco agente eam determinari oportere, ſcilicet vel finito, ut fit in ſyſtemate influxus phyſici, vel ab infinito, quemadmodum in ſyſtemate adſiſtentiæ accidit; ut ita demum repræſentatio reſpondeat mutationi corporis, & motus corporis reſpondeat Animæ decreto: ſed enim hæc non probabantur Leibnitzio, qui adeo naturam Animæ, & corporis intimius rimatus aliter plane de illis ſtatuendum cenſuit, novoque ſyſtemati explicandi commercium, quod *Harmonia præſtabilita* appellatur, locum fecit: en præci-

cipua ejus capita.

183. DEUS Animæ ſub ortum ipſius tribuit vim repræſentandi mundum limitatam per ſitum corporis alicujus, & conſtitutionem organorum illius, qua vi ejus eſſentia, ac natura abſolvitur. In mundo habetur ordo, & nexus, qui adeo ordo, & nexus etiam in ejus repræſentatione relucere debet; conſequenter inter repræſentationes, & eventus mundanos conſenſus eſt: ex quo intelligitur, Animam per naturam ſuam ita comparatam eſſe, ut in continua ſerie producat repræſentationes, ſive ſenſationes, quarum præcedens nunquam non ſufficientem contineat rationem ſequentis, perinde ut in mundo eventus continua ſerie ſeſe excipiunt, quorum poſteriores quivis in prioribus ſui rationem ſufficientem agnoſcunt.

184. Succeſſiones eventuum in mundo abſoluta neceſſitate vacant; vacant itidem ſucceſſiones repræſentationum: interea tamen quemadmodum ſucceſſiones eventuum mundanorum noſtro arbitrio non ſubſunt; ita nec ſubſunt ſucceſſiones repræſentationum, niſi in tantum, in quantum imperio Animæ organa ſenſoria quocumque flecti poſſunt; itemque in quantum effici a nobis poteſt, ut ſenſatio fortior vincat, ac depellat debiliorem. Cætera ſenſationes neceſſariæ ſunt.

185. Corpus eſt quædam machina vim inditam habens, per quam conformiter ad ſtructuram, & regulas motus omnes motus in ſerie continua ita producuntur, ut ſequentes ex antecedentibus pendeant. E. g. motus linguæ ex alio antecedenti ſequitur: idem eſt de motu pedis, brachii &c.

186. Itaque nec Anima in corpus agit, nec cor-

corpus in Animam, ſed unumquodque per ſe ſuarum mutationum eſt principium: hinc autem mirum videri poſſit, quod nihilominus hæ duæ ſubſtantiæ tam belle, exacteque in ſuis operationibus conſentiant. Enimvero id ſine entis infinito intellectu, infinitaque potentia præditi artificio fieri non poſſe certum plane, ac indubitatum eſt: at da modo ens infinite intelligens, ac potens, quale eſt DEUS, dare quoque debes 1. quod prævideat omnia decreta, quæ Anima aliquando formatura eſt: 2. quod corpus hujuſmodi condere poſſit, in quo per vim ipſi conceſſam nullus non motus ſequatur, quem Anima decernit, atque eo ordine, ac tempore ſequatur, quo ab Anima decernitur. Pone jam Animam cum tali corpore conjunctam, profecto ad hoc, ut mutuus conſenſus habeatur, nihil porro deſideraveris.

SCH. Sic divinitus conſtituta conſenſio, ſive harmonia illuſtratur exemplo a duobus horologiis exacte inter ſe conſonantibus deſumpto. Duo poſſunt dari horologia, in quibus horarum, & minutorum menſuræ exactiſſime conveniant: hæc convenientia locum habere poteſt, quamvis horologium A non agat in horologium B, & viciſſim; ſed provenire poteſt a ſapientis artificis ordinatione, qui duo hæc horologia ita conſtituere novit, ut, altero alteri attemperato, exactiſſima harmonia ſervetur. Quidni proinde DEUS tales ſubſtantias inter ſe jungere poſſit, in quibus ſumma mutationum, & operationum conſenſio compareat, ſine mutuo tamen influxu, ſed a ſola ſapientia DEI conditoris orta?

187. Et vero hujuſmodi harmoniæ inſignes cenſentur prærogativæ. I. In hoc ſyſtemate Ani-

mæ

mæ ideæ, corporiſque motus via maxime naturali explicantur. II. In nullo alio ſyſtemate ſapientia, ac potentia divina æque extollitur; ut proinde hoc ſyſtema ſpeculum divinæ ſapientiæ, & potentiæ dici poſſe videatur. III. Per harmoniam præſtabilitam immaterialitas, atque immortalitas Animæ maxime adſtruitur, quam nemo negare poteſt, qui harmoniam illam admittit.

188. Attamen adverſus hanc harmoniam non pauca objiciuntur. I. In hoc ſyſtemate homo conſtat ex duplici automato, altero materiali, ſcilicet corpore, altero immateriali, videlicet Anima: in automato autem, ſive machina ubi libertas? II. Si motus corporis oriuntur ex antecedentibus, quibus corpus non poteſt reſiſtere, non ſunt liberi. III. Quis in animum inducat ſuum, futurum fuiſſe, ut corpus e. g. Julii Cæſaris, vel Ciceronis in Senatu eaſdem orationes, & ſententias diceret, etſi Anima abfuiſſet, quod tamen conſectarium eſt ex harmonia præſtabilita? IV. Qui fieri poſſit, ut corpus per vim ſuam ſyllogiſmos rite ordinatos proferat &c.?

SCH. Equidem his non leviter harmoniam præſtabilitam impugnari forte quis exiſtimaverit; verum audiamus, quid illius Aſſertores reſpondere ſoleant: ita nempe illi:

I. Libertas omnino ibi locum non habet, ubi in certa ſerie operationes perinde ut in aliquo automato ſe ſe excipiunt; atqui vero hoc in Anima non niſi quoad ſenſationes accidit; igitur ſenſationes in ſyſtemate Harmoniæ præſtabilitæ non ſunt liberæ: ſed nunquid neque in ſyſtemate influxus phyſici liberæ ſunt? Libertas ad appetitiones, & volitiones, itemque aver-

ſationes , & nolitiones pertinet : in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ Anima eodem modo ad appetitiones, & volitiones, itemque averſationes, & nolitiones pervenit, quo in ſyſtemate influxus phyſici pervenit : ſolum diverſitas eſt in ortu idearum, ſive repræſentationum, a quo ortu libertas minime pendet.

II. Si quo ſenſu motus corporis in ſyſtemate influxus phyſici dici liberi poſſunt, nihil obſtat, quo minus etiam in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ liberi dicantur. In hoc enim æque ac in illo cum veritate aſſeverare licet: Motus iſte, vel ille in corpore ſequitur, quia eſt libere volitus, ſive decretus : *Nam licet in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ Anima per vim ſuam non influat in motum, ſed corpus per vim ſibi propriam eundem in certo ordine producat, non producit tamen niſi dependenter ab Animæ decretis, & volitionibus, quas nempe DEUS prævidit, juxtaque quas ipſe corpus adaptavit.*

III. Quoniam in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ Anima ad motus corporis phyſice nihil confert, & viciſſim, negari non poteſt, exinde conſectarium fieri, ut Anima ſine corpore eaſdem mutationes ſubire queat, quas ſubit cum corpore conjuncta; itemque ut in corpore iidem motus oriri poſſint ſine Anima, qui oriuntur, dum Animæ eſt copulatum. Sed primo quidem advertendum: A potentia non recte, ac legitime argumentum formari ad actum : *tum vero quid demum abſurditatis in hoc, ut detur tam mire, tamque dextre concinnata machina, quæ apta ſit ad hujuſmodi motus edendos, quales ab Anima produci paſſim putantur? Id ſane dare oportet, humani intellectus vires infirmiores eſſe, quam ut modum, quo ipſa conſtituta eſſe debeat, ſatis perſpiciamus, ac aſſequamur: verum per hoc nihil derogatur laudato*

ſyſte-

ſyſtemati, in quo ſequi demum dixeris, corpus humanum eſſe opus infiniti intellectus, & infinitæ potentiæ.

IV. Etſi haud ita facile fuerit diſtincte docere, quomodo per ſolam vim corpori propriam primo ratiocinia in ipſo ceu machina aliqua repræſententur, tum articulatis vocibus proferantur; ſi tamen advertimus, quod ſimplicibus ſenſationibus per ſe ſe, itemque repræſentationibus, ſive notionibus univerſalibus, mediantibus terminis, per vim corpori propriam in cerebro reſpondere poſſint certi motus fluidiſſimarum partium, qui ideæ materiales ſolent vocari, facilius jam conjicere poterimus, quomodo ab his ideis materialibus, quæ ſimplicibus repræſentationibus Animæ reſpondent, per eamdem vim corpori propriam perveniri poſſit ad ideas materiales ratiociniorum, id quod exacte, & fuſe Vvolffius explicat (*): datis autem his ideis materialibus ratiociniorum, loquelam rationalem, & ſyllogiſmum ita enaſci conſtat: Ex idea materiali ratiocinii, hoc eſt motu certo in cerebro alius motus naſcitur, qui continuatur uſque ad membra, loquelæ organa, quibus producitur in aere ſonus, ſeu vox ſonora.

Membrum IV.

Sententia Noſtra.

189. SI commercium inter Animam, & corpus certum, indubitatumque ſtatuitur, ſatis jam ſaniori Theologiæ, Medicinæ, Politicæ, & Ethicæ proſpectum eſt, quin opus ſit ad modum, quo illud explicandum ſit, reſpicere. At Philo-

(*) *Vvolff. Pſych. Rat.* §. 415.

ſophis incumbere videtur in hoc detegendo, quid valeant acumine ſuo palam facere. Ternas adhuc retulimus, atque expoſuimus opiniones, celebriores nempe, & ad quas cæteras omnes referri demum oporteat: nullam tamen ex iis jam jam evictam, ac demonſtratam dixeris: quælibet hodiedum ſuis hæret implicita difficultatibus. Nihilominus ſunt, qui ex nobis quærant, cui potiſſimum ſubſcribendum ſit: etſi perægre adducimur ad ſenſum noſtrum manifeſtandum, ne tamen vitio detur penitus tacuiſſe, ſequentibus, quod nobis videtur, aperimus.

190. Antiquiſſima, & communiſſima commercium inter Animam, & corpus explicandi ratio eſt, qua Animam in corpus, & viciſſim corpus in Animam agere, influereque ſumimus. Adverſus hanc equidem varia, neque pauca opponuntur: quod ſi tamen talia non ſint, ut per ea refutatam (§. 332. Log.) cenſere oporteat, numquid cum Ill. Gotſchedio vel inde recte exiſtimabimus nondum eſſe, cur, illa rejecta, alia quævis aſſumatur? Expendamus modo paullo exactius ea, quibus influxus phyſicus impugnari ſolet.

191. *Influxus phyſici nullam notionem habemus, nullam ejus explicationem adferre valemus*. Iſtud vero eatenus dandum fuerit, quatenus ipſius corporis, & Animæ notionibus confuſiſſimis homines contenti erant, aut etiamnum contenti ſunt: ſed rectene inde infertur fore, ut dum clariores, diſtinctioreſque ſubſtantiæ conceptus ſuppetunt, nihil unquam de eo perſpiciatur? Tum utique ex hoc non continuo quid negandum, rejiciendumve eſt, quod diſtincte concipi, & explicari nequeat. 192.

192. *Sed influxus phyſicus repugnat eſſentiis corporis, & Animæ.* Quod ſi iſtud explorate conſtaret, ſatis argumenti præſto foret, ejus ſyſtemate repudiato, aliud amplectendi; at enim in hujus aſſerti demonſtratione jure quædam deſideraveris: & quidem quod ad Animam attinet, an non forte gratis ſumitur vim Animæ ita ſolum eſſe repræſentatricem, ut nullo pacto motrix eſſe, dicique poſſit? Immo an non indicium oppoſiti ex eo accepimus, quod cum omni appetitu conatus quidam acquirendi eum ſitum corporis, qui ad certas perceptiones producendas requiritur, conjunctus eſſe deprehendatur (§. 169.)? Quod corpus concernit, certe partium ejus, cerebri cumprimis ſtructura non levem quemdam ob finem tam mira, tamque artificioſa eſt: quod ſi partes illæ nihil contribuunt ad Animæ functiones, ob quem demum finem corpus Animæ adjungitur?

193. *In Anima non niſi unica vis locum habere poteſt: ergo præter vim repræſentandi tribui illi nequit vis movendi.* Atqui vim movendi nequaquam ſeparamus a vi repræſentandi: non ergo vires multiplicantur. Numquid vis intelligendi, & vis appetendi realiter non differunt ab eadem vi repræſentandi? Idem exiſtimaveris de vi movendi: nempe Anima, quatenus prædita vi repræſentandi, novas perceptiones producere nititur, quas cum habere nequeat, niſi dependenter a certo ſitu corporis, hunc quoque habere ſitum eodem tempore nititur.

194. *Quod ſi Animæ vis movendi tribuitur, anne poterit eſſe tanta, ut motibus corporis producendis ſufficiat?* Equidem Anima partibus corporis, ceu

 toti-

totidem potentiis mechanicis mirum quantum ſublevatur, ut proinde vim ejus adeo magnam eſſe neceſſe non ſit. Sane Borellus (*a*) vires muſculorum tales eſſe ex principiis mechanicis demonſtrat, ut eorum ope exigua ſpirituum animalium vis, ac debilis impetus maximos producere poſſit effectus: immo Knutzenius (*b*) contendit, ſi fibrillas cerebri æqualiter tenſas utrinque, ac in æquilibrio, quieſcentibus muſculis, conſtitutas nobis concipiamus, minorem adhuc vim, quam muſculorum permittat potentia, ad motus voluntarios, alioſque in corpore producendos ſufficere, id quod, inquit, ex mechanicis conſtat, ubi in accuratiore bilance æquilibrium vel pulviſculo illi deberi demonſtratur.

195. Influxum phyſicum præprimis vindicarunt Richterus (*c*), Gottſchedius (*d*), Knutzenius (*e*), aliique quidam (*f*), apud quos cæteræ quoque objectiones egregie dilutæ reperiuntur (124).

No-

(*a*) *De Motu Animalium P.* 1. *Prop.* 124. 128.

(*b*) *In Comment. Philoſ. de Commercio Mentis, & Corporis per influxum phyſicum explicando p.* 19.

(*c*) *In Quæſt. Philoſ. de Machina, & Spiritu.*

(*d*) *In Vindiciis influxus phyſici.*

(*e*) *Loc. cit.*

(*f*) Hollmannus, Vvinklerus &c.

(124) 1. Syſtema, quod de commercio defendit A., quodque ceteris videtur eſſe ſolidius, duas complectitur propoſitiones: nempe *poſſe Animam proprium movere corpus phyſice*, & *Animam ex natura ſua in aliquibus perceptionibus a corpore dependere*. Hujuſmodi propoſitiones veras eſſe pluribus oſtenditur. Anima phyſice eſt unita, ſive præſens corpori (ex Nota (112) ad §. 130.): in corpore ergo aliqua eſt determinatio, cujus ſufficiens ratio

in

Nobis ſuffecerit pro coronide Capitis hujus explicationem commercii ad ſequentes formulas revocaſſe,
Z 4 I. Vis

in Anima continetur: ſi vero alicujus determinationis, quæ corpori inſit, ratio in Anima continetur, quænam alia hæc eſſe poteſt præter motum? Fortene rationem figuræ corporis continet Anima, mechaniſmi partium, extenſionis? haud ſane. Nihil profecto ex his a liberis Animæ volitionibus pendet: ſæpe ab Animæ libertate pendet ſolus motus, ut quotidiana conſtat experientia: hujus ergo motus ratio ſufficiens, vel ſaltem aliquid rationis ſufficientis in liberis ipſius Animæ volitionibus ſæpe continetur: id vero in cujus actione continetur ratio ſufficiens motus alicujus corporis, eſt phyſica, ſeu vera cauſſa motus ipſius corporis: ergo &c.

2. Sane vel nullius effectus cauſſa phyſica poteſt aſſignari, vel Anima proprium corpus movet: nam ideo tali effectui talis aſſignatur cauſſa, quia, poſita tali cauſſa, talis ponitur effectus: „ Poſta una cagione, dicono d' accordo le vecchie, e le nuove Scuole, inquit Valliſnerius tom. III. p. 30. „ ſe naſce l'effetto, e ſe levata, ſi leva, o ſe diminuita, ſi diminuiſce, o ſe accreſciuta, ſi creſce, è ben diritto il conchiudere, che ſolo naſce da quella „. Jamvero poſita volitione movendi e. g. brachium, iſtud movetur: „ Imperat Animus, ut moveatur manus, inquit S. Auguſtinus lib. VIII. Confeſ. n. 21. „ & tanta eſt facilitas, ut vix a ſervitio diſcernatur imperium „. Si Anima vera non eſt motus brachii cauſſa, quibus tandem indiciis poterunt genuinæ effectuum cauſſæ dignoſci? Conſul. Nota (75) ad §. 23. Coſmol. nn. 10. 11.

3. Si nequit Anima proprium movere corpus, vel ideo eſt, quia Anima eſt Spiritus, vel quia ſpiritus eſt finitus: neutrum vero dici poteſt; namque & DEUS, qui ſpiritus eſt, movet corpora; & ab Angelis, qui ſpiritus finiti ſunt, eadem moveri corpora, ubique teſtantur S. Scripturæ. Antequam alterius propoſitionis adgrediar probationem, objectiones ſolvam, quas proponunt Vvolffius, & Carteſiani.

4. Vvolffius ab A. §. 178. laudatus Animam non poſſe proprium movere corpus contendit: ſi proprium namque corpus moveret Anima, Animæ particula deberet cor-

Digitized by Google

I. Vis Animæ per eſſentiam ſuam ita eſt comparata, ut per actionem corporis alicujus determina-

corpori communicari, quod eſt abſurdum.

5. Mirari maximopere ſubit, Vvolffium Philoſophum acutum, & in rebus metaphyſicis apprime verſatum, a communi opinione tam inani argumento recedere. Quid? DEUS, quia corpora movet, eſt materialis? Angeli, quod corporibus vim motricem imprimere poſſunt, ſubſtantiæ ſunt corporeæ? DEUS per verum phyſicum influxum, fatentibus omnibus Theologis, ac Philoſophis, Solem creavit, Terram, Lunam, Planetas, Stellas omnes: ergo ne hæc omnia in DEO erant præexiſtentia tamquam in ſubjecto? Apage nefandum ſpinoſianum inventum! Duplex eſt, ex cit. Nota (75), diſtinguendus influxus; alius nempe, quo corpora fluida agunt vel in corpora ſolida, vel in fluida alia; alter, quo cauſſæ efficientes ſuos producunt effectus. Fluidorum influxus, quo fluida ſunt, in emiſſione corpuſculorum conſiſtit; non item cauſſarum efficientium influxus.

6. Objicit Mallebranchius in Sch. ad §. 179. ab A. laud.: Nulla datur connexio inter Animæ volitiones, & corporis motus: nequit ergo Anima motus corporis edere.

7. Nimia teſtatur confidentia Mallebranchius, evidens eſſe, nullam dari connexionem inter voluntatem noſtram movendi brachium, & motum brachii (n. 3.): nimia item confidentia aſſerit, naturales cauſſas non eſſe veras cauſas: ſi enim naturales cauſſæ veræ cauſſæ non ſunt, quænam veræ cauſſæ erunt? Nullæ forte ſecundum Mallebranchium? Sol itaque non eſt vera cauſſa lucis? Sol, & Luna non ſunt cauſſa æſtus marini? Plantæ non vere producunt folia, flores, fructus? Animalia proprios non producunt motus? Quis Philoſopus hæc patienter audiat? Denegatis enimvero cauſſis, omnis e medio tollitur Philoſophia.

8. Aſt Anima, inquis, modum ignorat, quo proprium debeat movere corpus. Haud hanc nego in Anima ignorantiam: at nec id negari poteſt, quod lib. IV. de Ani. & ejus orig. inquit S. Auguſtinus: „ Negare id „ Animam facere in corpore, quod niſi ipſa non fa„ cit, quia neſcit Anima, unde motum incipiat, an a „ corde, an a cerebro, an ab utroque, an a neutro, „ abſo-

minari poſſit ad repræſentationem producendam, itemque ut vim corporis per actionem veram ad cer-

„ abſonum certe magis eſt, quam fateri quempiam, ſe „ neſcire, quod neſcit „. Quomodo percipiat Anima, vel ſit unita corpori, ignorat ipſa Anima: „ Numquid „ ideo negandum eſt, ait idem S. D. de Dono Perſev. n. 37. „ quod apertum eſt, quia comprehendi non po- „ teſt, quod occultum eſt? Numquid propterea dicturi „ ſumus, quod ita eſſe perſpicimus, non ita eſſe, quo- „ niam, cur ita ſit, non poſſumus invenire? „

9. Jam ad ſecundam n. 1. expoſitam propoſitionem. Ex iis, quæ Sect. V. dicta ſunt, Animam ita eſſe comparatam, conſtat, ut nulla ſit in Anima ſenſatio, niſi aliqua in organis præſuppoſita mutatione. Conſtat pariter, ſi quacumque de cauſſa organum aliquod ſenſorium fuerit a tempore formationis ad functiones ſuas prorſus ineptum, nullas Animam habere earum rerum ideas, quæ per talia organa percipi ſolent. Conſtat, non amplius ſenſationes in Anima excitari, ſi organa decurſu temporis vitientur: itidem perceptiones magis eſſe, vel minus vividas, prout magis, vel minus fuerint motus corporis expediti. Atqui explicari hæc nullo modo poſſunt, niſi Animam dicamus a corpore in aliquibus perceptionibus dependere: ſi enim Anima ab impreſſionibus in corpore factis non dependet, quorſum perceptionibus caret, deficientibus in corpore motibus? Cur ita deprimitur, ut aliquas perceptiones habere non poſſit, niſi habitis in corpore motibus? Cur Angelorum ad inſtar non eſt Anima ſemper a corpore ſejuncta? Sapienter hinc S. Thomas jam laud. in Nota (5) ad §. 16. Ont. inquit: „ Si Anima non indigeret corpore ad „ intelligendum, fruſtra corpori uniretur „.

10. At opponunt. Anima eſt ſubſtantia: eſt ergo a corpore independens: immo vero: Anima eſt ſubſtantia ſpiritualis: eſt ergo a corpore independens; nec enim ſuperius ab inferiori pendere poteſt.

11. Reſp. Quia Anima eſt ſubſtantia, a corpore non dependet, tamquam a ſubjecto (ex Nota (51) ad §. 199. Ont.); poteſt tamen Anima a corpore dependere in aliquibus perceptionibus tamquam ab objecto; quatenus ſcilicet impreſſiones in corpore factæ aliqua reddant objecta

certos motus producendos determinare poſſit.

II. Igitur inter Animam, & corpus actu habetur

---

jecta menti præſentia, & proportionata: ut enim Anima objecta percipiat, non ſufficit, Animam habere vim percipiendi, ſed opus inſuper eſt, Animam vim propriam percipiendi in objecta ſibi præſentia, & proportionata dirigere (ex Nota (116) ad §. 141.): ſi enim proportionata non ſint objecta, Anima non percipiet, & fruſtra nitetur. Impreſſiones autem in corpore factas eſſe id, quo objecta ſenſibilia fiunt menti præſentia, & proportionata, ex n. 9. abunde patet. Anima quidem ſubſtantia ſpiritualis eſt; verum ejus percipiendi vis ita eſt limitata, atque circumſcripta, ut corpore indigeat ad ſcientias ſibi comparandas. „ Animæ humanæ, inquit S. Thomas 1. p. q. 51. a. 1. in c. „ competit uniri corpori, quia eſt imperfecta, & in potentia exiſtens „ in genere intellectualium ſubſtantiarum, non habens „ in ſui natura plenitudinem ſcientiæ, ſed acquirens eam „ per ſenſus corporeos a ſenſibilibus rebus „.

12. Nec vero difficile eſt oſtendere ſubſtantiæ ſpiritualis tali modo limitatæ, ac determinatæ poſſibilitatem. Quæ enim eſt vis percipiendi, niſi ea, qua una ſimplex ſubſtantia alicujus objecti eſt conſcia? Objectum vero, cujus eſſe poteſt conſcia ſubſtantia vi percipiendi prædita, eſt ens, quatenus eſt percipienti repræſentabile; ſive quatenus eſt verum. Ex quo autem ſubſtantia ſit vi percipiendi ornata, poteſtne inferri, debere ſe ad ens omne extendere? nullo modo; fieri enim poteſt, aliqua entia eſſe illi vi proportionata; improportionata cetera. Item. Ens quodlibet eſt infinitis, iiſque variis modis cognoſcibile: ex quo igitur una ſubſtantia ſit vi percipiendi prædita, ſequiturne, debere cognoſcere ens ſibi proportionatum omni modo, quo eſt cognoſcibile? haud profecto: ſecus enim omnis percipiendi vis comprehenſiva eſſe deberet, quod eſt falſiſſimum. Poterit itaque una percipiendi vis uno modo idem ens cognoſcere, & alia vis alio modo: uni enim vi idem ens repræſentatum uno modo poterit eſſe proportionatum, alioque modo repræſentatum improportionatum eſſe poterit: atque hinc percipiendi vires infinitis gradibus inter ſe differunt. Et ſane nonne vis

per-

tur commercium, quatenus actu in eo ſunt ſtatu, ut vis Animæ per actionem corporis, & vis cor-

percipiendi, quæ DEO ineſt, ab ea differt, quæ Angelis, Animabus noſtris, brutis competit? Omne enim ens eſt divinæ virtuti proportionatum, non item Angelis, hominibus, & brutis. Item. Unum ens tali modo eſt cognoſcibile ab Angelis, non vero ab hominibus: corpora e. g. ſunt objecta proportionata, quia exiſtunt, Angelis, non vero hominibus: debent enim corpora immutare corporis noſtri organa ſenſoria, ut fiant proportionata; ſi non immutant corpora non percipimus, uti ſunt. Si igitur ex iis philoſophari velimus, quæ in nobis obſervamus, Animas noſtras ita eſſe limitatas, ut res ſenſibiles non percipiant, niſi mediantibus impreſſionibus in corpore factis, fatendum erit. Habitis autem perceptionibus per ſenſus, attendit Anima, reflectit, abſtrahit, judicat, ratiocinatur: incipit Anima a ſenſationibus, ac propria vi rerum ſpiritualium ſibi comparat perceptiones: dependet ergo Anima a corpore, quatenus eodem utitur ad ideas rerum ſenſibilium acquirendas.

13. Non me latet, putare toties laud. Auctorem *Speciminis* &c. tom. I. p. 8., dependentiam Animæ a corpore pœnam eſſe peccati originalis, adeoque impreſſiones in corpore factas cauſſas eſſe noſtrarum cognitionum occaſionales. Verum dici quidem hæc poſſunt, probari certa ratione non poſſunt: nec enim Adamus in feliciſſimo innocentiæ ſtatu cognitione experimentali poterat objecta ſenſibilia percipere, niſi ſenſiferis motibus mediantibus: & profecto Theologorum nemo ſuſpicatus unquam eſt, Animæ a corpore dependentiam eſſe peccati pœnam. Conſulatur S. Thomas 2. p. q. 85. a. 1., & 3. Concupiſcentia, quæ peccati originalis pœnalitas eſt præcipua, hominum perturbari ſtudia, fatendum eſt; at peccatum originale noſtram immutaſſe naturam, admitti omnino nequit.

14. Objiciunt iterum. Facta ab objecto ſenſibili in organis ſenſoriis impreſſione, & ad cerebrum uſque propagata, vel ſpirituum animalium motus Animæ communicatur, vel non: ſi ſecundum; corpus ergo Animam nullo modo ad percipiendum determinat: ſi primum; quomodo id fieri poteſt, ſalva Animæ incorporalitate?

15.

corporis per actionem Animæ determinetur.

III. Atque adeo etiam unio Animæ, & corporis

15. Reſp. Senſibilis motus, qui in cerebro naſcitur ex impreſſione ab objecto ſenſibili in organis facta, Animæ nullo modo imprimi poteſt: eſt enim Anima ſimplex, & motus localis prorſus incapax: determinatur tamen Anima ad percipiendum abs animantium ſpirituum motu non tamquam a cauſſa efficiente, ſed tamquam ab objecto, quatenus ille motus præſens reddit objectum ſenſibile, atque Animæ proportionatum.

16. Ex hucuſque dictis facile alia dirimi poteſt quæſtio, in qua de idearum natura, & origine diſputatur: ſi enim Animæ percipiendi vim abs impreſſionibus in corpore factis determinabilem ſtatuas,

„ Invenies primis ab ſenſibus eſſe creatam

„ Notitiam veri.

17. Tres ſunt præcipuæ de idearum natura Philoſophorum opiniones. Prima ſtatuit, ideas rerum eſſe modos Animæ ab ipſius perceptionibus diſtinctos, vel ab Anima productos, vel a DEO Animæ impreſſos, quibus Animæ repræſentantur objecta percipienda. Docet altera, ideas realiter a perceptionibus non diſtingui. Poſtrema tandem eſt Mallebranchii contendentis, ideam eſſe eſſentiam divinam ineffabili quodam modo nobis unitam, in qua omnia videamus.

18. Probo imprimis, ideam a perceptione realiter non diſtingui. Ut proprias operationes mens percipiat, ſeque ipſam, non requiritur idea menti ſuperaddita a perceptionibus ipſis diſtincta: nam ſi Animæ operationes ſe ipſis nequeunt eſſe menti præſentes, ut mens illarum poſſit eſſe conſcia, nihil certe a perceptione diſtinctum poterit reddere mentis operationes eidem menti præſentes. Idem de Anima reſpectu Animæ dicendum: quid enim tam poteſt eſſe Animæ præſens, quam ipſa ſibi? In ſenſationibus mens objecta percipit abſque idea a perceptione diſtincta: enimvero ſenſationes ſunt ſenſibilium objectorum perceptiones, quæ ex immediata immutatione in organis ſenſoriis facta exoriuntur in Anima: at hujuſcemodi immutatio idea non eſt: proindeque &c. Item. In perceptione per intimum ſenſum per-

poris in hoc conſiſtit (§. 130.).

IV. Unde commercium, & unio inter Animam

percipit Anima objectum abſque idea a perceptione diſtincta: in perceptione enim per intimum ſenſum id, quod percipitur, propria eſt perceptio: at ut propriam mens poſſit perceptionem percipere, nullo eſt opus a perceptione diſtincto. Simili modo. In perceptione per abſtractionem non requiritur idea a perceptione diſtincta: intellectus enim abſtrahendo ſeparat ea, quæ in rebus, & cum rebus conjuncta ſunt (ex §. 69.): immediatum ergo perceptionis objectum ipſa eſt perceptio totalis, quæ in partiales reſolvitur, ad quam percipiendam alio quopiam a perceptione diſtincto opus eſſe nequit. Tandem, ut temporis jacturam non patiamur, idem probari facile poteſt de perceptionibus per conjecturam, per reflexionem, per diſcurſum, deque perceptionibus omnibus, quæ mediatæ dicuntur. Quum igitur omnis noſtra perceptio vel immediata ſit, vel mediata, in nulla noſtra perceptione requiritur idea a perceptione diverſa, ut mens valeat objecta cognoſcere. Hinc eadem perceptio, prout ad mentem refertur, perceptio dicitur; prout vero refertur ad objectum, quod percipitur, idea nominatur.

19. Solvamus objectiones. I. P. Sicco p. 110. Elementorum inquit: „ Male ideas, & perceptiones idearum „ eaſdem eſſe aliqui aſſeruerunt: ſiquidem perceptionis „ nomine nihil aliud intelligitur, quam ea cognitio, qua „ quidpiam citra affirmationem, aut negationem mente concipimus. Quod vero cognitionem ipſam circumſcribit, ac terminat, eſtque proximum, & immediatum illius objectum, hoc ideam appellamus. Atqui „ in rebus creatis objectum ſemper differt ab eo, cujus dicitur objectum. Igitur errare dicendi ſunt, qui „ nihil diſcriminis inter ideas, & perceptiones eſſe affirmant. Verum ne de ſolis, nudiſque vocibus quæſtio habeatur, duplicem cum Purchotio diſtinguere poſſumus nominis ideæ ſignificationem: nam vel pro perceptione, inquit ipſe, quæ eſt forma, ſeu modus, vel „ diſpoſitio, & affectio mentis percipientis, vel pro objecto, ſeu re ipſa percepta ſumitur. Prior dici ſolet

„ in

mam, & corpus ſine conjunctione locali haberi, & intelligi equidem nequit; ipſa tamen ſola non ſuf-

„ in Scholis idea formalis, poſterior idea objectiva. At „ enim ſi recte, proprieque loquamur, prior ſolius per- „ ceptionis nomine intelligitur, poſterior ideæ tantum „ vocabulo deſignatur „.

20. Reſp. Si ideæ nomine non aliud intelligitur, quam perceptionis objectum proximum, & immediatum, ſeu quam res ipſa percepta, idea ergo quid diſtinctum non eſt ab ipſa perceptione, & re percepta. Res porro percepta, ſeu objectum proximum, & immediatum perceptionis non eſt imago illa ſpiritualis, quæ a Carteſianis, aliiſque idea dicitur, vel ſpecies intelligibilis. Ut enim obſervat S. Thomas 1. p. q. 85. a. 2.: „ Si ea, „ quæ intelligimus, eſſent ſolum ſpecies, quæ ſunt in „ Anima, ſequeretur, quod ſcientiæ omnes non eſſent „ de rebus, quæ ſunt extra Animam, ſed ſolum de ſpe- „ ciebus intelligibilibus, quæ ſunt in Anima „. Quemadmodum ergo immediatum, proximumque objectum ſenſationum non eſt ulla imago; immo nec motus ab objectis exterioribus corpori impreſſus, ſed ipſa ſunt ſenſibilia corpora, ut conſtat (ex Nota (26) ad §. 176. Log.); ita proximum, immediatumque puræ perceptionis objectum aliqua non eſt ſpiritualis objecti ſimilitudo, ſed ipſum, quod intellectu attingimus, objectum, ſeu quod nobis perceptione ipſa repræſentamus.

21. Ob. II. Si idem eſt idea ac perceptio, cum idea quædam ſit objecti ſimilitudo, & perceptio erit objecti imago: dum ergo Anima percipit e. g. triangulum, triangularis evadet; ad inſtar enim trianguli erit modificata.

22. Reſp. Ideam nonniſi improprie dici objecti imaginem jam innuimus (Nota (89) ad §. 10.) Et ſane hæc imago, ſi daretur, non eſſet id, quod percipitur, ſed quo percipitur, perinde ac eſt ipſa perceptio: quare ſi Anima triangularis fieri debet, quia perceptio eſt Animæ modificatio, multo magis evadere debet triangularis, ſi idea dicatur imago quædam ſpiritualis menti ſuperaddita. Non fit igitur Anima triangularis, dum percipit triangulum (niſi intelligibiliter, quo ſenſu intellectus intelligendo fit omnia, ut ſæpe repetit ex Ariſtotele S. Thomas); quemadmodum non evadit colora-

ta,

ſufficit.

V. Neque tamen etiam requiritur, ut Anima in

---

ta, dum coloris habet ſenſationem.

23. Ob. III. P. Gerdillus in defenſione Mallebranchii pag. XVII. Certum eſt, inquit, quaſdam dari ideas, quæ a perceptionibus realiter diſtinguuntur: docet enim S. Thomas Theologorum Princeps cum aliis Theologis, Beatos in Cælis DEUM faciali viſione videre; ita tamen, ut ipſa divina eſſentia ſe habeat per modum ideæ, ſive ſpeciei intelligibilis, ſive formæ intellectualis. Audiatur idem S. Doctor 1. p. q. 12. a. 5.: „ Quum aliquis intellectus creatus videt DEUM per eſſentiam, „ ipſa eſſentia DEI fit forma intelligibilis intellectus „. Perceptioni igitur eſſentialiter non competit ideæ natura: datur enim una perceptio, quæ idea non eſt.

24. Reſp. Quum docent Theologi cum S. Thoma, ipſam eſſentiam divinam eſſe in Beato formam intelligibilem intellectus, nil aliud docent, niſi eſſentiam divinam eſſe id, quod immediate determinat Beati mentem ad ipſam videndam: viſio enim beatifica in ipſam divinam eſſentiam immediate fertur, nullo mediante objecto, ſive diſtincte, ſive confuſe prius cognito, nulla mediante ſpecie, quæ ſit a rebus abſtracta; contra ac nobis contingit in tenebricoſa hac vita: DEUM namque cognoſcimus quidem, at per ſpeciem alienam; nec enim in DEI cognitionem aſcendimus, niſi alio mediante objecto prius cognito, mediantibus nempe creaturis. Retorqueri hinc poteſt argumentum. Etenim ſi in perceptione omnium, quas habere poſſumus, nobiliſſima, perfectiſſimaque, qualis eſt viſio DEI, ut eſt in ſe, nulla datur idea, vel ſpecies a perceptione noſtra, illiuſque objecto diſtincta: nec ergo in ulla alia perceptione noſtra admitti debet talis idea, vel ſpecies. Ceterum diſſimulari nolim, plura apud S. Thomam occurrere contra hanc noſtram opinionem, quæ vix poſſumus emollire: verum „ in Philoſophia aliud „ D. Auguſtino videri ſolet, inquit Canus lib. X. de Loc. Theol. cap. 5. „ aliud autem videtur D. Thomæ . . . . . D. Auguſtino Plato ſummus eſt. D. „ Thomæ ſummus eſt Ariſtoteles „. Conſulatur & Muratorius lib. I. de Moder. Ingen. c. 21.

25.

in ſingulis corporis partibus præſens adſit, quod quidem volunt Peripatetici; parum tamen probant.

---

25. Ob. IV. Si perceptio idem ſit, ac idea, Anima nonniſi propriam poteſt intelligere perceptionem: nam Anima non tendit in objectum, niſi quatenus ipſi præſens eſt: in hac vero hypotheſi nihil præter perceptionem eſt Animæ præſens: itaque nil aliud Anima præter perceptionem percipiet.

26. Reſp. 1., hac objectione probari ſimiliter, Animam, ſi dentur ideæ a perceptionibus diſtinctæ, non poſſe percipere, niſi ideas ipſas; quod tamen falſum eſſe jam ſupra n. 22. cum S. Thoma obſervavimus. Reſp. 2. In ſenſationibus non ſolum eſt præſens Animæ perceptio; verum etiam præſens eſt, atque proportionatum ipſum ſenſibile objectum (ex cit. n. 20.). Si igitur mens valet, fatentibus Carteſianis (nec enim negare queunt), abſque ideis ſuperadditis objecta ſenſibilia percipere, & quorſum objecta alia abſtractione, reflexione, conjectura abſque imaginibus cognoſcere non poterit? Dicam quod ſentio: quemadmodum Carteſiani corpora, uti ſubſtantias inertes, otioſas, nulla vi præditas (ex jam cit. Nota (75)); ita Animas noſtras non uti ſubſtantias ſimplices vi percipiendi ornatas, meditatione, abſtractione, reflexione ideas claras, diſtinctaſque ſibi comparare valentes, ſed uti tabulas raſas ſtatuunt, in quibus nihil eſt pictum:

„ Sed vanus... hæc omnia finxerit error,
„ Amplexi quod habent perverſe prima viai.

27. Aliqua modo contra Mallebranchium dicenda. „ Videre aliquid, inquit Genoveſius p. alt. Metaph. p. 160. „ in aliquo cum duplici notione accipi poteſt, „ quemadmodum præclare eſt a Beato Thoma obſervatum, „ (cujus verba mox dabimus): 1. velut in objecto cognito: 2. velut in lumine, & principio. Priori modo imagines in ſpeculis videmus; poſteriori modo „ colores in lumine (utor veteri illo exemplo), aut „ in axiomatibus concluſiones. Rogo, qua cum notione Mallebranchius accipit? Si cum priori, objectum etiam ipſum cognitum, exploratumque habeamus „ oportet: quod nunc tantum abeſt, ut ſit verum, ut „ potius plerique reperiantur, qui aut nullam, aut

„ adeo

bant. Satius Animæ una aliqua pars ceu ſedes tribuitur, unde ipſa motus omnes in corpore &

„ adeo confuſam DEI notionem habent, ut ignora-
„ re DEUM potius, quam ſcire dici poſſint... Deinde
„ cur, quum omnes mentes æque DEO conjunctæ ſint,
„ non omnes tamen æque vident?... Innumeræ ſunt
„ hujuſcemodi concluſiones inter ſe, cum evidentia, & cum
„ ſyſtemate mallebranchiano pugnantes, quas qui conco-
„ quet eum numquam ſanum habuero. Videant igitur Mal-
„ lebranchiani, ſiqui ulli ſunt, ne nos dum intelligen-
„ tes facere conantur inſanos faciant:
„ Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
„ Quos ultra, citraque nequit conſiſtere rectum.
„ Quod ſi cum ſecunda notione *videre omnia in DEO* ac-
„ cipiat, tum tantundem eſt, atque ope divini lumi-
„ nis, ideſt rationis naturalis intelligere, quæ intelli-
„ gimus, quod nemo inficiabitur: at id nec novum eſt,
„ & tanto rerum apparatu non indigebat „.

28. Objicit I. P. Gerdillus p. 4. Diſſert. prælim. Op. cit. Docet conſtanter S. Auguſtinus, Animas noſtras, quæ vera cognoſcunt, in veritate immutabili videre, & hanc immutabilem veritatem eſſe DEUM: quærens enim S. Doctor lib. XII. Confeſſ. cap. 25. quomodo verum ſit, quod omnes homines conveniunt in quibuſdam efformandis judiciis, ait: *Ambo videmus verum eſſe, quod tu dicis; & ambo videmus verum eſſe, quod ego dico: ubi, quæſo, id videmus? non ego utique in te, nec tu in me; ſed ambo in ipſa incommutabili veritate*. Plura alia S. Auguſtini teſtimonia proponit laud. Cl. Auctor, quæ videri poſſunt etiam apud Thomaſſinum lib. I. cap. 14. de DEO uno.

29. Reſp. S. Thomas, qui non immerito a Doctis Auguſtinus contractus appellatur, exponens, quomodo omnia videamus in rationibus æternis, inquit 1. p. q. 84. a. 5. in c.: „ Cum ergo quæritur, utrum Anima hu-
„ mana in rationibus æternis omnia cognoſcat, dicen-
„ dum eſt, quod aliquid in aliquo dicitur cognoſci du-
„ pliciter; uno modo, ſicut in objecto cognito... Et
„ hoc modo Anima in ſtatu præſentis vitæ non poteſt
„ videre omnia in rationibus æternis; ſed ſic in ratio-
„ nibus æternis cognoſcunt omnia Beati, qui DEUM
„ vi-

advertat, & regat. Sed de hoc argumento plura in Phyſica.

CA-

„ vident, & omnia in ipſo. Alio modo dicitur aliquid „ cognoſci in aliquo, ſicut in cognitionis principio, ſi- „ cut ſi dicamus, quod in Sole videntur ea, quæ vi- „ dentur per Solem: & ſic neceſſe eſt dicere, quod A- „ nima humana omnia cognoſcat in rationibus æter- „ nis, per quarum participationem omnia cognoſcimus: „ ipſum enim lumen intellectuale, quod eſt in nobis, „ nihil eſt aliud, quam quædam participata ſimilitudo „ luminis increati, in quo continentur rationes æter- „ næ: unde in Pſ. IV. 6. dicitur: *Multi dicunt, quis o-* „ *ſtendit nobis bona?* Cui quæſtioni Pſalmiſta reſpondet „ dicens: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domi-* „ *ne*; quaſi dicat: per ipſam ſigillationem divini lumi- „ nis in nobis omnia demonſtrantur .... Quod autem „ Auguſtinus non ſic intellexerit, omnia cognoſci in „ rationibus æternis, vel in incommutabili veritate, qua- „ ſi ipſæ rationes æternæ videantur, patet per hoc, quod „ ipſe dicit in lib. LXXXIII. Quæſt., quod rationalis „ Anima non omnis, & quæcumque, ſed quæ ſancta, „ & pura fuerit, aſſeritur illi viſioni, ſcilicet ratio- „ num æternarum eſſe idonea, ſicut ſunt Animæ Beato- „ rum, & per hæc patet reſponſio ad objecta „.

„ Te ſequor . . . . , inque tuis nunc
„ Fixa pedum pono preſſis veſtigia ſignis.

30. Ob. II. idem Gerdillus p. 30., quod ex quibuſdam S. Thomæ principiis concludere nititur, ad perceptionem neceſſario requiri objecti ſpeciem intelligibilem, quæ objecti perfectionem contineat: at nulla entitas creata poteſt eſſe ſimilitudo intellectualis objecti, quæ perfectionem objecti contineat: hæc ergo ſpecies intelligibilis divina eſſentia eſſe debet.

31. Reſp. Fatente P. Gerdillo p. 144., nulla neceſſaria eſt ſpecies intelligibilis in ſenſationibus noſtris; & quorſum erit intellectualis hæc forma in perceptionibus aliis neceſſaria? Fortene ea in apperceptione opus eſt? Quod ſi in immediatis perceptionibus objecti ſimilitudo nulla eſt neceſſaria, multo minus in mediatis neceſſaria erit: in his enim jam ſupponitur objectum menti præſens, ſuper quod mens reflectit, diſcurrit, abſtra-

CAPUT V.

De Animæ humanæ Ortu, & Immortalitate.

196. ANIMA HUMANA NON NISI EX NIHILO ORIRI POTEST. Eſt enim ens ſimplex

---

ſtrahit &c., ut ex ſupra dictis patet. Quapropter ſpectra ſunt vana imagines illæ, quas, dum aliqua videmus objecta, habere confingimus.

32. De idearum Origine duæ ſunt celebriores Philoſophorum opiniones. Cenſuit Carteſius Medit. III., Animas creari a DEO quidem, cum corpori conjunguntur, ſed eodem tempore DEUM illis imprimere ſemina quædam idearum, quæ, niſi a motibus ſenſuum excitentur, percipi nequeunt. Dicebant cum Ariſtotele Scholaſtici, Animam noſtram nullam ideam in ſe impreſſam habere, ſed eſſe veluti tabulam, in qua nulla depicta eſt imago, licet tamen in ea poſſint omnia pingi. Exiſtimabant igitur, mentem nonniſi a ſenſibus rerum omnium formas, & imagines habere; unde vulgatum illud Peripateticorum enuntiatum: *Nihil eſt in intellectu, quin prius fuerit in ſenſu*. Huic ſententiæ, quæ a ſenſibus omnia repetit, eodem fere tempore, quo Carteſius pro platonica inſtauranda fruſtra laborabat, lucem plurimam adtulit Petrus Gaſſendus, eamque doctiſſime confirmavit: ſed omnium maxime Johannes Lokius ideas innatas acerrime profligavit; contenditque, ab hoc duplici fonte, ſenſu, & meditatione ideas omnes proficiſci. Adeo hæc philoſophandi ratio recentiſſimis Philoſophis arriſit, ut alia vix ulla poſſit abſque dedecore nominari.

33. Lokianum de idearum origine ſyſtema verum eſſe, mihi quidem ſequenti argumento perſuaſum eſt. Perceptiones innatæ non ſunt, ſed ſenſu, attentione, reflexione &c. acquiruntur: ideæ autem ſunt (n.18) perce-

(§. 136.) : entia ſimplicia autem non niſi ex nihilo oriri poſſunt (§. 180. Ontol.) : proinde-

---

ceptiones: innatæ ergo non ſunt ideæ. Major autem ex eo patet, quod actiones Animæ innatæ non ſunt, ſed ab Anima producuntur: at perceptiones ſunt actiones Animæ: ſunt enim Animæ vita, quæ in actione, non in paſſione conſiſtit. Et ſane quia judicia, ratiocinationes, volitiones ab Anima producuntur, non ſunt actus innati: unde a pari ſi perceptiones, ſive ideæ ab Anima producuntur, immediate a DEO non ſunt impreſſæ.

34. Accedit, idearum innatarum ſyſtema nullius uſus ad idearum explicandam originem eſſe poſſe: „ Nullam enim proferre poſſunt, quam non facile ſit oſtendere, qua via in nobis exoriatur, inquit laud. Genoveſius p. 166. „ Enimvero præcipuæ, ad quas appellant, „ ſunt idea DEI, ideæ primorum principiorum cum „ ſcientiarum theoreticarum, tum maxime etiam moralium, ideæ abſtractæ numerorum, & proportionis, „ atque ejuſmodi aliæ. At earum nulla eſt, quæ, ſi „ quidpiam ſenſu, & conjectura percipit mens, non poſſit oſtendi & eam inde originem trahere. Nam DEUM velut primam mundi cauſſam effectricem, & conſervatricem ex exiſtentia, qualitatibus, ſtructura, ordine, finibus rerum mundanarum ita poſſe intelligi, „ uti ex effectis cauſſæ aliæ, tam perſpicue demonſtratum „ eſt à viris doctis B. Thoma, Lokio, aliiſque, ut qui „ id inficiatur non modo impietatis, ſed ſtupiditatis „ argui poſſit. Deinde prima ſcientiarum axiomata, & principia, ut in Geometria geometrica, ex ſimplici collatione „ idearum naſci, id adeo eſt exploratum, ut ſupervacuam exiſtimo operam omnem, quam in ea re demonſtranda impendit Lokius. Principia quædam moralia, *Deum amandum ſuper omnia: Proximum ut æqualem ſpectandum: Nihil alteri faciendum, quod tibi fieri nolis*, ex ideis DEI, hominum, naturæ ſocietatis, „ utilitatis & naſcuntur, & corroborantur. Quamquam in hoc ego Patronos Platonicorum miror, qui „ dum ideas innatas tueri ſtudent, judicia quoque, & „ ratiocinia innata mentibus eſſe pronuntiant. Quod utcumque tolerari in Platonicis poſſit, quippe quod eſt eo-

„ rum

deque &c.

SCH. Quotquot alio modo Animam ad exiſtentiam

A a 3 *per-*

,, rum doctrinæ de præexiſtentia animorum conforme :
,, in his, qui ab illa doctrina deſcivere, membrum vi-
,, deri poteſt ſine capite, concluſio ex negatis princi-
,, piis. Jamvero eodem modo ideæ numerorum, proportio-
,, nis, aliæque abſtractæ explicari poſſunt : naſcuntur
,, enim illæ aut diviſione idearum ſenſibilium, aut me-
,, ditatione, & conjectura; quam rem iſti negare ut
,, impoſſibilem nequeunt, quouſque ſenſu, & conjectura
,, plurima percipi fatentur ,, .

35. Objicit P. Sicco laud. Op. p. 113. ,, Equidem non a-
,, liter, inquit, nec alia ratione eſſe poſſunt in nobis
,, rerum ideæ, niſi vel quia a rebus ipſis per ſenſus im-
,, mittuntur in animum, vel quia mens ex ſeſe eas
,, effingit, vel quia DEUS illas nobis largitur : atqui
,, neque ab externis rebus, ſeu objectis, neque ab hu-
,, mana mente proficiſcuntur ideæ : ergo a ſolo DEO
,, illarum origo peti poſſe videtur. Major propoſitio
,, per ſe patet: prima vero minoris pars facile oſtendi-
,, tur. Nam res quæcumque vel ſpirituales ſunt, vel
,, corporeæ. In corporeis quidem, ac ſenſibilibus vim eſſe
,, idearum effectricem nulla vel leviſſima ratione ſuade-
,, ri poteſt. Quinimmo ſpectato naturali rerum ordine,
,, fieri nequit, ut quid corporeum cauſſa ſit effectrix ali-
,, cujus, quod ſit ſpiritualis naturæ; cujuſmodi eſſe i-
,, deam jam diximus. Si vero de rebus ſpiritalibus
,, ſermo ſit, liquido conſtat, non poſſe illas ſenſibus
,, percipi, nec ab iis proinde proficiſci poſſe imagines,
,, quæ ſenſuum miniſterio transferantur ad animum.
,, Quod enim ſenſibus percipitur, quamdam ſane cum
,, iis proportionem, ſeu coaptationem habeat neceſſe
,, eſt, ut lucidum cum viſu, ſonorum cum auditu &c.:
,, atqui res ſpirituales nullam hujuſmodi proportionem
,, habent cum ſenſibus: ergo ſenſibus percipi nequeunt.
,, Sequitur nunc, ut eorum confutemus opinionem, qui
,, cenſent idearum originem ab ipſa hominis mente pe-
,, tendam eſſe, quæ ſit earumdem effectrix. Quod quidem
,, falſum eſſe mihi perſuadet hoc argumentum. Ante-
,, quam mens rei alicujus ideam efficiat, vel rem i-
,, pſam noſcit, vel ignorat. Si noſcat: ergo jam ejuſdem
,, rei

perduci poſſe ſtatuunt, contra ejus ſimplicitatem ſentiunt, hoc eſt, fingunt ſibi Animam compoſitam ex par-

„ rei idea informata eſt, adeoque ad rem ipſam percipiendam non opus eſt novam cudere ideam. Si autem „ ignoret: ergo fieri numquam poterit, ut legitimam „ rei illius cognoſcendæ ideam formet, quia rei ignotæ „ nulla fingi poteſt imago, ſeu idea „.

36. Reſp. Animam eſſe propriarum idearum cauſſam effectricem jam dixi (n. 32.): nec hinc ſequitur, Animam divinando proprias cudere ideas. Anima enim in ſenſationibus ab ipſis impreſſionibus in corpore factis ad talem producendam perceptionem *objective* determinatur, & non ad aliam; ſive ad tale cognoſcendum objectum. Cognoſcit utique objectum, quod ante non cognoſcebat; ſi enim jam cognoſceret, novam non produceret perceptionem: at hoc non eſt divinando cognoſcere. Ad cognitiones vero rerum ſpiritualium, abſtractarumque quod attinet, Anima, attentionem ſuam ſuper objectum ſenſibile jam cognitum dirigendo, clarius objectum, diſtinctiusque cognoſcit, relationes item, nexus, ſimilitudinem objecti. Ex quibus alias veritates abſtrahendo, conjectando, argumentando deducit, quas ignorabat. Verum enimvero allatum Carteſianorum argumentum non ſolum probat, ideas eſſe innatas; verumetiam & ratiocinia innata eſſe. Antequam enim mens rei alicujus ratiocinium efficiat, vel noſcit unum judicium eſſe cum alio connexum, vel ignorat: ſi noſcat; jam ergo ratiocinium efformatum eſt: adeoque ad rem ignotam cognoſcendam novum cudere non opus eſt judicium: ſi autem ignoret; fieri ergo nunquam poterit, ut legitima ratiocinatione rem ignotam cognoſcat, quia rei ignotæ nullum fieri poteſt judicium. Quam ſolide ergo ajebat Genoveſius n. 34., non poſſe ideas innatas defendi, niſi & judicia defendantur innata?

37. Plura alia proferunt Carteſiani argumenta, ut ideas innatas tueantur: præcipuum tamen illud eſt, quod ex idea DEI depromunt. Præter ea, quæ jam indicata ſunt, aliqua adjiciam in Theolog. Nat. Conſulatur interim Huetius in Cenſura Philoſoph. Carteſ. p. 124.

partibus. (125)

197. Quæri autem ſolet, quandonam Anima actum, ſeu exiſtentiam conſequatur? Ac nos quidem iis aſſenſum non præbemus, qui docent ſtatim ſub mundi principium omnes, ac ſingulas Animas a DEO eſſe creatas; neque enim rationes, quas adferunt, tanti ſunt ponderis, ut per alias rationes dilui nequeant. Unde rectius dici poterit, Animam tunc demum temporis a DEO ex nihilo produci, cum corpus ſufficienter diſpoſitum, aptatumque fuerit ad actiones Animæ excipiendas, viciſſimque illius vim determinandam: quod tempus tamen quoniam obſcuriſſimum, fatentibus omnibus Philoſophis, occultiſſimumque eſt, tempus quoque ortus ipſius A-

 nimæ

38. Unum addere liceat de ſexto moralitatis ſenſorio. Jam Nota (93) ad §. 16., & Nota (113) ad §. 134. n. 9. dictum eſt, Materialiſmum olere ſextum hunc moralitatis ſenſorium: actionum namque humanarum honeſtas, vel turpitudo ex conformitate, vel diſcrepantia cum prima, ſummaque morum regula eſt deſumenda. Hoc autem eſt ne aliquod ſenſibile, quod poſſit externo cognoſci ſenſorio? Fortene poterit reſpectus ille ſpiritualis confictas morales fibras corporeas concutere? Quid? Incorporeas, ſpiritualesque res organo materiali immediate cognoſcimus? Quanta præſtat æſtuans imaginatio!

(125) Propagatio per traducem eſt, cum ex Anima generantis portio decerpitur, ut inde fiat Anima geniti. Qui Animas rationales per traducem propagari defendunt, *Traduciani* vocantur. Traducianorum autem hypotheſis eſt impoſſibilis: ſubſtantias enim ſimplices, cujuſmodi ſunt Animæ humanæ, per traducem propagari eſt impoſſibile. Leviſſimas illorum rationes proponit, ſimulque explodit S. Thomas lib. II. contra Gentes cap. 88.

nimæ occultum, obſcurumque cenſeri poterit. (126)

198.

(126) 1. Animas omnes rationales initio temporis a DEO fuiſſe creatas, & organicis corpuſculis incluſas contendit Vvolffius §. 704. Pſych. Rat. contra ipſum tamen eſt, quod a communi Philoſophorum ſententia recedendum non ſit, niſi gravia ſuadeant argumenta, quæ ad rem noſtram minime ſuppetunt.

2. Et ſane en quæ a Vvolffianis adducuntur argumenta. I. Germina omnia humana fuere ab initio creata: homo connotat Animam, & corpus: ergo omnes Animæ extiterunt ab initio; alias germina humana non eſſent humana. Ita Alembertus in Opere alias laudato. II. Vvolffius §. 705. Pſych. Rat. inquit: „ DEUS die „ ſeptimo a creando ceſſaſſe legitur; unde Theologi re„ cte colligunt, quod hodie nil amplius creet, ſeu ex „ nihilo producat. Scripturæ igitur convenit creatio „ Animarum in prima ſtatim creatione a DEO facta „. III. „In corporum ortu, inquit idem §. 834. Theol. Nat., „ nihil novi creatur. Quamobrem hodie nihil amplius „ creatur „. IV. „Totus mundus hic adſpectabilis eſt unum „ ens, cui adeo nihil demi poteſt, vel addi, ſalva e„ jus eſſentia „.

3. Reſp. ad I. Ut germen, ex quo homo ſuum ducit ortum, nuncupetur humanum, non requiritur, ut Anima ſit illi actualiter præſens, ſed ſufficit, quod ad Animam talem dicat ordinem, ut ex germine, atque Anima coaleſcere poſſit homo. Nonne cadaver hominis vere, & proprie dicitur humanum, quia corpus hominis fuit? Dicetur & germen, ex quo generabitur homo, humanum, quia hominis erit corpus. Ad. II. „ Dicitur „ DEUS requieviſſe die ſeptima. Primo quidem, ait S. Thomas 1. p. q. 73. a. 2. in c. „quia die ſeptima ceſ„ ſavit novas creaturas condere: nihil enim poſtea fe„ cit, quod non aliquo modo præceſſerit in primis o„ peribus „. „ Quædam, docet ibid. ar. 1. ad 3., præ„ ceſſerunt ſecundum ſimilitudinem, ſicut Animæ, quæ „ nunc creantur „. Ad III. In corporum ortu ſolam partium poſituram, ordinem, concurſum &c. mutari conſtat ex Nota (72) ad §. 17. Coſm.: non idem autem dicendum de hominis ortu: præter enim corpus conſide-

198. Quemadmodum Anima humana, cum ens ſimplex ſit, non niſi ex nihilo oriri poteſt, ita ob

---

deranda venit Anima, quæ ſubſtantia ſpiritualis eſt, novaque partium textura gigni nequit. Ad. IV. Novas rerum ſpecies huic mundo neque addi, neque demi ab ipſo poſſe, quin mundus mutetur, facile concedam: at non poſſe, immutato rerum ordine, novas creari Animas, ut ſpecies humana conſervetur, non probat Vvolfſius, nec ſane probabit unquam: ſeries enim ſucceſſivorum ſimultaneam omnium rerum coexiſtentiam minime poſtulat.

4. Animas ante corpora extitiſſe, & ob peccatum pœnas ſubituras in corpora fuiſſe detruſas, cum Ægyptiis ſtatuerunt Pythagoras, & Plato. Suam fecit hanc ſententiam Origênes: ſed eam tamquam revelatæ de propagatione peccati originalis doctrinæ adverſam improbarunt Sancti Patres, & cum ipſis Theologi omnes. Quæ Origenem adduxere, ut Animas fuiſſe olim ante corpora creatas crederet, ad hæc revocantur ex S. Hieronymo in Ep. ad Avitum: 1. Hæc in Pſalmis habentur: *Priuſquam humiliarer, ego deliqui. Revertere Anima mea in requiem tuam. Educ de carcere Animam meam. Confitebor Domino in regione vivorum*. 2. Niſi Animæ peccaverint, antequam corporibus copulentur, DEUS eſt injuſtus; quum quaſdam uniat Animas corporibus infirmis. 3. Anima eſt ſubſtantia ſpiritualis: ergo dum corpori unitur, deprimitur; adeoque punitur.

5. Quis Origenem Scripturæ verbis tam inſane abutentem ferat? Nonne Sacræ Litteræ nobis exhibent Adami Animam innocentem eſſe a DEO creatam, pluribusque donis exornatam? Verum ad ſingula breviter reſpondeamus. Ad 1. Rectiſſime inquit Davides a DEO ſe fuiſſe humiliatum in præcedentium peccatorum pœnam, non utique in Cælo, ubi nuſquam fuerat, ſed in terra ab ipſo commiſſorum. Davidicam hiſtoriam callentibus perſpicuum id eſt. Quum vero Davides, antequam peccata committeret, pace beatiſſima, quæ in ſuaviſſimo in Deum amore conſiſtit, frueretur, commiſſumque peccatum contra ipſum eſſet ſemper, & anguſtiis premeret intolerabilibus, ſemet interrogans ajebat: *Quare triſtis es Anima mea, & quare conturbas me?*

Cir-

ob eandem rationem aliter quam per annihilationem interire nequit (§. 184. Ontol.): enimvero in rerum natura nulla vis ſuppetit ad annihilandum vel unum aliquod ens: quod adeo conſequens fit, ANIMA HUMANA AB INTERITU LIBERA, AC EXEMPTA EST, INTEREUNTEQUE PER CAUSSAS NATURALES CORPORE, IPSA IN EXISTENTIA PERSEVERAT.

SCH. 1. *Paſſim Philoſophi corpus* corruptibile, *Ani-*

Circumdederunt me dolores mortis, & pericula inferni invenerunt me: REVERTERE ANIMA MEA IN REQUIEM TUAM: non quod deſideraret ad Cælum reverti, ſed ad pacem cordis, qua antea feliciſſime fruebatur. Quamdiu homo heic vivit, pluribus erroribus eſt obnoxius; vigilandum ipſi continuo, ne paſſionum æſtu abreptus in turpiſſima labatur peccata. Corpus quod corrumpitur aggravat Animam: hinc Anima corpus ſuum non conſiderat, ut compartem, ſed ut impedimentum, ne factore ſuo fruatur, & ad Dominum clamat: EDUC DE CARCERE ANIMAM MEAM. Breviter. Corpus eſt Animæ carcer non reſpectu termini, *a quo* eſt Anima, ſed reſpectu termini, *ad quem* tendit Anima juſti.

Ad 2. Mors, aliique corporales defectus, ut gibboſitas, membrorum inæqualitas, prava organorum diſpoſitio, aliaque ſimilia, effectus ſunt peccati originalis, & per adamicum peccatum in mundum invecta. Hinc DEI miſerentis eſt gratia, ſi quoſdam a defectibus præcavet; non tamen injuſtitiæ poteſt culpari, ſi alios iis defectibus ſubjacere permittat. „ In his, quæ ex gratia dan„ tur, inquit S. Thomas 1. p. q. 23. ad 3., poteſt aliquis „ pro libito ſuo dare cui vult plus, vel minus, dum„ modo nulli ſubtrahat debitum, abſque præjudicio „ juſtitiæ „.

Ad 3. Quamquam Anima humana ſubſtantia ſit ſpiritualis, poſſitque ſine corpore exiſtere; dum tamen a DEO creatur, ac corpori conjungitur, non deprimitur, ſed perficitur. Eſt quidem Anima ſpiritualis; verum ejus percipiendi vis ita eſt limitata, atque circumſcripta, ut corpore indigeat ad ſcientias ſibi comparandas. Conſulantur quæ in Nota (124) n. 11. dicta ſunt.

nimam vero ab intrinſeco incorruptibilem *ſtatuunt*, *id quod ita porro explicant, ac ſtabiliunt: Corpus conſtat ex partibus certo modo combinatis, quæ quidem partes per cauſſas naturales, mediante motu, varie affici, ac etiam diſſolvi poſſunt, in qua diſſolutione, quoniam corruptio conſiſtit, patet, corpus eſſe corruptibile. At enim Anima, cum ex eſſentia ſua partibus careat, nulla utique diſſolutio in ea locum habere poteſt, liquet proinde, eam ab intrinſeco eſſe incorruptibilem.*

SCH. 2. Atque in his nihil equidem fuerit, quod vitioſum reputetur: ſed enim anne eo pertinere exiſtimentur, ut immortalitas Animæ humanæ evicta exinde certa habeatur? Atqui vero immortalitas amplius quid dicit, quam incorruptibilitas. Nonne ſunt, qui etiam materiam dicunt eſſe incorruptibilem, quin tamen eandem immortalem dicere auſint? Diſpiciendum itaque quid porro ſit, ob quod demum Anima immortalis jure cenſeri debeat.

199. Etſi vis Animæ per eſſentiam ſuam ita ſit comparata, ut per actionem corporis determinari poſſit ad aliquid repræſentandum, non tamen neceſſario actu determinatur ita, ut ſine ejuſmodi actuali determinatione ſimpliciter in actum prodire nequeat: hinc colligimus, ANIMAM SUAS HABITURAM OPERATIONES, ETIAM POSTEAQUAM CORPUS INTERIERIT, TAMETSI NECESSE FUERIT, UT ALIO EAS MODO HABEAT.

200. Atque ex hoc, quod Anima per eſſentiam ſuam habeat aptitudinem ad ſuæ naturæ proportionatas operationes etiam ſine corpore, demum, meritoque illi immortalitas tribuenda videtur; quippe exinde intelligimus, non modo impoſſibile eſſe, ut ipſa aliquando corrumpatur, ſed

cum

cum ratio ſufficiens perdurandi adſit, naturaliter non futurum, ut ſimpliciter deſtruatur.

SCH. Hæc de immortalitate Animæ ex principiis philoſophicis. Per principia revelata Animam eſſe immortalem ſatis utique conſtat. (127)

SE-

(127) 1. Sed Auctoris argumentum, dicet aliquis de Schola Epicuri, invincibiliter Animæ immortalitatem non probat. Sit ita. „ Nonne purior ratio eſt, inquit Arnobius lib. II. adverſus gentes „ ex duobus incer-„ tis, & in ambigua expectatione pendentibus id po-„ tius credere, quod aliquas ſpes ferat, quam omnino „ quod nullas? In illo enim periculi nihil eſt, ſi, quod „ dicitur imminere, caſſum fiat, & vacuum: in hoc „ damnum eſt maximum, ideſt ſalutis amiſſio, ſi, cum „ tempus advenerit, aperiatur non fuiſſe mendacium. „ Quid dicitis, o neſcii, etiam fletu, & miseratione di-„ gniſſimi? Ita non extimeſcitis, ne forte hæc vera „ ſint, quæ ſunt deſpectui vobis, & præbent materiam „ riſus? Nec ſaltem vobiſcum ſubobſcuris cogitationi-„ bus volvitis, ne quod hac die credere obſtinata re-„ nuitis perverſitate redarguat ſerum tempus, & irre-„ vocabilis pœnitentia caſtiget.... Quare homines abſ-„ tinete quæſtionibus vacuis impedire ſpes veſtras: nec „ ſi aliter, quam vos putatis, aliquid ſe habet, veſtris po-„ tius opinionibus credere, quam rei debetis auguſtæ. „ Urgent tempora periculis plena, & exitiabiles immi-„ nent pœnæ: confugiamus ad ſalutarem DEUM; nec „ rationem muneris exigamus oblati.... Committamus „ nos DEO, nec plus apud nos valeat incredulitas no-„ ſtra, quam illius nominis, & potentiæ magnitudo: „ ne dum ipſi nobis argumenta conquirimus, quibus „ eſſe videatur falſum id, quod eſſe nolimus, atque ab-„ nuemus verum, obrepat dies extremus; & inimicæ „ mortis reperiamur in faucibus „. Hucuſque Arnobius.

2. Quæcumque adverſus Animorum incorporalitatem, & immortalitatem depravata ſuppeditat ratio, unus complexus eſt Lucretius lib. III. de rer. Nat. Ejus argumenta contraho cum Lambino in hanc formam. 1. Anima conſtat ex primis corporibus longe ſubtilioribus, & minoribus, quam aqua, aut nebula, aut fumus: at

aqua

SECTIO II.

De Spiritibus, & Animabus Brutorum.

CAPUT I.

De Spiritibus.

201. DE Spiritibus exemplo aliorum quædam traditurì, quid hoc nomine *Spiritus* gene-

aqua, vaſe fracto, diffluit, ac diffugit; fumus, & nebula, qua patet exitus, diſcedunt in auras: ergo multo magis Anima, cum exceſſit e corpore, diffunditur, ac diſſipatur. 2. Mens una cum corpore gignitur, creſcit, ſeneſcit: ergo & cum corpore moritur. 3. Animus interdum morborum corporis eſt particeps; ideſt morborum corporis ſenſus, & contagio ad Animum penetrat, ac permanat: æque ergo ac corpus interit: 4. Cum vis vini penetravit, in venaſque diſceſſit diditus ardor, conſequitur membrorum gravitas, adeoque &c. 5. Sæpe aliquis vi morbi coactus ſubito ante oculos noſtros
„ Concidit, & ſpumas agit, ingemit, & tremit artus,
„ Deſipit, extentat nervos, torquetur, anhelat,
„ Inconſtanter & in jactando membra fatigat...
„ Hæc igitur tantis ubi morbis corpore in ipſo
„ Jactetur, miſeriſque modis diſtracta laboret:
„ Cur eamdem credis ſine corpore in aere aperto
„ Cum validis ventis ætatem degere poſſe?
6. Animum ægrum ſanari videmus, ut corpus: ſanari autem nil poteſt, quin ei vel aliquid addatur, vel detrahatur; quod autem immortale eſt, ei nihil nec addi, nec detrahi poteſt: Animus ergo eſt mortalis. 7. Partes hominis ſingillàtim moriuntur; ideſt homo membratim interit, & ita ſcinditur Anima; quod ſi ei eve-

neratim intelligendum ſit, primum exponamus oportet. Itaque per ſpiritum in genere indigitamus

venit, mortalis habenda eſt. 8. Mens pars eſt hominis, ut manus, oculus, cetera: at pars a toto homine ſeparata nec ſentire, nec eſſe poteſt: Animus ergo ſine corpore conſtare non poteſt. 9. Si Anima a corpore ſejuncta ſentire poteſt; erit ergo quinque ſenſibus prædita: at neque oculi, neque nares, neque manus, neque lingua, neque aures ſine Anima eſſe poſſunt; neque ſenſus ſine oculis, naribus, lingua, auribus: Anima ergo a corpore ſemota non ſentit: adeoque nec eſt immortalis. 10. Quum tota Anima ad totum corpus pertineat, perque illud permanet, ſequitur, ut, corpore humano diviſo, ipſa quoque dividatur: at quod dividitur mortale eſt: ergo &c.

3. Infirma tamen admodum, & levia ſunt hæc, quibus utitur Lucretius, argumenta; neque vero poſſunt ulla afferri firmiora. „ Quod ſi eſſent firmiſſima, inquit Lambinus, nihil apud nos valerent tamen Religione Chriſtiana imbutos. Vetat enim pietas cum in pleriſque aliis, tum in hoc maxime audire Epicurum„. Itaque ad 1. patet reſponſio ex Nota (113) ad §. 134. Ad 2. Animam cum corpore ſeneſcere negat Ariſtoteles lib. I. de Anima, docetque quemadmodum, ſi ſenex juvenis oculum ſumeret, fore, ut æque acute cernat, atque juvenis: ita ſi inſtrumentum, aut vas Animæ detur ſeni integrum, ac recens, fore, ut contempletur, cogitet, intelligat perinde, ac ſi juvenis eſſet. Non eſſe igitur Animæ vitium, ſi ſenes delirent, aut deſipiant, ſed corporis; neque ſenectutem eſſe in animo, ſed in inſtrumentis, animique ſedibus: animum enim eſſe morbi, ſeniique expertem, & divinum quiddam. Ad. 3. Facile & hoc ſolvitur ex legibus unionis mentis cum corpore. Ad. 4. Et iſtud valde eſt imbecillum: eſt enim non intelligentis, hæc omnia fieri, & accidere vitio corporis, non animi. Ad. 5. Hujus argumenti eadem eſt ratio ac ſuperioris. Ad 6. Non Anima, ſed corpus emplaſtris ſanatur, & medicamentis: nihil igitur Animæ additur, vel detrahitur. Ad. 7. In homine morti proximo partes corporis paullatim obſtupeſcunt, ſuoſque ſenſus amittunt: non quaſi Anima membratim intereat, atque ſcindatur; ſed

mus *Ens ſimplex intellectu*, *ac voluntate præditum*.

SCH. *In hac definitione nominali* Spiritus *non modo talia adferri advertes*, *quæ ſibi non repugnant*; *ſed quæ quoque ſufficiunt ad ſpiritum a corpore*, *&* *quolibet alio ente ſatis pro omni tempore diſcernendum*.

202. Hinc autem ſequentia unuſquisque colliget: I. Quæ in Ontologia de entibus ſimplicibus tradita ſunt, de ſpiritibus etiam poſſunt prædicari. II. Sola ſimplicitas, ſive immaterialitas non ſufficit, ut notio completa ſpiritus habeatur; ſed requiritur etiam intellectus, ac voluntas. III. Unde contra plane, quam regulæ recte ratiocinandi expoſcant, argumentabitur, qui ex eo, quod ens aliquod dici ſimplex audiet, inferet: ergo eſt ſpiritus. IV. Eo eſt perfectior ſpiritus, quo perfectiore gaudet intellectu, & voluntate: iſque ſpiritus perfectiſ-

---

ſed quia partium apta ſtructura ceſſat pedetentim, eædemque fiunt ad impreſſiones recipiendas, deferendas, repræſentandas ineptæ. Ad 8. eſt quidem Anima hominis pars, ſed nobiliſſima, atque præcipua: nempe eſt ſubſtantia ſpiritualis, hominemque reddit ad imaginem DEI factum. Ad 9. Non habet Anima a corpore ſeparata ſenſationes, ſed percipit, & vult. Intellectum, & voluntatem habet Anima a corpore ſeparata, non ſenſus. Conſulatur Nota (92) ad §. 15., & Nota (107) ad §. 100. Ad 10. Animam in toto corpore hominis ineſſe, & per totum hominis corpus eſſe diffuſam haud concedendum: Anima enim ſoli cerebro eſt immediate præſens, uti ſuo loco dicemus. Omnia fere Lucretii argumenta adverſus Animarum immortalitatem diluit, ac refellit Lactantius Firmianus lib. VII. de Divino Proœmio cap. 12. Eadem pariter ſolidiſſime refutat elegantiſſimus Polignaccus lib. V. a v. 735. uſq. ad 786., & a v. 931. ad 1010., quæ videſis. Qui tandem Socinianorum argutiolas contra Animæ immortalitatem, ſolidaſque ad eaſdem reſponſiones deſiderat, adeat Cl. Patuzzium lib. I. de Fut. Imp. ſtatu.

ctiſſimus, qui gaudet intellectu perfectiſſimo, & perfectiſſima voluntate.

203. In spiritibus sapientiæ potest esse locus. Sapientem enim dicimus, qui novit actionibus ſuis convenientes præſcribere fines, mediaque, quæ ad eos ducunt, eligere, ac fines particulares ita ſibi invicem ſubordinare, ut propiores ſint media remotiorum: enimvero hæc præſtare poteſt ens intellectu, ac ratione præditum, quale eſt omnis, & ſolus ſpiritus: in ſpiritibus proinde ſapientia locum habere poteſt.

204. Sapientiæ opponitur ſtultitia, cujus adeo manifeſta indicia in ſpiritu aliquo tunc habentur, quando is fines actionibus ſuis præfigit inter ſe pugnantes, mediaque eligit vel ad finem conſequendum inepta, vel illi plane contraria.

205. Ex tradita doctrina de Anima humana aperte intelligitur, quod ipsa sit in numerum spirituum referenda. Oſtenſum enim eſt, Animam humanam eſſe ens ſimplex; item gaudere intellectu, & voluntate: quibus notio ſpiritus abſolvitur (§. 201.).

206. In Theologia Naturali clarum, perſpicuumque fiet, DEUM quoque eſſe ſpiritum, eumque perfectiſſimum. Porro ex Litteris divinis certum etiam nobis eſt, præter DEUM, & Animas humanas, alios quoque dari ſpiritus, eos nempe, qui *Angeli* paſſim dicuntur. Ajo hoc nobis certum eſſe ex divinis Litteris; ratione enim nemo id evicerit: ob quod ipſum putaverim, Philoſophum fuſiore pertractatione de Angelorum natura, proprietatibus &c. ſine vitio ſuperſedere poſſe. (128) 207.

(128) „ Angelorum exiſtentiam confirmant arre-
„ pti-

207. Cæterum nemo etiam in hoc quidpiam impoſſibilitatis, ac contradictionis eſſe oſtenderit, ut actu plures, atque a noſtris Animabus diverſi ſpiritus dentur. Quid quod in Phyſica perquam probabile eſſe evincatur, Planetas, ceu corpora telluri noſtræ ſimillima, incolis ſuis non deſtitui? Attenta ergo ſimilitudine, & analogia, concludendum profecto, quod tales quoque exi-

 ſtant

„ ptitii, ſeu obſeſſi illi homines, qui, licet quandoque rudes ſint, & idiotæ, nihilominus de rebus ſibi prorſus incompertis, & quæ vel eruditiſſimorum virorum torquent ingenia, apprime diſſerunt, & peregrino loquuntur idiomate: abſentes, & quæ ab iis etiam in locis diſſitis, aut reconditis fiunt, patefaciunt, manifeſtantque: feruntur in altum, etiamſi nullæ admoveantur ſcalæ: aliaque id genus agunt, quæ corporeas vires omnino ſuperant. Neque hæc omnia in DEUM tamquam auctorem referri poſſunt; quum ſæpe contingat, homines illos obſeſſos, ceteroqui pios, in enormes blaſphemias contra DEUM erumpere. Ergo hæc non aliunde petenda ſunt, quam a malignis ſpiritibus. Equidem nemo inficias ibit, quin plures hoc loco fabulæ venditentur: attamen omnia prorſus negare, quæ de Energumenis, & Magis narrantur, periculoſum eſt, nequid amplius dicam. Atqui ſunt, qui eruditionis eſſe putant, fidem iis etiam detrahere, quæ oculati teſtes ſanctitate, & doctrina præcellentes publice facta referunt, ſi hæc inſolita ſint, aut præter conſuetum naturæ ordinem eſſe videantur, quod certe non eruditionis, ſed ignorantiæ potius, aut ſummæ temeritatis, & pertinaciæ argumentum eſt, præſertim quum S. Literæ ſimilia quædam narrent, quæ proinde abſque Fidei detrimento non modo negari, ſed ne in dubium quidem vocari poſſunt „. Ita P. Sicco p. 446. De Spirituum apparitionibus legenda omnino eſt epiſtola 27. lib. 7. Plinii ſecundi. Legenda pariter eſt Diſſertatio P. Athanaſii Cavalli edita anno 1765., cui titulus: *Delle apparizioni, ed operazioni degli Spiriti.*

ſtant, qui facultate res diſtincte ſibi repræſentandi, atque adeo intellectu, et voluntate gaudent; conſequenter ſpiritus ſunt. Et quoniam Planetarum aliqui partim tellurem noſtram magnitudine ſua excedunt, partim Soli propiores ſunt, eſſe ſane poteſt, ut in illis nobiliores, perfectioreſque ſpiritus, quam quidem noſtri ſunt, reperiantur. (129)

SCH. Apud Scholaſticos hanc ſpirituum diviſionem reperias: eſt 1. Spiritus infinitus, & increatus, nempe DEUS. 2. Sunt ſpiritus finiti, & creati. Hi porro ſunt vel completi, qui *ſcilicet* non ordinantur ad unionem, *quales ſunt* Angeli; *vel* incompleti, qui divinitus ad unionem ſunt ordinati, *quales ſunt* Animæ humanæ. *Quod tamen juxta Recentiores ita accipiendum, ut Anima humana cenſeatur pars conſtitutiva hominis; non item, quod volunt Peripatetici, forma corporis.* (130)

CAPUT II.

De Animabus Brutorum.

208. DE animabus Brutorum nequicquam quæſiverimus, niſi quemadmodum cum de Ani-

(129) Infinitos eſſe poſſe Spirituum ordines ego putem: vires enim clare, diſtincteque percipiendi poſſe infinitis gradibus inter ſe diſtare, ex iis, quæ in Nota (124) ad §. 195. n. 12. dixi, ſplendidiſſime patet.

(130) Putat Genoveſius par. alt. Metaph. p. 113. (& quidem ſolide) antiquorum de unione Animæ cum corpore Peripateticorum opinionem Materialiſtis plurimum favere: ſi enim Anima ita eſt forma corporis, ut illi

Anima humana ageremus, ante omnia definiebamus, quid nomine Animæ intelligendum veniat; ita & hic nominis definitionem præmittamus: etenim cum neminem facile reperturus ſis, qui bruto animam deneget, comperies tamen aliud ab hoc, aliud ab alio nomine animæ indigitari: unde autem nullus diſceptationum finis, atque exitus fuerit.

209. Itaque hoc etiam loco vox *Anima* ſignificat *Ens, quod ſibi aliorum conſcium eſſe poteſt*, hoc eſt, quod ſibi alia tanquam entia extra ſe conſtituta repræſentare valet (§. 4.).

210. Bruta sunt animabus prædita. Etenim cum illa perinde, ac homines organis ſenſoriis, nerviſque juxta, ac cerebro inſtructa obſerventur; non ſecus in illorum cerebro ab objectis organa ferientibus mutationes, ſive ideæ materiales producuntur, atque in homine: jamvero in homine nemo negat has mutationes organorum, & cerebri eo pertinere, ut vis quædam, ſive principium percipiendi, & repræſentandi limitetur, atque in hunc potius, quam alium actum exeat: nec ergo negare fas fuerit, in brutis eodem pertinere: & quoniam mutationes organorum, ac cerebri in brutis non abſimiles ſunt iis, quæ in hominibus accidunt, inferendum porro, quod, quemadmodum in hominibus oriuntur perceptiones, ac repræſentationes claræ, hoc eſt tales, vi quarum res perceptæ diſcernuntur, ita in brutis hujuſcemodi quoque perceptiones, & repræſentationes oriantur: ſunt itaque bruta animabus præ-

illi extenſionem afferat, materialis eſt: ſi enim materialis non eſſet, corpori extenſionem impertiri haud poſſet.

dita (§. præc.). (131)

SCH. 1. *Non equidem negari poteſt, omne probationis allatæ momentum in analogia, ſeu ſimilitudine eſſe conſtitutum; quod tamen in ſaniori Philoſophia, immo nuſpiam non haud leve videri debet. Et certe quiſquis hominum exiſtentiam Animæ alterius cujuſdam hominis aſſertam, vindicatamque volet, quo demum alio argumentandi modo, præſcindendo a principiis revelatis, uti poterit, quam hoc ab analogia repetito? Equidem de exiſtentia Animæ propriæ quiſque demonſtratione certus eſſe poteſt, ut ſupra docuimus, non item de exiſtentia Animæ alterius.*

SCH. 2. *Sed forte hic analogia, ac ſimilitudo ob latentem aliquam contradictionem locum habere non poteſt? Id vero oſtendat demum aliquis; quo non oſtenſo, ſua probationi vis conſtet, oportet: Ad* conſequentias *quidem recurritur; ſed has ex æquo non formari per dicenda haud obſcure intelliges.* (132)

211.

---

(131) Argumentum ex organorum analogia depromtum paucis proponitur: ,, Eadem ſunt in brutis organa, ac in hominibus: dicere non eundem eſſe finem, ,, eſt abuti patientia eorum, qui ſerio philoſophantur,, inquit Genoveſius in Diſſert. de Anima Brutorum p. 241.

(132),, Omnes analogiæ leges demonſtrant, bruta ,, ſpontaneis motibus eſſe prædita. Nullus eſt enim in ,, homine motus ſpontaneus, qui in brutis locum non ,, habeat. Eædem capitis commotiones; eædem oculorum converſiones, pedum elevationes, tenſiones, contractiones: & hæ quidem ob eaſdem cauſſas eædem in ,, homine, & bruto. Quod oſtendit, motiones iſtas in ,, homine, æque ac in brutis eſſe ſpontaneas: ſimilium ,, effectuum ſimiles eſſe cauſſas neceſſe eſt: bruta pariter affectibus ſubagitari, facile demonſtratur; quæ ,, enim iram, metumque in homine antecedunt, aut ,, conſequuntur, eædem cernuntur in brutis,, ait laud Genoveſius.

211. Animæ brutorum sunt entia simplicia, seu immaterialia. In brutis habentur perceptiones, ſive repræſentationes tales, vi quarum res aliæ diſcernuntur (§. 210.); conſequenter bruta cogitant: quod cogitat, compoſitum, ſive materiale eſſe nequit; itaque ſimplex ſit, eſt neceſſe (§. 134.): atque adeo animæ brutorum entia ſimplicia ſunt.

SCH. Peripatetici brutis attribuunt principium ſentiendi, idque eſſe materiale aſſerunt: ſed confutantur per hoc, quod alibi evicimus; ſcilicet cogitationem non niſi in ente ſimplici reperiri poſſe. (133)

212. Essentia animæ bruti consistit in vi repræsentandi, quæ tamen essentialiter differt a vi repræsentativa Animæ humanæ. Mutationes, quæ in anima bruti accidunt, ſunt perinde, ac in Anima humana, repræſentationes: iiſdem ergo fere argumentis evincitur, animæ bruti competere vim repræſentandi, & in hac ejus eſſentiam conſiſtere, quibus evictum eſt, Animam humanam vim repræſentandi habere debere, in eaque illius eſſentiam conſiſtere. Quod erat unum. Vis repræſentativa Animæ humanæ tendit ad repræſentationes diſtinctas, ac univerſales (§. 157.), non item vis repræſentativa animæ bruti: itaque in eſſentia illius quidpiam continetur, quod in eſſentia hujus deficit; atque adeo vis repræſentandi animæ bruti eſſentialiter differt a vi repræſentativa Animæ humanæ. Quod

(133) Contendit P. Moniglia Diſſert. contra Fataliſtas par.2.p.187., nunquam admiſiſſe Peripateticos Animam in brutis vere materialem: & certe, ſi res penitus inſpiciatur, animas brutorum ſecundum Peripateticos non extenſas eſſe, ſed ſimplices, apparebit.

erat alterum. (134)

213. Hinc etſi brutis tribui poſſint *ſenſus*, *imaginatio*, *memoria*, *expectatio caſuum ſimilium*, *appetitus ſenſitivus*; tribui tamen nequeunt *intellectus*, *ratio*, *ſapientia*, *appetitus rationalis*, *libertas*, ut attendens ad ea, quæ in Pſychologia hucuſque docuimus, non magno negotio intelliget. (135)

214. Ex eo, quod animæ bruti intellectus tribui nequeat, colligimus, vi ejus repræſentativæ haud aliam determinationem, ac limitationem competere, quam quæ a conjuncto corpore proficiſcitur. Itaque immortalitas ipſi non competit (§. 200.), tametſi propterea, quod ens ſimplex ſit, incorruptibilis cenſeri debeat.

FINIS

PSYCHOLOGIÆ RATIONALIS.

THEO-

(134) Bruta igitur non ſunt mera Automata.

(135) Eorum, qui animas brutorum dicunt eſſe Cacodæmones, opinionem refutare inutile duco.

Digitized by Google

THEOLOGIA NATURALIS.

THEOLOGIÆ NATURALIS PROLEGOMENA.

1. THEOLOGIA a DEO, rebuſque divinis, ceu iis, quibus inveſtigandis, atque explicandis deſtinata eſt, compellationem ſuam habet: dicitur autem *Naturalis* propterea, quod omnia, quæ in ea docentur, ex lumine naturæ, naturalique ratione explicari, ac oſtendi debeant.

2. Differt proinde Theologia naturalis ab ea, quæ *Revelata* dicitur, cum hæc non ratione, ſed ſacris Litteris nixa ea de DEO doceat, quorum cognitio vires rationis noſtræ excedit; unde myſteriis plena eſt, hoc eſt talia proponit, quæ etſi poſſibilia ſint, quo tamen modo eſſe poſſint, perſpicere non valemus.

3. Etſi autem Theologia Naturalis, & Revelata inter ſe differant; neque tamen Naturalis Revelatæ, neque Revelata Naturali repugnare poteſt: utraque enim circa unam, eandemque rem, nempe DEUM, verſatur: in una autem, eademque re, quæ inter ſe pugnant, eſſe non poſ-

ſunt (per princ. Ontol.) : unde quamvis alia de DEO in Revelata affirmentur, quam in Naturali, in neutra tamen idem negatur, quod in altera ponitur, & affirmatur: ſolum, quæ in Revelata traduntur, rationem noſtram ſuperant, ejuſdemque anguſtias detegunt, non vero eidem contraria ſunt.

4. Recte inter partes Metaphyſicæ Theologia Naturalis ultima conſtituitur; cum enim nulla earum ſit, quæ Theologiæ principia probandi, & explicandi non ſubminiſtret, omnes ut præmittantur, præmiſſaſque Theologia demum excipiat, ſana methodus jubet.

5. Pars maxima felicitatis humanæ in DEI cognitione ſita eſt: ſi itaque reliqua prætereamus omnia, vel inde pretium Theologiæ ſatis colligamus oportet. In hac methodi demonſtrativæ, ut fieri poterit, ſtudioſiſſimi erimus; quam certe, ſi ulla alia, hæc de DEO pertractatio potiſſimo ſibi jure vendicare videtur.

THEO-

Digitized by Google

THEOLOGIÆ NATURALIS

CAPUT I.

De Exiſtentia DEI.

6. DEI exiſtentiam demonſtraturi ante omnia quid nomine DEI intelligendum veniat explicemus, eſt neceſſe: quam tamen explicationem, ſive definitionem nominalem hujuſmodi eſſe oportebit, ut notas, ac characteres ſufficientes in ſe contineat ad DEUM pro omni ſtatu, ac tempore ſatis agnoſcendum, & ab omni eo, quod DEUS non eſt, diſcernendum; id quod ita accipiendum, ut in definitione talia adferantur, ex quibus debito nexu, quæcunque DEO conveniunt, deduci poſſunt; hoc enim notio completa, qualis hic requiritur, expoſcit (§. 48. Log.); non vero ut omnia, & ſingula, quæ DEO conveniunt, atque ex aliis intelliguntur, ſingillatim enumerentur, unde notio abundans enaſceretur (Schol. §. 57. Log.).

7. DEI itaque nomine indigitatum cupimus *Ens neceſſarium ab hoc mundo, ſeu univerſo diverſum, a quo mundus tanquam a cauſſa dependet.* Nihil

Nihil vero dubitamus, hanc definitionem nominalem iis dotibus præditam eſſe, quas §. præc. requiri diximus: patebit namque deinceps, quæ in illa aſſignantur, ea ſufficere ad talem plane DEUM agnoſcendum, qualem ipſi Chriſtiani per revelationem credimus.

SCH. 1. *Ab aliis DEUM dici audias* Spiritum perfectiſſimum: Ens optimum: Ens infinitum: Ens independens &c. *Neque fas omnino fuerit putare, his notionibus perinde, ac noſtra ſufficientes notas adferri ad DEUM ſatis agnoſcendum, ac diſcernendum: cur tamen iſtis neglectis aliam aſſumpſerimus, mox dicemus.*

SCH. 2. *Cæterum definitio noſtra congruit cum ea, quæ fuit ab ipſo DEO revelata Exod. cap. III.*: Ego ſum, qui ſum: *quaſi diceret: Ego ſum, qui neceſſario exiſto.*

8. Quod ſi demonſtratum a nobis fuerit, exiſtere ens neceſſarium a mundo diverſum, a quo mundus tanquam a cauſſa dependet; hoc ipſo exiſtentiam DEI demonſtravimus. Patet ex eo, quod in Logica traditum eſt, ſcilicet, definitionem, & definitum eſſe eadem (§. 60. Log.).

SCH. *Qui exiſtentiam DEI demonſtraturi eundem definiunt per* Ens optimum: Ens independens: Spiritum perfectiſſimum &c., *exiſtentiam entis optimi, entis independentis, ſpiritus perfectiſſimi &c. demonſtrent eſt neceſſe: enimvero, qui rem tentabunt, atque nihil a rigore demonſtrandi deflectere volent, opere ipſo experiri poterunt, vix, ac ne vix quidem demonſtrationem a ſe condi poſſe, in qua nihil quis, præſertim acutior, deſideraverit: atque hoc cauſſæ eſt, cur cum aliis aliam notionem aſſumere libeat, qua aſſumpta conatus demonſtrandæ exiſtentiæ DEI forte*

feli-

felicius procedat. Operi jam accingimur.

9. Existit ens necessarium ab hoc mundo diverſum, et a quo mundus tanquam a cauſsa dependet. Quæcunque fundamenta ad hanc theſim demonſtrandam pertinent, poſitionibus a ſe invicem ſejunctis proponemus, ut ita facilius intelligi poſſit, quantum unicuique momenti, ac ponderis inſit, & num alicubi quædam exceptio locum habere queat.

I. Mundus exiſtit (per experientiam, & ſenſum communem).

II. Quidquid exiſtit rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ habet (§. 20. Ontol.).

III. Vel mundus rationem ſufficientem exiſtentiæ in ſe ipſo habet, vel in alio a ſe diverſo (per princ. contrad. §. 13. Ontol.).

IV. Quod rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ in ſe ipſo habet, per eſſentiam, conſequenter neceſſario exiſtit, eſtque ens neceſſarium (per definit. entis neceſſarii §. 102. Ontol.).

V. Mundus eſt ens contingens (§. 12. Coſmol.).

VI. Ens contingens non poteſt ſimul eſſe ens neceſſarium (§. 8. Ontol.).

VII. Mundus rationem ſufficientem exiſtentiæ ſuæ non habet in ſe ipſo (per N. IV., V., & VI.).

VIII. Mundus ſufficientem rationem exiſtentiæ habet in alio a ſe diverſo (per N. III.).

IX. Hoc ens a mundo diverſum vel contingens, vel neceſſarium eſt.

X. Ens contingens largiri non poteſt rationem vere ſufficientem exiſtentiæ alterius (vid. §. 103. Ontol.).

XI. Quod præbet rationem ſufficientem exiſten-

tiæ

tiæ mundi eſt ens neceſſarium (per N. IX.). Datur ergo ens neceſſarium a mundo diverſum, in quo mundus ſufficientem rationem exiſtentiæ ſuæ habet, ſeu a quo ipſe tanquam a cauſſa dependet. (136)

10.

(136) 1. Contra demonſtrationem ex ente contingente petitam ad entis neceſſarii exiſtentiam confirmandam opponunt aliqui, argumentum a diſtributivo ad collectivum minime valere, ut in poſſibilibus patet, quorum ſingula produci a DEO poſſunt; nec tamen hinc ſequitur, & totam eorum collectionem, ſeu omnia collective produci a DEO poſſe.

2. Qui tamen hæc regerunt, vel primas Logicæ regulas ignorare convincuntur, ex quibus conſtat, argumentationem non eſſe a diſtributivo ad collectivum, niſi habeatur in conſequenti collectivum prædicatum, ut terminus numeralis 3. 7. 10. &c., vel *Populus*, *Civitas &c.* Habere porro, vel non habere in ſe ipſo propriæ exiſtentiæ rationem ſufficientem collectivum non eſt prædicatum; cumque adeo infertur, nec omnia ſimul entia contingentia propriæ exiſtentiæ ſufficientem rationem in ſe ipſis habere, ideoque debere ens neceſſarium exiſtere, non eſt hæc argumentatio a diſtributivo ad collectivum, ſed a ſufficienti partium enumeratione ad totum; quod quidem optimum eſt argumentandi genus. Hinc in eſſentialibus prædicatis, ſive in materia neceſſaria valet argumentum a diſtributivo ad collectivum, quia licet tale videatur, tale reipſa non eſt, ſed a partibus ad totum.

3. Exemplum poſſibilium ad rem non eſt: poſſibilia enim omnia collective ſumi nequeunt, ſed tantum diſtributive; cum namque ſint infinita ſincategorematice, ut ajunt, cui infinito repugnat eſſe totum id, quod eſſe poteſt, plane repugnat, poſſibilia omnia collective ſumi; tot ſcilicet ſumi, ut plura ſumi non poſſint. Illa igitur argumentatio: *Poſſibilia ſingula exiſtere, & produci poſſunt: ergo & omnia*, in eo peccat, quod falſo in conſequenti ſupponat.

4. Siquis dicat, nec contingentia ſumi collective poſſe; id 1. contra illos eſt, qui ex contingentibus non re-

10. Datur DEUS. Datur namque ens neceſſarium a mundo diverſum, a quo mundus tanquam a cauſſa dependet (§. præc.): igitur datur DEUS (§. 8.).

SCH.

recte ens neceſſarium inferri contendunt: nam ſi contingentia collective ſumi nequeunt; ſumi ergo poterunt tantum ut ſingula, vel ut omnia diſtributive: atqui & ſingula contingentia, & omnia diſtributive poſtulant ens aliud, in quo ſit eorumdem exiſtentiæ ratio ſufficiens: eſſe itaque debet aliquod ens neceſſarium. 2. Contingentia, de quibus loquimur, illa ſunt, quæ reipſa exiſtunt, ac extiterunt: hæc porro ſunt (§. 73. Ontol.) determinata: nil ergo vetat ea ſumi etiam collective.

5. At vero poſſibilia omnia non ſunt extra divinam eſſentiam determinata; immo nec poſſunt tot determinari, quin plura ſuperſint adhuc determinabilia: quare nec ſumi poſſunt collectionis unius ad inſtar; nec enim ſine ſuis determinatis partibus conſtare collectio poteſt. Eſto tamen: ſumi poſſint collective etiam poſſibilia omnia: quæro, utrum omnium poſſibilium hujuſmodi collectio ſpectetur ut aliquid diſtinctum a divina eſſentia, vel ut aliquid ab illa indiſtinctum (ex Nota (29) ad §. 94. Ontol.). Si primum; cur non valebit argumentum a ſingulis ad totam collectionem? Cur poſſibilium omnium collectio exiſtere, & produci non poterit, ſi & ipſa ſit aliquod poſſibile, & ab eſſentia divina diſtinctum? Numquid poſſibilium collectioni exiſtere repugnat, & produci? At poſſibilis eſt ex hypotheſi, & producibilis. Si vero alterum dicatur; exiſtit profecto talis collectio, & quamvis produci non poſſit, uti produci poſſunt ſingula poſſibilia, hoc ideo eſt, quia a ſingulis eſſentialiter differt; ſingula enim finitæ ſunt perfectionis, ac contingentia: collectio vero a divina eſſentia indiſtincta perfectionis eſt infinitæ, & neceſſario per ſe, atque a ſe exiſtens. Unde in hac argumentatione: *Singula poſſibilia produci poſſunt: ergo tota etiam eorum collectio*, ea habetur fallacia, quæ *terminorum inconſtantia* dicitur: mutantur enim extrema; nam de finitis entibus, & contingentibus in antecedenti eſt ſermo; in conſequenti autem de ente infinito, & neceſſario.

Digitized by Google

SCH. 1. Quam dedimus demonſtrationem exiſtentiæ DEI, ei Recentiores plurimum tribuunt. Tribus, ut ſatis patet, ipſa potiſſimum nititur: 1. diſtincta notione entis neceſſarii: 2. principio rationis ſufficientis: 3. contingentia mundi. Vvolffius contendit, ad demonſtrandam exiſtentiam DEI nullum argumentum cum ſucceſſu adhibitum iri, niſi contingentia mundi pro fundamento ſubſternatur; in quo rectene, an ſecus egerit, nunc diſquirere ſane non vacat: iſtud iniquum putaverim, eum, qui argumenti alicujus robur ad examen logicum vocat, Atheiſmi incuſare: equidem non hoc ipſo theſim negat, qui argumentum aliquod, quo ipſa ſtabilitur, in dubium vocat.

SCH. 2. Alii exiſtentiam DEI demonſtraturi argumentum deſumunt a conſenſu gentium; *alii a* remorſu conſcientiæ; *alii ad* ideas DEI innatas *confugiunt*; *alii ab* ordine ad ordinantem; a finibus rerum ad ens aliquod ſapientiſſimum, quod hos fines intendit, *concludunt. At longum nimis foret de ſingulorum argumentorum firmitate, vel imbecillitate diſpicere.*

SCH. 3. Celebrior eſt probatio exiſtentiæ DEI, quam Carteſius ab idea entis infiniti, ſive perfectiſſimi ſumpſit: mens Carteſii hæc erat: „ Ens, quod „ perfectiſſimum concipio, omnes habet perfectiones: „ neceſſario, & actu exiſtere eſt perfectio: ergo ens „ quod perfectiſſimum concipio, neceſſario, & actu „ exiſtit „. Vid. Carteſ. Philoſ. prim. Medit. 3. *Contra hanc probationem ab eruditis hoc vel maxime monetur, enti, quod perfectiſſimum concipitur, conceptum quidem neceſſariæ, & actualis exiſtentiæ tribui debere; non tamen ſequi exinde, quod ens illud neceſſario, & actu etiam extra mentem exiſtat. Hinc alii ad hoc, ut argumentum ſuo robore non careat, requi-*

requiri putant, ut poſſibilitas entis perfectiſſimi ante recte, ac debite demonſtretur; cui quidem varii vario modo effectum dare conati ſunt.

SCH. 4. *Non abs re fuerit paucis illud quoque commemorare argumentum, quod ad demonſtrandam exiſtentiam DEI* a deſiderio hominis infinito *aliquando deſumptum novimus* (*) : *ita fere habet:* „ *In homine deprehenditur deſiderium infinitum: hoc* „ *deſiderium omnibus hominibus innatum eſt naturale: ergo non poteſt eſſe fruſtraneum; ſi non eſt* „ *fruſtraneum, ſequitur, ut illud, ad quod refertur,* „ *exiſtere debeat; refertur autem hoc deſiderium ad* „ *bonum infinitum, hoc eſt, DEUM: ergo DEUS* „ *exiſtit*. (137)

SCH. 5. *Extant demum argumenta phyſica pro exiſtentia DEI demonſtranda: puta, quæ ab admirabili univerſi hujus, itemque corporis humani ſtructura repetuntur: fuerunt etiam, qui ſigillatim ex membris ſingulis argumentum deprompſerunt. Sturmius exiſtentiam DEI probavit ex ſtructura oculi. Hambergerus ex conſtitutione cordis. Vvucherer ex cerebro &c.*

11. *Qui DEUM dari negant*, *Athei* dicuntur: unde *Atheiſmus* in negatione exiſtentiæ DEI conſiſtit.

SCH. Quandoquidem plurimis argumentis DEUS exiſtere probatur, quæret forte quiſpiam: Num aliquando extiterint, aut re vera dentur Athei? *Itaque ſequentia notentur.*

Athei alii dici poſſunt theoretici, *alii* practici. *Pra-*

(*) *Syrbius* Philoſ. 1. p. 19.

(137) Quum demonſtrationes ab Auctore ind icatæ in ſacra Theologia recurrant, ubi de DEO uno a gi tur non eſt quod plura heic addantur. Conſulatur, ſi liber P. Valſecchius Operis jam laud. tom. I. cap. 2.

Practici *ita vivunt, ita agunt, ut vita ſua oſtendere videantur, nullum dari DEUM; tales ſunt omnes impii, quorum, proh dolor! maximus eſt numerus*. Theoretici *dicendi ſunt, qui aut ipſi credunt non dari DEUM, aut verbo, ſcriptove id ipſum docent. Priores* perſonales, *poſteriores* ſyſtematicos *congrue appellaveris*.

Num dentur Athei perſonales, *difficulter profecto reſponderi poteſt; quis namque hominum animos, intimoſque animorum receſſus perſpexerit? Hoc ſatis certo affirmari poſſe videtur, ſiquidem etiam fuerint, qui ſibi perſuadeant non dari DEUM, eos vix poſſe ſerio, & ad tempus id ipſum ſibi perſuadere, conſcientia identidem reclamante, aliaque docente, quam quæ vana fert perſuaſio*.

Athei ſyſtematici, *quin adhuc reperti ſint, dubitari nequit, ac forte etiamnum reperiuntur. Alii* directi *ſunt, qui aperte hanc theſim proponere, tuerique audent*: Non datur DEUS. *Alii* indirecti, *qui quaſi per ambages, atque tanquam aliud agerent, declarant, ſe negare exiſtentiam DEI.*

CAPUT II.

De Attributis DEI in genere.

12. PEr *Attributa DEI* intelliguntur *omnia ea, quæ DEO ita conveniunt, ut ab ipſo abeſſe, ſepararique non poſſint*. Ad hæc proinde detegenda, ac ſtabilienda partim ſervire debebit ſupra allegata DEI notio (§. 7.), partim mundi hujus exiſtentis conſideratio: eſt enim mundus in relatione ad DEUM effectus; ab effectu autem re-

rectiſſime ad cauſſam concluditur.

13. *Ens a ſe* dicitur, *quod ad exiſtendum non indiget alio extra ſe*.

14. *Æternum* appellamus, *quod neque initium, neque finem exiſtendi habet*. (138)

15. DEUS EST ENS A SE. DEUS eſt ens neceſſarium (§. 7.); ens neceſſarium rationem ſufficientem exiſtentiæ in ſe ipſo habet (§. 102. Ontol.); conſequenter ad exiſtendum non indiget alio; ens neceſſarium proinde eſt ens a ſe (§. 13.): igitur & DEUS eſt ens a ſe.

16. ENS NECESSARIUM EST ÆTERNUM. Pone ens neceſſarium non eſſe æternum; ergo habebit exiſtendi principium, vel finem: enimvero quod habet exiſtendi principium, aliquando non exſtitit; quod autem exiſtendi finem habet ſubinde non exiſtet: atqui enti neceſſario exiſtentia ita eſt propria, ut oppoſitum illius, hoc eſt non exiſtentia ſit abſolute impoſſibilis (§. 101. Ontol.): ens neceſſarium ergo exiſtendi principium, vel finem habere nequit; atque adeo ens neceſſarium eſt æternum (§. 14.).

SCH. Tam arcte ſcilicet neceſſarium, & æternum inter ſe connectuntur, ut illud ſine hoc conſiſtere nullatenus poſſit, etſi converſam hujus nondum tueri audeamus.

17. DEUS EST ÆTERNUS. Ens neceſſarium eſt æternum (§. præc.); cum itaque DEUS ſit ens neceſſarium (§. 7.), eſt quoque æternus.

18. DEUS EST ENS SIMPLEX. Si negas, DEUM eſſe ens ſimplex, erit compoſitum (Sch. §. 173.

(138) Rectius cum S. Thoma in Nota (43) ad §. 162. Ont. laudato *æternum* appellamus, *quod eſt omnino immutabile*.

Digitized by Google

173. Ontol.) ; ens compoſitum citra rei ortum ex nihilo oriri, itemque citra rei annihilationem interire poteſt (§. 142. Ontol.); conſequenter exiſtendi initium, & finem habere poteſt: DEUS exiſtendi initium, vel finem habere nequit (§. præc., & §. 16.); neque ergo ens compoſitum eſſe poteſt: igitur ens ſimplex eſt.

19. Itaque NEC MAGNITUDINEM HABET, NEC FIGURA PRÆDITUS EST, NEC SPATIUM REPLET, NEC DIVIDI, MAJORQUE, AUT MINOR FIERI POTEST, NEC MOTU INTERIORE CIETUR, NEC ALIQUID EX SE EMITTERE, VEL QUICQUAM IN SE RECIPERE POTEST. In ente ſimplici namque nihil iſtorum locum habere poteſt (§. 175., & 178. Ontol.) : igitur neque locum habere poteſt in DEO; eſt enim ens ſimplex (§. præc.).

CAPUT III.

De Intellectu DEI, & Attributis cum eo connexis.

20. EX pluribus, immo infinitis mundis poſſibilibus DEUS uni exiſtentiam eſt impertitus: itaque rationem ſufficientem etiam adeſſe oportet, cur hunc, nec potius alium ad actum produxerit: quocumque autem te converteris, in alio hanc rationem ſufficientem non deprehendes, niſi in majori gradu perfectionis hujus mundi. Hinc colligimus neceſſe eſſe, ut DEUS omnes mundos poſſibiles, hoc eſt omnia, quæ in unoquoque ceu inter ſe connexa continentur, ſimul, atque ſemel diſtincte ſibi repræſentet;

tet;

tet ; ſecus gradum majorem perfectionis unius alicujus mundi non diſcreturus.

SCH. Vanus eſt obtentus: DEUM hunc mundum produxiſſe, quia voluit ; *nemo quippe noſtrum hoc negarit: at enim exercitium voluntatis non habetur ſine motivo volendi, hoc eſt repræſentatione* (*Vide* §. 123. *Pſychol.*). (139)

(139) 1. Putant aliqui inde ſatis evinci, principium rationis ſufficientis in DEO libere operante non habere locum, quod & vera ratione conſtet, & ſæpe affirmet Scriptura divina, DEUM, quia voluit, feciſſe, quod fecit. Quaſi vero vel non operetur DEUS, quia vult, ſi velit ob aliquam rationem ſufficientem ; vel unica ratio, cur DEUS velit, eſſe debeat, quia vult: cum e contra *nihil omnino velimus, niſi ſit, cur velimus; nec velit quiſpiam, quod velle poteſt ideo præciſe, quia poteſt*, ut cum S. Anſelmo diximus Nota (111) ad §. 123. Pſych. nn. 24. 25.

2. Obſervat & S. Thomas lib. III. cont. Gen. cap. 97. eſſe „ quædam verba ſacræ Scripturæ, quæ videntur omnia ſimplici voluntati DEI attribuere „ : at ſimul notat, ea „ non dici ad hoc, ut ratio tollatur „ a Providentiæ diſpenſatione; ſed ut omnium primum „ principium DEI voluntas oſtendatur „. Immo poſtquam integro cap. 86. lib. I. probavit, *poſſe aſſignari rationem divinæ voluntatis*, ſequenti cap. 87. concludit : „ Per prædicta autem excluditur error quorumdam dicentium, omnia procedere a DEO ſecundum ſimplicem voluntatem, ut de nullo oporteat rationem „ reddere, niſi quia DEUS vult ; quod etiam divinæ „ Scripturæ contrariatur, quæ DEUM perhibet ſecundum ordinem ſapientiæ ſuæ omnia feciſſe ſecundum „ illud Pſalmi 103. : Omnia in ſapientia feciſti ; & „ Eccli. X. dicitur, quod DEUS effudit ſapientiam „ ſuam ſuper omnia opera ſua „.

3. Huc facit & illa S. Anſelmi animadverſio in Dialogo CUR DEUS HOMO lib. I. cap. 12. ajentis : „ Cum „ dicitur : quod DEUS vult, juſtum eſt ; & quod non „ vult, juſtum non eſt, non ita intelligendum eſt, ut „ ſi DEUS velit quodlibet inconveniens, juſtum ſit,

„ quia

21. Deus gaudet intellectu. Intellectus eſt facultas diſtincte aliquid ſibi repræſentandi (§. 59.

„ quia ipſe vult. Non enim ſequitur, ſi DEUS vult „ mentiri, juſtum eſſe mentiri; ſed potius illum DE-„ UM non eſſe. Itaque de illis tantum verum eſt di-„ cere, ſi DEUS hoc vult, juſtum eſt, quæ DEUM „ velle non eſt inconveniens. Libertas enim non eſt, „ niſi ad hoc, quod expedit, aut quod decet „.

4. Male ergo colligitur, DEUM abſque ulla ſufficiente ratione facere, quæ facit, quia facit, quia vult; cum hinc oppoſitum ſit potius colligendum: DEUS enim non vult quidpiam, niſi *ſecundum ordinem ſapientiæ ſuæ*, cujus proprium eſt finem ſibi præſtituere, in eumdemque, quæ ſunt volita dirigere: quare, cum finis ſit ratio volendi ea, quæ ſunt ad finem, ex Angelico 1. p. q. 19. ar. 2. ad 2., ſi DEUS, quæ facit, ideo facit, quia vult, ſequitur, DEUM non ſine ratione facere, quod facit. Igitur cum S. Auguſtino lib. XXI. de Civ. Dei cap. 5. „ Fixum apud nos eſſe con-„ fitemur, non ſine ratione omnipotentem DEUM fa-„ cere, unde animus humanus infirmus rationem non „ poteſt reddere. Quamvis enim ſint, ex eodem S. „ Auguſtino ep. 120. ad Conſentium, de quibus ratio „ reddi non poteſt; non tamen non eſt. Quod ſi non „ poſſumus videre conſilium DEI, quare illud ſic fe-„ cit, & illud ſic; bonum eſt nobis, juxta ejuſdem „ S. Doctoris monitum præfat. in Pſal. 124., ut ſubda-„ mus nos ſapientiæ ipſius, & credamus, quia bene „ omnia fecit, etſi nondum novimus, quare ſic fecerit. „ Nam ſiqua ſunt in arcanis ſtatutorum ejus altiora ſenſi-„ bus, & cogitationibus noſtris, addit Auguſtino conci-„ nens Paullinus ep. ad Jovium, etiamſi rationem eorum „ conſequi, & colligere non poſſumus, tutius tamen nobis „ eſt, magis occultas eſſe rationes, quam nullas, cre-„ dere: quia non ambigendum, omnia DEI, etſi nobis „ non ſint perſpicua, tamen eſſe conſulta . . . , quia „ quantus DEUS eſt, bonitas, & ſapientia, & origo „ rationis eſt; nihil niſi ratione conſtituit „.

5. Datur ergo talis ratio eorum, quæ a DEO facta ſunt, ut ea cognita innoteſceret pariter & quare fecerit, & quare illud ſic, & illud ſic fecerit: ſed ratio

59. Pſychol.): DEUS omnes mundos poſſibiles diſtincte ſibi repræſentat (§. præc.) : gaudet

C c 3 ergo

tio, unde intelligitur, quare aliquid ſit, aut fiat, & cur hoc modo potius, quam alio, eſt ipſiſſima ratio ſufficiens (§. 16. Ontol.) : datur ergo ratio ſufficiens, cur Deus illa fecerit, quæ fecit, ſeu cur hunc mundum creaverit; licet verum itidem ſit, feciſſe DEUM, quæ fecit, quia voluit.

6. Heic tamen opponunt aliqui cum Boſcovichio in cit. alias Sup. n. 28., quod, ſi DEUS ex ratione ſufficiente operetur, & neceſſitate abſoluta exiſtant quæcumque a DEO electa ſunt ad exiſtendum, & ſint abſolute impoſſibilia quæcumque ad exiſtendum non ſunt a DEO electa. Enimvero impoſſibile omnino eſt, inquiunt, rationes illas, quæ fuerunt, non fuiſſe: impoſſibile pariter eſt, & impoſſibilitate quidem contradictionis, ſive abſolute, DEUM non vidiſſe omnes rationes illas, quæ aderant: eadem impoſſibilitate impoſſibile eſt, DEUM non id elegiſſe, quod, viſis omnibus illis rationibus, optimum eſſe judicavit: quare cum impoſſibile ſit vel id non exiſtere, quod ad exiſtendum DEUS elegerit, vel id exiſtere, quod DEUS non elegerit ad exiſtendum, evidenter conſequitur, & neceſſitate abſoluta exiſtere quæcumque a DEO ad exiſtendum ſunt electa, & eſſe abſolute impoſſibilia quæcumque non ſunt a DEO electa ad exiſtendum.

7. Huic difficultati, in qua plurimum confidere videtur Boſcovichius, non ægre reſpondetur animadvertendo, eum in ea proponenda incogitanter delabi a neceſſitate abſoluta ad neceſſitatem hypotheticam; cum enim ſubſumitur, impoſſibile eſſe, DEUM non id eligere, quod, viſis omnibus rationibus, optimum eſſe judicaverit, evidens eſt, ſumi veluti abſolutam neceſſitatem, quæ ex ipſis terminis, quibus effertur, hypothetica dumtaxat eſt: dicitur ſiquidem non electio impoſſibilis non abſolute, ſed, ut reipſa eſt, hypothetice, hoc eſt ex hypotheſi, quod DEUS optimum judicaverit hoc potius, quam aliud eligere. Verum equidem eſt eſſe in DEO tale judicium ſubjective neceſſarium; cum DEUS non poſſit non videre, vel non judicare quid ſit optimum ad eligendum: at non minus

ergo intellectu.

22. DEUS OMNIA, AC SINGULA POSSIBILIA COGNO-

---

nus verum eſt, judicium illud eſſe nihilominus objective indifferens; ut enim notat Angelicus lib. I. cont. Gen. cap. 82. „ Cognoſcit DEUS quæcumque finita bo„ na, ut ſimilitudines quaſdam divinæ bonitatis, & „ eſſentiæ, non ut ejus principia; & ſic divina vo„ luntas in illa tendit ut ſuæ bonitati convenientia, „ non ut ad ſuam bonitatem neceſſaria „. Quare electio, ad quam ſe DEUS per ſui intellectus cognitionem, ſeu judicium determinat, nec eſt per aliquod extraneum facta, nec abſolute neceſſaria, ſed libera: atque adeo, quæ tali electioni ſubſunt, erunt quidem certiſſime, ſeu infallibiliter; cum divina electio fruſtrari non poſſit: at non ideo erunt ex abſoluta neceſſitate; ſed ex libera DEI determinatione: quemadmodum & quæ non ſunt a DEO electa ad exiſtendum, ea certiſſime non exiſtent; non quod ſint abſolute impoſſibilia, ſed quod DEO non placuerit ea eligere. Etiam attributa inſunt DEO neceſſario; quia tamen habent habitudinem non neceſſariam ad creaturas, non ſolum non obſtant libertati divinæ electionis, verum etiam ſunt iſtius libertatis radix, atque principium, ut idem S. Doctor expendit 1. p. q. 19. ar. 3., aliiſque plurimis in locis.

8. Argumentationi Boſcovichii eſt illa ſimillima, quam ſibi primo loco opponit S. Thomas 1. p. q. 25. ar. 5.: en illam: DEUS non poteſt facere, quæ non præſcivit, & præordinavit ſe facturum: ſed non præſcivit, nec præordinavit ſe facturum, niſi ea, quæ facit: ergo &c. Huic objectioni reſpondens S. Doctor obſervat, aliud eſſe loqui de potentia DEI abſoluta, aliud de potentia ordinata. „ Quod attribuitur, in„ quit, divinæ potentiæ ſecundum ſe conſideratæ di„ citur DEUS poſſe ſecundum potentiam abſolutam: „ & hujuſmodi eſt omne illud, in quo poteſt ſalvari „ ratio entis. Quod autem attribuitur potentiæ divi„ næ, ſecundum quod exequitur imperium voluntatis „ juſtæ „ hoc eſt, ut exponit in corpore, eligentis, ſeu volentis „ ſecundum ordinem divinæ ſapientiæ, „ hoc dicitur DEUS poſſe facere de potentia ordinata: „ ſe-

GNOSCIT, ET QUIDEM ADÆQUATE COGNOSCIT. DEUS enim omnes mundos poſſibiles ita cogno-
C c 4 ſcit,

„ ſecundum hoc ergo dicendum eſt, quod DEUS poteſt „ alia facere de potentia abſoluta, quam quæ præſci- „ vit, & præordinavit ſe facturum: non tamen po- „ teſt eſſe, quod aliqua faciat, quæ non præſciverit, „ & præordinaverit ſe facturum, quia ipſum facere „ ſubjacet præſcientiæ, & præordinationi; non ta- „ men ipſum poſſe, quod eſt naturale „.

9. Neceſſe non eſt heic admonere, poſſe nos hanc ipſam S. Thomæ reſponſionem objectioni Boſcovichianæ facillime accomodare: cum enim in iſta dicitur: impoſſibile eſt DEUM non id eligere, quod, viſis rationibus omnibus, optimum eſſe judicaverit: reſponderi poteſt, id eſſe impoſſibile, ſpectata potentia DEI ordinata; non ejus tamen ſpectata potentia abſoluta.

10. Nec regerant adverſarii rationis ſufficientis, eam, quæ a ratione ſufficiente inducitur, neceſſitatem, antecedentem eſſe, non conſequentem; atque adeo excludere non ſolam potentiam ordinatam, quæ eſt conſequens, ſed etiam abſolutam, quæ eſt antecedens. Neceſſitas quippe antecedens juxta celebrem S. Anſelmi definitionem illa eſt, quæ facit rem eſſe; conſequens vero, quam res ipſa facit. At neceſſitas, quæ a ratione ſufficiente inducitur, illa non eſt, quam faciat res ipſa, ſeu electio, aut actus liber quicumque; cum ideo ſit res, ſeu electio, aut actus quicumque liber, quia datur illius ratio ſufficiens, non viceverſa: igitur neceſſitas illa antecedens eſt, non conſequens; abſoluta, non hypothetica: atque iccirco excludens non ſolum potentiam ordinatam, ſeu conſequentem, verum etiam abſolutam, ſeu antecedentem. DEUM ergo non id eligere, cujus eligendi rationem habet ſufficientem, hoc eſt quod, viſis rationibus omnibus, optimum eſſe judicat, eſt impoſſibile, ſpectata etiam abſoluta DEI potentia.

11. Non, inquam, id regerant adverſarii: nam ut neceſſitas ſit vere antecedens juxta S. Anſelmi definitionem a Theologis receptam, non ſufficit eam antecedere electionem, ſeu exercitium libertatis; ſed neceſſitas eſſe debet, quæ nec involvat, nec ſupponat ipſam

ſcit, ut in particulari cujuſvis mundi perfectionem diſcernat (§. 20.): mundus quivis in particu-

ipſam indolem agentis liberi , ejuſque proprium operandi modum : ſi namque hæc involvat , aut ſupponat , non poteſt illa dici antecedens libertatem ; cum libertas ipſa ad neceſſitatem illam conferat . Quare cum illa infallibilitas , ſeu neceſſitas , qua a ratione ſufficiente inducitur cauſſis liberis propria ſupponat , atque involvat reipſa indolem agentis liberi , ejuſque proprium operandi modum , cum illa non ſit infallibiliter , ſeu neceſſario connexa cum electione , ſeu actu libero , niſi quia proprium eſt agentis liberi , quatenus liberum eſt , ſe ex judicio rationis determinare , hoc eſt , niſi quia ſupponit , & involvit indolem , & modum proprium operandi agentis liberi , evidens eſt , quod , etſi ideo ſit electio , vel actus liber , quia datur illius ratio ſufficiens , non viceverſa ; illa nihilominus infallibilitas, ſeu neceſſitas, quæ a ratione ſufficiente inducitur, non eſt neceſſitas antecedens libertatem , ſeu abſoluta , ſed conſequens , & hypothetica ; atque adeo non excludit potentiam abſolutam , ſeu antecedentem , ſed hypotheticam ſolum , & ordinatam , ſeu conſequentem . Stat igitur , eam impoſſibilitatem , qua impoſſibile eſt , DEUM non id eligere, cujus eligendi rationem habet ſufficientem , hoc eſt quod , viſis omnibus rationibus, optimum eſſe judicat, non eſſe impoſſibilitatem antecedentem , & abſolutam, ſed hypotheticam tantummodo , & conſequentem ; & iccirco illud non eſſe impoſſibile, ſpectata etiam abſoluta DEI potentia , ſed ſpectata tantum potentia ordinata .

12. Non tamen heic conquieſcit Boſcovichius , ſed alia via inſurgit : negat enim n. 31. laud. Supplem. , poſſe a DEO cognoſci ut optimum, creare, vel eligere hoc potius , quam illud : quamvis enim ſit aliquid alio melius , & perfectius , non tamen melius iccirco , perfectiuſque eſt creare, vel eligere illud primum, quam hoc ſecundum . „ Divinæ bonitati certo repugnat, in- „ quit , id non agere , quod agere perfectius eſt : ſed „ ajo, æque perfectum eſſe creare minus perfecta , ac „ creare perfectiora. Tota illa naturalis perfectio , & „ bo-

ticulari eſt totum aliquod, cujus perfectio diſcerni nequit, niſi omnes, ac ſingulæ partes intime

„ bonitas, quæ in rebus creatis habetur, divinæ per-
„ fectioni comparata non modo tenuiſſima eſt, ſed pu-
„ rum nihil. Hinc apud DEUM in ea bonitate nullum
„ habetur poſitivum meritum, ut e nihilo ad hanc re-
„ rum univerſitatem traducatur; quare nec ea conde-
„ re, nec ea non condere melius erit, ſed æque bo-
„ num, & gratuitum omnino eſſe debet, quod con-
„ dantur potius, quam non condantur. Solum illud
„ liberrimum divinæ libertatis exercitium eſt infini-
„ ties magis perfectum, quam quivis, qui in creata
„ re exceſſus perfectionis ſupra aliam haberi poſſit.

13. Quamdam heic ſponte agnoſcit Boſcovichius neceſſitatem ſaltem moralem in DEO ad optimum: dixi *ſaltem moralem*: ceterum ejus verba abſolutam indicant neceſſitatem; ait enim divinæ bonitati repugnare id non agere, quod agere perfectius eſt: quid ergo contendit n. 27., moralem ipſam neceſſitatem ad optimum, ac moralem impoſſibilitatem ad non optimum de divina ſumma perfectione plurimum omnino detrahere, quod omne ipſi arbitrium adimat? Quid opponit n. 28. tamquam ingens abſurdum, abſoluta impoſſibilitate, ſeu contradictionis impoſſibile eſſe, DEUM quidpiam creare præter id, quod, viſis omnibus rationibus, optimum eſſe judicat? An non & ipſe plurimum detrahit de divina ſumma perfectione? An non ingens illud abſurdum & ipſe invehit, ſi affirmet repugnare divinæ bonitati id DEUM non agere, quod agere perfectius eſt? Igitur ſe primum purget a crimine; tum alios ex hoc capite inſectetur.

14. Fallitur præterea hoc in loco Boſcovichius: quamquam enim creata quævis, vel creabilis bonitas cum divina bonitate comparata ſit tamquam purum nihil; non tamen hinc ſequitur, quamlibet rem creatam, vel creabilem æque aptam eſſe ad divinam perfectionem in tali gradu manifeſtandam. Quare ex hypotheſi, quod velit DEUS ſuam perfectionem in tali gradu manifeſtare per alicujus mundi productionem, non æque perfectum eſt hanc, vel illam ſeriem poſſibilium rerum eligere. Immo ineptiſſimum eſſet eam eligere, quæ tali fini non accuratiſſime reſponderet. Quis vero ſit hic gra-

time cum omnibus, quæ in ſe ſe continent, itemque cum omnibus habitudinibus, ac relationibus per-

gradus divinæ perfectionis manifeſtandæ, in quem tamquam in finem totalem proximum totus hic mundus a DEO creatore directus eſt, tunc dicetur, cum A. aget de mundo perfectiſſimo. Nunc adnotare ſufficiat, nullum eſſe ſive Theologum, ſive Philoſophum ſanæ mentis, qui neget, fuiſſe a DEO ex omnibus poſſibilibus eum mundum electum, & conditum, qui fini a ſe intento præ ceteris aptiſſime congruit.

15. Gemina adhuc ſupereſt difficultas ex loco, & tempore petita, & ex perfecte ſimilibus. Canit Ben. Stayus Phil. Recen. lib. I. v. 350., & ſeq.

„ . . . . Quid numen enim, cum conderet orbem,
„ Impulit, ut ſpatii Solem in regione locaret
„ Hac ipſa, non qua fulget cynoſura, vel ardens
„ Syrius, aut in corde furit qua flamma leonis;
„ Perſtarent tamen hoc tunc ordine ut omnia eodem?
„ Cur neque ab exortu rerum numerentur ut anni
„ Tum plures voluit, vel contra? . . .

16. Hoc idem argumentum fuſius exponit Boſcovichius n. 32. Supp. non aliam prorſus eſſe rationem contendens præter ſolam, & ſimplicem DEI voluntatem, cur DEUS res tali in loco, talique tempore creaverit. Addit n. 33. eodem pacto ſine ulla etiam ratione, quam nos excogitare poſſimus, ex omnino ſimilibus potuiſſe DEUM ſeligere potius aliqua, quam alia: diſcernere poſſe DEUM ipſa etiam prorſus ſimilia, ſi illam intimam cujuſque naturam, quam individuationem dicimus, videat, per quam hoc non eſt illud. Poſſet etiam huc trahi S. Thomas; ait enim 1. p. q. 27. ar. 5. ad 3.: „ Sed quare hos elegit in gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem, niſi divinam „ voluntatem; ſicut etiam in rebus naturalibus... „ quare hæc pars materiæ eſt ſub iſta forma, & illa „ ſub alia, dependet ex ſimplici divina voluntate; ſicuti ex ſimplici voluntate artificis dependet, quod ille lapis eſt in iſta parte parietis, & ille in alia; „ quamvis ratio artis habeat, quod aliqui ſint in hac, „ & aliqui ſint in illa.

17. Illud argumenti genus, quod ex loco, & tempore

perſpiciantur; porro omnes mundi poſſibiles comprehendunt omnia poſſibilia (§. 4. Coſm.): DEUS er-

re petitur non fuit SS. Auguſtino, & Thomæ incognitum; qui tamen longe ab illa inferenda conſecutione abſunt, quam recentes iſti colligunt Philoſophi. Immo obſervant adeſſe utique rationem aliquam præter ſimplicem DEI voluntatem, ſi non inaniter quæritur, cur DEUS hoc tempore, & loco mundum creaverit. Poteſt enim id quæri omnino inaniter, ut animadvertit S. Auguſtinus lib. XI. de Civ. Dei cap. 5. inquiens: „ Quod ſi dicant inanes eſſe hominum cogi„ tationes, quibus infinita imaginantur loca, cum lo„ cus nullus ſit præter mundum; reſpondetur eis iſto „ modo, inaniter homines cogitare præterita tempora, „ cum nullum tempus ſit ante mundum „. Sed eſt etiam audiendus S. Thomas, qui lib. II. con. Gen. cap. 35., inquit: „ Non eſt ante totius creaturæ inchoa„ tionem diverſitatem aliquam partium alicujus dura„ tionis accipere; nam nihil menſuram non habet, „ nec durationem: DEI autem duratio, quæ eſt æter„ nitas, non habet partes, ſed eſt ſimplex omnino, „ non habens prius, vel poſterius. Non eſt igitur „ comparare inchoationem totius creaturæ ad aliqua „ diverſa ſignata in aliqua præexiſtente menſura, ad „ quæ initium creaturæ ſimiliter, & diſſimiliter ſe „ poſſit habere, ut oporteat rationem eſſe apud agen„ tem, quare in hoc ſignato illius durationis creatu„ ram in eſſe produxerit, & non in alio præcedenti, „ vel ſequenti; quæ quidem ratio requireretur, ſi ali„ qua duratio, in partes diviſibilis, eſſet præter to„ tam creaturam productam, ſicut in particularibus „ agentibus, a quibus producitur effectus in tempore, „ non autem ipſum tempus. DEUS autem ſimul in eſ„ ſe produxit & creaturam, & tempus. Non eſt igi„ tur ratio, quare nunc, & non prius in hoc conſide„ randa, ſed ſolum quare non ſemper. Sicut per ſimi„ le in loco apparet: particularia enim corpora ſicut „ in tempore determinato, ita eadem in loco determi„ nato producuntur; & quia habent extra ſe tempus, „ & locum, quibus continentur, oportet eſſe ratio„ nem, quare magis in hoc loco, & in hoc tempore „ pro-

ergo omnia poſſibilia,&quidem adæquate cognoſcit.

23. Inter intellectum humanum, et divinum

„ producatur, quam in alio. In toto autem cœlo, „ extra quod non eſt locus, & quocum univerſalis locus „ producitur, non eſt ratio conſideranda, quare huc, & „ non ibi conſtitutum eſt. Quam rationem, quia qui- „ dam conſiderandam putabant, deciderunt in erro- „ rem... Quare non eſt attendenda ratio, quare nunc, „ & non prius, ut per hoc ducamur ad concedendam „ temporis infinitatem; ſed ſolum quare non ſemper, „ vel quare poſt non eſſe, vel cum aliquo principio „. Errant itaque, & inaniter cogitant, qui tempus, & locum ab ipſa corporum univerſitate, eorumque ordine coexiſtentiæ, vel ſucceſſionis diſtinguentes, quærunt, quare DEUS tali potius tempore, & loco, quam alio mundum condiderit; atque hinc exultant, quaſi defenſores rationis ſufficientis eo perduxerint, unde nequeant evadere. Inanis ſane exultatio; ſicut inanis eſt quæſtio, & de ſubjecto, ut ajunt, non ſupponente.

18. Quia tamen quæri non inaniter poteſt, cur DEUS tantum mundum produxerit, non majorem, vel minorem, cur hanc potius rerum ſeriem. quam aliam elegerit, eamque voluerit non ſemper eſſe, ſed habere ſuæ durationis initium: ſi quæſtio illa de tempore, & loco mundi ad hæc revocetur, tum quæ inanis erat quæſtio, fiet realis; & reſpondebitur 1. cum S. Auguſtino eodem lib. XI. de Civ. Dei cap. 5., non iccirco dicendum „ fortuito potius, quam ratione divina, „ DEUM non alio, ſed iſto, in quo eſt, loco mundum „ conſtituiſſe (hoc eſt tantum, non majorem, vel mi- „ norem feciſſe); ſi eamdem divinam rationem, qua „ id factum eſt, nulla poſſit humana comprehendere: „ ſicut non eſt conſequens, ut DEO aliquid exiſti- „ memus accidiſſe fortuitum, quod illo potius, quam „ anteriore tempore condiderit mundum „ (hoc eſt talem potius ſucceſſivorum ſeriem, quam aliam creaverit). Hanc ipſam quæſtionem tangit S. Auguſtinus in ep. ad Nebridium olim 151., nunc 3. n. 2. inquiens: *Sed cur tantus eſt mundus? Poterat enim eſſe vel major, vel brevior*: cui breviter reſpondens ait: *Neſcio: tale eſt enim & cur hoc loco potius, quam illo: nec in ea re*

debet

Digitized by Google

NUM SUMMUM EST DISCRIMEN. Homines nec omnia poſſibilia cognoſcunt, nec quæ cognoſcunt, ſem-

debet eſſe quæſtio, ubi quidquid eſſet, quæſtio eſſet. Videri poteſt alicui S. Auguſtinus in hac reſponſione veluti ignorans rationem, cur tantus ſit mundus; immo indicare nullam prorſus ſuppetere præter ſimplicem DEI voluntatem: at ſi hoc poſtremum exiſtimaſſet reipſa S. Doctor, non reſpondiſſet *Neſcio*: probe ſiquidem noverat, & firmiter credebat, DEUM voluiſſe mundum hunc tantum eſſe, non majorem, vel breviorem. *Si non eſſet alia ratio*, expendit etiam S. Bonaventura in I. Sent. diſt. 41. ar. 1. q. 2., *niſi quia DEO ſic placet, certe jam non occulta dicerentur divina judicia, ſed manifeſta; cum cuilibet hæc ratio pateat: nec dicerentur mirabilia, ſed potius voluntaria*. Igitur S. Auguſtinus reſpondens *neſcio* manifeſte indicat, aliam eſſe ſibi nondum compertam rationem, quare tantus ſit mundus. Nec mirum, ingenue fateri S. Doctorem, eam rationem ſibi nondum eſſe perſpectam; id enim familiare ipſi fuit, quoties nondum quæſtiones ita eliquatas cernebat, ut in earumdem ſolutione plene poſſet conquieſcere. Nos ſua reſponſione monuit, curioſius illud quæri, quam utilius, *nobiſque bonum eſſe, ut ſubdamus nos ſapientiæ DEI, & credamus, quia bene omnia fecit, etſi nondum novimus, quare ſic fecit*, ut ait idem S. Doctor præfat. in Pſ. 124.

19. Reſpondebitur 2., DEUM voluiſſe tantum eſſe hunc mundum, non majorem, vel minorem, hanc ſeriem præ ceteris elegiſſe, eamque voluiſſe non ſemper eſſe, quia fini a ſe intento id magis congruere judicavit. „ Effectus divinus convenientius ordinatur ad finem „ propter hoc, quod eſt non ſemper fuiſſe, inquit S. Thomas cit. cap. 35. lib. II. con. Gen. „ . . ; exceſſus „ enim divinæ bonitatis ſupra creaturam per hoc maxime exprimitur, quod creaturæ non ſemper fuerunt „. Quam rationem indicat & S. Auguſtinus lib. XXII. de Civ. Dei cap. 17. inquiens: „ In Deo „ non alteram præcedentem altera ſubſequens mutavit, aut abſtulit voluntatem, ſed una, eademque „ ſempiterna, & immutabili voluntate res, quas condidit, & ut prius non eſſent, egit, quamdiu non „ fue-

ſemper diſtinctè cognoſcunt : ad hæc non niſi ſucceſſive illa cognoſcunt. DEUS ex adverſo & omnia

„ fuerunt, & ut poſterius eſſent, quando eſſe cœperunt.
„ Hinc eis, qui talia videre poſſunt, fortaſſis mira-
„ biliter oſtendens, quam non eis indiguerit, ſed eas
„ gratuita bonitate condiderit, cum ſine illis ex æter-
„ nitate initio carente in non minori beatitate per-
„ manſerit „.

20. Quod ſi quis non de toto mundo, ſed de aliquo peculiari corpore, puta de Sole quærat, cur hoc in loco potius, in quo nunc eſt, quam in alio collocatus ſit, jam audivimus n. 17. S. Thomam reſpondentem, *oportere eſſe rationem, quare magis in hoc loco, & in hoc tempore particularia corpora producuntur, quam in alio*. Iis vero, qui exiſtimant perinde ordinem univerſi immutatum perduraturum ſive in uno, ſive in alio loco Sol eſſet poſitus; atque hinc concludunt, nullam aliam eſſe rationem præter divinam voluntatem, cur in tali potius, quam in alio loco ſit, reſpondemus, ſimiles illos eſſe imperitis illis, qui ignorantes ſtructuram integram horologii, blaterarent perinde eſſe, rotam hanc unum, vel alterum locum in horologio obtinere. Si integram univerſi ſtructuram haberemus perſpectam, intelligeremus ſane, cur in tali potius, quam alio loco fuerit Sol collocatus: at ſi ignoramus univerſi ſtructuram, illum ſaltem imitemur, qui non habens artificis peritiam, habens tamen hominis conſiderationem, non auderet, ut notat S. Auguſtinus in Pſal. 148., in officina fabri reprehendere folles, incudes, malleos; ſed ſibi diceret: non ſine cauſſa folles hoc loco poſiti ſunt: artifex novit quare, etſi ego non novi. Dicamus ergo & nos: Non ſine cauſſa Sol in tali univerſi loco poſitus eſt: ſupremus artifex novit quare, etſi nos ignoremus. Et hæc quidem ad illam objectionis partem diſpellendam, quæ ex loco, & tempore petitur; illa nunc reſtat diluenda, quæ ex perfecte ſimilibus deſumitur.

21. Quamdiu tamen nonniſi gratis, & precario ſumitur, poſſibilia eſſe duo entia perfecte ſimilia, nequit alicujus ponderis hæc eſſe objectio. Siquis attente conſideret, quod hac in re opponitur a Boſcovichio, facile

omnia poſſibilia cognoſcit, & adæquate, & ſine ſucceſſione cognoſcit (§. præc., & §. 20.): patet

cile comperiet, illud ipſum ſupponi, quod probandum eſt: ſupponit enim duo eſſe perfecte ſimilia, eaque propriam habere individuationem, per quam hoc non eſt illud: at, ſi omnino ſimilia, quomodo duo ſunt? Quid eſt intima illa natura, quam *individuationem* dicimus? Si hæc intima natura eſt ſingulis propria, ſiquidem per eam hoc non eſt illud, intima igitur unius natura non eſt intima natura alterius: differt ergo intima natura unius ab intima alterius natura. Quomodo ergo poſſunt eſſe omnino ſimilia, quæ intima natura differunt? Individuatio non aliud eſt, quam omnimoda determinatio eorum, quæ enti inſunt: ſi nulla prorſus ſit determinatio in ente uno, quæ non ſit in altero, evidens eſt, unum eſſe reipſa ea, quæ notione deceptrice repræſentantur ut duo. Quod ſi aliqua determinatio uni inſit, non alteri, evidens eſt, illa non eſſe omnino ſimilia. Non aliunde certe poteſt unum individuum ab alio diſtingui, quam per aliquam ſaltem notam ſingulis propriam: non itaque eſſe queunt perfecte ſimilia, in quibus ſunt notæ ſingulis propriæ.

22. Nec dicat aliquis, ſtare poſſe perfectam ſimilitudinem cum notarum proprietate; hac enim notione data, re diverſa erunt, quæ appellantur perfecte ſimilia, totaque lis erit de nomine, a qua ingenuus abhorret Philoſophus. Nemo pariter obtrudat, poſſe unum individuum ab altero diſtingui per aliquam notam tantummodo extrinſecam, puta quod unum ſit heic, alterum ibi, unum hoc tempore, alterum alio: at notæ iſtæ extrinſecæ poſſunt quidem nobis individuum oſtendere, ſed nequeunt conſtituere, cum illud conſtitutum ſupponant; prius enim natura eſt eſſe, quam eſſe heic, vel ibi, hoc, vel illo tempore. Debet ergo ſingulis individuis ineſſe peculiaris aliqua nota intrinſeca, per quam unum non ſit aliud, atque adeo nequeunt eſſe perfecte ſimilia. Corruit ergo & objectio ex perfecta duorum entium ſimilitudine deprompta: gratis enim hæc ſupponitur duorum entium ſimilitudo perfecta; nec poteſt quidpiam ex gratuita ſuppoſi-

Digitized by Google

tet ergo ſummum inter intellectum humanum, & divinum diſcrimen.

24.

---

poſitione concludi.

23. Solent alia quædam afferri ſenſibilia exempla perfectæ ſimilitudinis duorum entium: puta duo ova, duo radii omogenei lucis, aliaque hujuſmodi: at in radiis ipſis omogeneis etiam priſmate diviſis, & in ovis, aliiſque hujus generis, differentia ſemper aliqua obſervatur, ſi attentius ea conſiderentur. Quare operæ pretium non eſt heic prolixius detineri.

24. Quod huc trahitur ex S. Thoma Theologos potius, quam Philoſophos ſpectat: breviter tamen reſpondetur, excludi quidem a S. Thoma rationem petitam, vel ex meritis, & demeritis eorum, qui eliguntur, & reprobantur, vel ex fine generali a DEO intento, cum ait cit. loco: *ſed quare hos elegit in gloriam, & illos reprobavit, non habet rationem, niſi divinam voluntatem*: non tamen excluditur iccirco a S. Doctore quæcumque alia ratio. Id patet vel ex ipſo artificis exemplo, quod affert: licet enim dicat, ex ſimplici artificis voluntate pendere, quod ille lapis ſit in iſta parte parietis, & ille in alia; quia nempe id non eſt ex ratione artis, quæ ſolum poſtulat, quod aliqui lapides ſint in hac parte, & aliqui ſint in illa; non tamen iccirco quamcumque aliam excludit rationem: nam præter voluntatem artificis datur certe aliqua alia ratio ſaltem mechanica, cur hic lapis ſit in hac parietis parte, & ille in alia. Exemplum aliud de materia non magis probat, quam exemplum artificis: quamquam enim materia abſtractione quadam ſupponatur in ſe uniformis; certum nihilominus eſt, materiam realiter ſpectatam diverſis affici diſpoſitionibus, per quas diverſis formis aptatur, ſeu diverſas induit formas: unde vere, ac recte dicemus, hanc materiæ partem eſſe ſub illa forma, quia tales habet diſpoſitiones. Igitur hæ phraſes, quibus ſæpe utitur S. Thomas: *Non dependet, niſi ex ſimplici voluntate*: *Non habet rationem, niſi voluntatem*, non excludunt quamcumque aliam rationem, ſed aliquam tantummodo, eamque determinatam juxta qualitatem argumenti, de quo S. Doctor diſputat. Eſt heic revocanda ejuſdem Angelici obſervatio hujus additamenti n. 2. jam poſita.

Digitized by Google

24. Vis repræſentandi, ac cognoſcendi apud homines dependere poteſt a ſitu corporis; & quatenus actu dependet, enaſcitur in ideis, & cognitionibus humanis confuſio. DEUS omnia adæquate ſibi repræſentat, & cognoſcit; immo ſic repræſentare, & cognoſcere debet (§. 22.): abeſt itaque in DEO, immo abeſſe debet omnis a repræſentando, & cognoſcendo confuſio: hinc in DEO nec eſt, nec eſſe poteſt locus ſenſui, aut imaginationi (§. 14. Pſychol.).

25. Atque adeo intellectus DEI eſt purus (§. 63. Pſychol.).

SCH. Nihil DEUS ſentit, nihil imaginatur: cognoſcit tamen ſenſationes, ac imaginationes noſtras; cum enim omnia cognoſcat, animam ſentientem, itemque imaginantem etiam cognoſcat, eſt neceſſe.

26. A DEO omnia ſimul, atque ſemel intime perſpiciuntur (§. 20.): OMNIS PROINDE AB EO DISCURSUS EXULAT (§. 17. Log.). Neque etiam alio ſenſu cognitio ſymbolica illi convenit, niſi quatenus noſtras cognitiones ſymbolicas cognoſcit.

27. Poſſibilia vel conſiderari poſſunt extra nexum, & ſyſtema quoddam, ubi præter poſſibilitatem intrinſecam nihil in iis ſeſe cognoſcendum offert; vel vero poſſunt ſpectari ceu inter ſe connexa, atque in certum ſyſtema redacta; abſque eo tamen, ut ad actualitatem, quam iſte nexus, aut ſyſtema habet, vel habere poteſt, reſpiciatur; quo caſu exiſtentiæ quoque, ſed nempe ejus, quam conditionatam vocant, non vero, quæ *abſoluta* dici ſolet, cognitio obtinetur. (140)

(140) 1. Ordinem quemdam, ſeu nexum & inter poſ-

SCH. Vi exiſtentiæ conditionatæ de re quadam dici poteſt: extitiſſet, vel exiſteret: *vi exiſtentiæ abſolutæ vero*: extitit, *vel* exiſtit, *vel* exiſtet.

28.

---

poſſibilia poſſe conſiderari, ille ſolum negare poterit, qui in rebus nunc exiſtentibus nullum nexum, nullumve ordinem agnoſcat: ille enim ordo, ſive nexus, qui nunc inter ea exiſtit, quæ hoc univerſum componunt, & eſt certe intrinſece poſſibilis, hoc eſt nullam involvens contradictionem, & inter mere poſſibilia ſemper fuiſſet, niſi DEO placuiſſet hoc univerſum ad actum exiſtentiæ perducere. „ Eſt autem duplex ordo conſi„ derandus in rebus, inquit S. Thomas 1. p. q. 21. ar. 1. ad 3.: „ unus, quo aliquid creatum ordinatur ad „ aliud creatum, ſicut partes ordinantur ad totum, „ & accidentia ad ſubſtantias, & unaquæque res ad „ ſuum finem: alius ordo, quo omnia creata ordinan„ tur in DEUM „. Et q. 48. ar. 1. ad 5. „ Partes u„ niverſi habent ordinem ad invicem, ſecundum quod „ una agit in alteram, & eſt finis alterius, & exem„ plar „. Vid. Nota (71) ad §. 13. Coſm.

2. Eſt heic utiliter animadvertendum, non omnem nexum inter creaturas eſſe eſſentialem, vel neceſſarium; cujuſmodi eſt inter eſſentialia, & attributa; inter cauſſas neceſſarias, earumque effectus: eſt enim nexus etiam accidentalis, atque contingens; immo & liber, ut vel inde patet, quod in hoc univerſo ſint pleraque inter ſe connexa quo ad modos, actiones, paſſiones, libertatis exercitium, & fiant pleræque mutationes in creaturis hujus univerſi dependenter ab iſtis nexibus, ut facile conſideranti patet: quot enim contingunt mutationes in hominibus, aliiſque hujus univerſi rebus dependenter a liberis eorumdem hominum actionibus? Nexus ergo rerum generatim in eo conſiſtit, quod quædam contineant rationem ſufficientem, vel aliquid pertinens ad conflandam rationem ſufficientem exiſtentiæ, vel ſucceſſionis, ſeu cujuslibet modificationis quarumdam aliarum.

3. Ex nexu conſequitur, quod, data tali rerum ſerie, ſint pariter tales mutationes conſecuturæ; atque adeo nexus rerum quamdam involvit hypotheticam determinationem

Digitized by Google

28. DEUS OMNIA POSSIBILIA ITA COGNOSCIT, UT NON MODO UNIUSCUJUSQUE POSSIBILITATEM, SED ETIAM CONDITIONATAM EXISTENTIAM CER-

terminationem exiſtentiæ, ſeu ſucceſſionis, aut modificationis ipſarum ita, ut ex datis A, B, C ſit ponenda, ſeu affirmanda exiſtentia, vel ſucceſſio, vel modificatio D, E, F. Ea, quorum exiſtentia, ſucceſſio, aut modificatio ponenda, ſeu affirmanda ideo eſt, quia quædam alia ſunt data, dicuntur futura conditionata. Si nullus ſit nexus rerum, non ideo ponenda, vel affirmanda ſunt quædam, quia alia ſunt data: igitur ſublato rerum nexu nulla ſunt futura conditionata: atqui nexus involvit (n. 2.) principium rationis ſufficientis: igitur non admiſſo hoc principio nulla ſunt futura conditionata.

4. Quæ non habent, niſi hypotheticam determinationem ad exiſtendum, non ſunt iccirco abſolute extitura, cujuſmodi ſunt, quæ dicuntur abſolute futura. Differunt ergo futura conditionata a futuris abſolutis: nec eadem iccirco eſt ratio ſufficiens futuritionis conditionatæ, & futuritionis abſolutæ: illa in rerum nexu eſt poſita; hæc in libera DEI voluntate.

5. Poſſibilia, quatenus mere poſſibilia, nullam involvunt hypotheticam determinationem ad exiſtendum: ſunt enim, & intelliguntur mere poſſibilia ex eo præciſe, quod non involvant contradictionem: igitur futura conditionata, cum involvant hypotheticam determinationem ad exiſtendum, differunt etiam a mere poſſibilibus: atque adeo non eadem eſt ratio ſufficiens poſſibilitatis, & futuritionis conditionatæ: illa in ſola non repugnantia eſt conſtituta, hæc in nexu rerum, ex quo fluit hypothetica ad exiſtendum determinatio.

6. Nexus rerum a libera DEI voluntate dependet, ut exiſtat, non ut ſit poſſibilis, ſeu ut ineſſe intelligatur rebus poſſibilibus: nec ille ſufficit, ut res exiſtant reipſa: ſufficit tamen, ut habeatur hypothetica futuritio: non ergo dependet a libera DEI voluntate hypothetica futuritio; atque adeo nullo divino decreto eſt opus, ut conditionata habeatur futuritio.

TISSIMO PERSPICIAT. DEUS enim, cum omnes mundos poſſibiles ſibi adæquate repræſentet, penitiſſime omnes poſſibilium nexus, omnia ſyſte- mata

7. Impedire poteſt DEUS ſua libera voluntate, ne id interdum eveniat, quod tamen ſecuturum eſſet ob rerum nexum: ſic poteſt (ex cit. Nota (71) ad n. 13. Coſm.) impedire mortem, quæ ſecundum naturæ diſpoſitionem eſſet ſecutura: cum ergo enuntiatur aliquid, ut conditionate futurum, id ſemper intelligitur, ſpectata natura, & nexu rerum: nam ſi ſupponamus, DEUM velle impedire, fit jam nova hypotheſis a prima diverſa; nec tamen hæc præjudicat futuritioni conditionatæ, quæ ex nexu rerum oritur; immo ſi iccirco non evenit, data, ſeu, ut ajunt, purificata conditione, quod erat conditionate futurum, quia DEUS impedit, erat ergo reipſa conditionate futurum; cum proprie illud ſolum impediri dicatur, quod aliunde ſecuturum eſt.

8. Dum aliquid ut conditionate futurum enuntiatur, non tota ſemper exprimitur conditio; unde non ſemper apparet nexus inter conditionem, & conditionatum. Dependet ſæpe hic nexus a multarum rerum complexione; nec certo cognoſci poteſt, niſi ab eo, qui totam illam complexionem cognoſcit. Interdum quod ut conditionate futurum exprimitur, eſt potius aliquid promiſſum, quam verum futurum conditionatum: Sic IV. Reg. cap. 13. dicitur ad Regem Joas: *Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, aut ſepties, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem*: cumque hæc promiſſio a libera DEI voluntate pendeat, connexio pariter inter conditionem, & conditionatum pendet in hoc conditionatorum genere a libera DEI voluntate.

9. Conſtat, hunc mundum eſſe ſeriem compoſitam ex ordine naturali, & ſupernaturali, ad quem pertinent etiam miracula: conſtat pariter, pleraſque contingere mutationes ex unius ordinis in alterum influxu: poſſibilis ergo eſt aliqua ſeries, in qua naturalia cum ſupernaturalibus quamdam habeant connexionem; atque adeo in qua determinentur pleraque, ut conditionate futura, a nexu unius ordinis cum alio, quæ cognoſci non poterunt niſi ab illo, qui totam ipſam ſeriem cognoverit.

mata perſpicit: cognoſcit proinde in quo nexu, in quo ſyſtemate unumquodque exiſteret; hoc eſt cognoſcit cujuslibet exiſtentiam conditionatam.

SCH. A DEO cognoſci poſſibilium exiſtentiam conditionatam, haud paucis Scripturæ ſacræ teſtimoniis confirmatur. Lib. 4. *Reg. dicitur*: Si percuſſiſſes quinquies, aut ſexies, aut ſepties, percuſſiſſes Syriam uſque ad conſumptionem. *Sapient.* 15. Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus, aut ne fictio deciperet animam ejus. *Matth.* 11. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sidone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent. (141)

(141) 1. Poſſibilia omnia cognoſcit DEUS tum abſolute, cum ſyſtematice ſpectata, independenter a quovis libero DEI decreto: poſſibilia enim ſive abſolute, ſive ſyſtematice ſpectata, quamvis ex his reſultent futura conditionata, non ſolum neceſſaria, ſed etiam creaturis libera (Notæ præced. n. 2.), ſunt mere poſſibilia, niſi DEUS iis decernat exiſtentiam: at mera poſſibilia a DEO cognoſcuntur independenter a quovis libero ipſius decreto: ergo &c.

2. Quæ ſunt dependenter a rerum nexu conditionate futura, ea pariter a DEO cognoſcuntur independenter a quovis libero illius decreto: quamvis enim hujuſmodi conditionate futura differant (Notæ præced. n. 5.) a mere poſſibilibus; reſultant tamen ex ipſis poſſibilibus ſyſtematice cognitis: eodem igitur modo cognoſcuntur, ac ipſa poſſibilia ſyſtematice. Quæ vero pendent a libera DEI permiſſione, ut miracula ad preces alicujus Sancti, percuſſio Syriæ uſque ad conſumptionem &c., non cognoſcuntur ut conditionate futura, niſi dependenter ab aliquo libero DEI decreto ſaltem hypothetice præſuppoſito.

3. Poſſunt hæc perſpicuis S. Thomæ teſtimoniis confirmari: ut enim obſervat lib. III. cap. 94. cont. Gen.

29. *Cognitio poſſibilium præciſe ut poſſibilium* a Theologis paſſim *ſcientia ſimplicis intelligentiæ*: *Cognitio* autem, *qua poſſibilium exiſtentia conditionata perſpicitur*, *ſcientia media* appellatur. In DEO proinde dari ſcientiam ſimplicis intelligentiæ, itemque mediam ex dictis conſtat. (142)

30.

„ In quolibet providente duo conſiderare oportet; ſcilicet ordinis præmeditationem, & præmeditati ordinis inſtitutionem; quorum primum ad cognoſcitivam virtutem pertinet, aliud vero ad operativam „. His habet non diſſimilia in I. Sent. diſt. 39. ar. 1. q. 2. ar. 2. ubi ait: „ Providentia diſpoſitionem ſupponit, quæ ordinem in rebus determinat in diverſarum naturarum gradu ſalvatum „. Et ar. 1. ejuſdem quæſt. ait: „ Diſpoſitionem pertinere tantum ad ſcientiam DEI, niſi ulterius eam DEUS ordinet in opus cum propoſito exequendi; tunc enim pertinet etiam ad voluntatem „. Scientia igitur diſpoſitionis, ſeu præmeditatio ordinis nullum per ſe loquendo præſupponit, aut involvit decretum: at DEUS hoc ipſo cognoſcit futura conditionata etiam creaturis libera, quæ a rerum nexu pendent, quod diſpoſitionem cognoſcat, quæ ordinem determinat in rebus, ſeu quod habet ordinis præmeditationem: hæc enim diſpoſitio, ſive hic ordo non differt a nexu ipſo rerum in ſyſtemate: cognitio ergo conditionatorum, quæ ex rerum nexu pendent, nullum ex S. Thoma ſupponit, aut involvit decretum.

(142) „ Reſpectu eorum, quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt, dicitur DEUS habere ſcientiam ſimplicis intelligentiæ: ea vero, quæ ſunt, fuerunt, vel erunt, dicitur DEUS ſcire ſcientia viſionis „ inquit S. Thomas 1. p. q. 14. ar. 9.: atqui non ſolum mere poſſibilia, ſed & conditionate futura, qua talia, ſunt in eorum numero, quæ nec ſunt, nec fuerunt, nec erunt: igitur cognoſcuntur a DEO ſcientia ſimplicis intelligentiæ, quin neceſſe ſit novo vocabulo Antiquis omnibus inuſitato ſcientiam mediam invehere. Accedit ad hæc, ſcientiam mediam proprie illam eſſe juxta definitionem Annati Diſp. 4. de Scientia me-

30. Quemadmodum in quovis ſyſtemate, ſeu nexu poſſibilium, in quo ad actualitatem ipſius nexus non reſpicitur, ſingula poſſibilia exiſterent (§. 28.); ita in ſyſtemate, ſive nexu poſſibilium, quem actualitate ſua gaudere ſumimus, ſingula poſſibilia ſuo ordine exiſtunt. Non diſpari proinde ratione hic ſingulorum poſſibilium exiſtentia abſoluta cognoſci poteſt, qua ibi exiſtentiam conditionatam cognoſci poſſe dictum eſt.

31. *Cognitionem, qua rerum abſolutæ exiſtentiæ perſpiciuntur*, Theologi alias etiam *ſcientiam viſionis* nominant.

32. IN DEO DATUR SCIENTIA VISIONIS. DEUS hunc mundum, qui inter omnes poſſibiles actum conſecutus eſt, adæquate ſibi repræſentat (§. 20.): itaque certiſſimo novit, quæcumque in hoc nexu, ſive ſyſtemate poſſibilium exiſtunt; hoc eſt, poſſibilium exiſtentias abſolutas cognoſcit (§. 20.): in DEO proinde datur ſcientia viſionis (§. præc.).

33. Quoniam poſſibilia in hoc mundo certo ordine exiſtunt ita, ut aliorum exiſtentia ſit præterita, aliorum præſens, aliorum futura, conſequens ſit, hanc ſcientiam viſionis in DEO

media „ cujus totum myſterium eſt, ut DEUS per „ eam videre hunc actum in his circumſtantiis determinate ſecuturum ex poteſtate voluntatis, quamvis „ indifferentis, ad eum, vel oppoſitum ponendum; „ & quamvis ipſa conditio non ſit ratio, cur ſequatur conditionatum, nec habeat determinatam cum „ conditionato magis, quam cum ejus oppoſito connexionem „ : atqui ſi nullus ſit nexus, nulla ſunt conditionate futura (Nota (140) ad §. 27. n. 3.): chimericum ergo eſt prorſus ſcientiæ mediæ myſterium.

æque ad futura, quam ad præſentia, & præterita pertinere.

34. Per hoc, quod aliquid certo exſtiturum prævideatur, res ipſa nihil intrinſecæ mutationis ſubit: prævisio enim, ut receptus in Scholis loquendi mos fert, id, quod prævidetur, ſupponit, non vero ponit: ſive, non ideo quid fiet, quia prævidetur, ſed ideo prævidetur, quia fiet. Patet etiam hoc ipſum exemplis: ſane ex hoc, quod e. g. eclypſim certo extituram noverimus, nulla vel in Solem, vel in Lunam, vel in Terram mutatio invehitur: nempe quæ in rebus eveniunt, partim per eſſentias, partim per nexum illarum determinantur: animæ vero mutationes per ipſam animam utpote libertate præditam, ſuppoſito motivo volendi, antecedenter ad prævisionem determinantur: atque exinde liquido colligere licet, DEI PRÆVISIONEM NEC RERUM CONTINGENTIÆ, NEC LIBERTATI OFFICERE.

35. *Omniſcius* dicitur, *qui*, *quidquid cognoſcibile eſt*, *actu cognoſcit*.

36. DEUS EST OMNISCIUS. DEUS omnia ſimpliciter poſſibilia ita cognoſcit, ut non modo uniuſcujuſque poſſibilitatem, ſed etiam exiſtentiam conditionatam certiſſimo perſpiciat (§. 28.): ad hæc etiam certiſſimo novit quæcunque exſtiterunt, exiſtunt, atque extitura ſunt: præter iſta autem, quod cognoſcibile ſit, *nihil* aſſignaveris: DEUS proinde, quidquid cognoſcibile eſt, cognoſcit; conſequenter omniſcius eſt (§. præc.).

37. DEUS SUMMA RATIONE GAUDET. In quovis mundo ea, ex quibus ipſe tanquam partibus

bus conſtat, inter ſe connexa ſunt, unumque ab altero partim quoad coexiſtentiam, partim quoad ſucceſſionem dependet: hanc connexionem, & dependentiam DEUS penitiſſime comprehendit (§. 22.): DEUS ergo ſumma ratione gaudet (§. 78. Pſychol.).

38. Intellectus divinus est fons, ac principium omnis possibilitatis. DEUS enim tanquam cauſſa mundi omnia poſſibilia ſibi repræſentat (§. 22.); & quidem repræſentando facit poſſibilia: itaque ratio ſufficiens poſſibilium in intellectu DEI continetur: eſt proinde intellectus DEI fons, ac principium omnis poſſibilitatis.

SCH. Nempe de intellectu divino prorſus aliter ſentiendum, quam de humano. Nos cogitando, ac meditando ſolum eo pervenimus, ut cognoſcamus, quod ab æterno jam poſſibile fuit; hinc intellectus noſter ipſe nihil poſſibile facit, ſed poſſibile præſupponit: oppoſitum habetur in DEO.

39. Quoniam poſſibilitas eſt id, quod in ente quovis primum concipitur; id autem, quod primum in ente concipitur, eſſentia dicitur (§. 51. Ontol.); liquet porro, intellectum divinum, uti omnis possibilitatis, ita omnium essentiarum esse fontem, ac principium; atque adeo essentias non immerito æternas dici posse (§. 14.).

40. Itaque cur quodlibet ens his prædicatis eſſentialibus gaudeat, ratio in intellectu DEI continetur: ſive ideo ens quodvis his prædicatis eſſentialibus gaudet, quia DEUS ens ita concepit, ſeu ſibi repræſentavit: hinc, ſalvo DEI conceptu, fieri ſane nequit, ut ens quodpiam aliis prædicatis eſſentialibus gaudeat, quam quibus actu gaudet.

SCH.

SCH. Ex hoc manifeſte refutantur, qui cenſent, DEUM pro arbitrio ſuo enti alicui has, vel illas perfectiones eſſentiales poſſe concedere; cum ex hoc ſequi neceſſe ſit, DEUM idem ens concipere, & non concipere poſſe, quod tamen abſurdum. (143)

CAPUT IV.

De Voluntate, & Attributis cum ea connexis.

41. INter omnes mundos poſſibiles DEUS unum elegit, eique exiſtentiam impertitus eſt (§. 20.): quoniam ergo omnis libera electio liberam præſupponit voluntatem, DEUM LIBERA VOLUNTATE GAUDERE in aperto eſt.

42. DEUS repræſentando ſibi omnes poſſibiles mundos uniuſcujuſque perfectionem penitiſſime diſcernit: ad hoc itaque, ut unum præ omnibus cæteris eligeret, majori gradu perfectionis in eo deprehenſæ permotum eſſe colligimus.

43. MUNDUS PRÆSENS GRADU PERFECTIONIS SUÆ OMNIUM POSSIBILIUM MUNDORUM PERFECTIONEM SUPERAT. Gradus enim perfectionis hujus mundi impulit DEUM ad hoc, ut hic mundus præ aliis eligeretur (§. 20.): quod ſi inter cæteros poſſibiles quidam continetur, cujus gradus perfectionis ſit major, ratio nulla ſuppetit, cur præ illo gradus perfectionis mundi præſentis DEUM impulerit: enimvero cum nihil ſine ratione ſufficiente potius ſit, quam aliud

(143) Uberius, quæ heic tradit Auctor, intelligentur, ſi ea recolere lubeat, quæ Nota (39) ad §. 128. Ontol. ſunt dicta.

liud, dicendum, quod mundus præſens gradu perfectionis ſuæ omnium cæterorum mundorum poſſibilium perfectionem ſuperet.

SCH. Nos homines ſæpe eligimus, quod minus perfectum eſt præ perfectiori: at hujus ratio ſufficiens redditur ex eo, quod rerum perfectiones non rite ſemper diſcernamus; quod tamen de DEO dici nequit.

44. Mundus præsens inter omnes mundos possibiles perfectissimus est. Cum enim inter omnes poſſibiles mundos nullus reperiatur, cujus perfectionem præſentis mundi perfectio non ſuperet (§. præc.), mundus præſens inter omnes poſſibiles perfectiſſimus ſit, eſt neceſſe.

SCH. 1. Docuimus alibi, mundum perfectiſſimum cenſendum eſſe eum, in quo pauciſſimæ exceptiones occurrunt (§. 63. Coſmol.): ex hoc autem uno maxima ex parte robore ſuo deſtitui intelliges ea, quæ obſtare videntur, quo minus mundus præſens perfectiſſimus cenſeatur. Scilicet in mundo præſente permulti occurrunt defectus: at ajo ego, hos defectus non eſſe niſi exceptiones (§. 133. Ontol.); conſequenter defectus ſolum apparentes (§. 134. Ontol.): defectus autem ſolum apparentes, ſeu exceptiones de ſe imperfectionem in toto non pariunt (§. eod.): itaque ſi nihilominus inter mundos poſſibiles alius præſente perfectior fuerit, in eo vel nullæ plane, vel certo pauciores exceptiones reperiantur eſt neceſſe (§. 63. Coſmol.): atqui autem inter mundos poſſibiles unum aliquem reperiri, in quo vel nullæ plane, vel pauciores, quam in mundo præſente, exceptiones occurrant, nemo unquam demonſtraverit.

SCH. 2. At forte præſens mundus per DEI voluntatem perfectior eſſe poterat. Sane quo id pacto fieri

fieri potuiſſet, non apparet, niſi quidem admittere libeat, rerum eſſentias ab arbitrio DEI pendere; quod tamen admitti non poſſe jam ſupra oſtendimus.

SCH. 3. An igitur DEUS non poſſet perfectiora entia producere, quam ea ſint, quibus hic mundus conſtat? quod ſi poteſt, ergo mundus iſte perfectiſſimus cenſeri nequit. Supponitur in argumento, perfectionem mundi deſumendam eſſe a perfectione partium ſeorſim, & extra nexum conſideratarum; quod tamen erroneum eſt per ea, quæ de perfectione in Ontologia, itemque Coſmologia (§. 61.) tradita ſunt. Itaque tametſi lubenter damus, a DEO produci poſſe entia, quæ ſeorſim ſpectata perfectiora ſint, quam entia, quibus præſens mundus conſtat; negamus tamen exinde perfectiorem mundum exoriturum, quam præſens mundus ſit. Nempe perfectio mundi pendet a conſenſu partium (§. cit.): partes, tametſi in ſe, ac ſeorſim ſpectatæ, majori perfectione fuerint præditæ, minus conſentire poterunt; unde etiam minor in toto perfectio futura eſt: ex adverſo partes, tametſi ſeorſim conſideratæ minori perfectione gaviſæ fuerint, magis conſentire poterunt; unde in totum etiam major perfectio derivabitur.

45. Ex mundis omnibus poſſibilibus actum conſecutus eſt, quem DEUS elegit. Electio eſt exercitium voluntatis: itaque VOLUNTAS DEI EST ILLUD, IN QUO RATIO ACTUALITATIS MUNDI, ET EORUM, QUIBUS MUNDUS CONSTAT, CONTINETUR.

SCH. Poſſibilitas *entis cum* actualitate *ejuſdem certe confundenda non eſt: tametſi ergo tunc, cum de actualitate entis quæſitum fuerit, ad voluntatem DEI recurrere licuerit; non tamen licuerit in caſu, quo de poſſibilitate quæſtio fuerit inſtituta. In philoſophicis diſciplinis omnis quæſtio aut immediate de*

poſſi-

poſſibilitate inſtituitur, aut ſaltem huc revocatur; conſequens inde ſit, in reſolvendis quæſtionibus philoſophicis perperam ad DEI voluntatem recurri.

46. *Voluntas DEI de mundi actualitate, Decretum* dicitur. Hinc quidem clare ſequitur, omnia, quæ in mundo eveniunt, a decreto DEI pendere: quod tamen quo modo accipiendum ſit, ex dicendis uberius colligemus.

47. Mundus eſt congeries rerum inter ſe connexarum (§. 4. Coſmol.): dum ergo res mundanæ per DEI voluntatem, ſive decretum actum conſequuntur, in relatione ad nexum conſequuntur; hoc eſt DEUS vult, & decernit res mundanas, qua inter ſe connexas: ex quo porro perſpicuum fit, decretum DEI ipſis rebus quam maxime accomodatum eſſe ita, ut neque earundem contingentiæ, neque libertati officiat, vel officere poſſit.

SCH. Nempe nexus rerum mundanarum neque contingentiæ illarum, neque libertati officit, cum non niſi principio rationis ſufficientis nitatur. Unde idem dicendum de decreto DEI, quod huic nexui ſuperſtruitur.

48. *Facultatem omni illi, quod poſſibile eſt, exiſtentiam impertiendi, Omnipotentiam* dicimus.

49. DEUS EST OMNIPOTENS. Etenim ut mundo huic impertitus eſt exiſtentiam, ita cuivis ex poſſibilibus impertiri valet: quoniam ergo omnes mundi poſſibiles omnia poſſibilia comprehendunt, patet, in DEO dari facultatem omni illi, quod poſſibile eſt, exiſtentiam impertiendi: DEUS proinde omnipotens eſt (§. præc.).

SCH. Ad conceptum, ſeu definitionem omnipotentiæ attendentes utique concludere debemus, ad DEUM,

Digitized by Google

ex hoc, quod omnipotens ſit, minime pertinere, ut impoſſibilia reddat poſſibilia, exiſtentiamve illis impertiatur.

50. Etſi DEUS omne poſſibile ad exiſtentiam perducere, ſive (quod idem nobis ſonat) producere valet, non tamen actu producit id, quod eatenus accidit, quatenus non producit, niſi ea, quæ ipſe libere decernit: hinc autem clare intelligimus, DEUM quæcunque producit, ex intentione producere (§. 237. Ontol.): quod ipſum adeo notanter ad mundum præſentem, hoc eſt res omnes mundanas, earumque eventus applicari debet.

51. Atque ex hoc luculentius jam refutantur quotquot mundum fatali alicui neceſſitati ſubjectum volunt: ubi enim omnia ex libera intentione fiunt, quævis fatalis, & abſoluta neceſſitas exulet, eſt neceſſe.

52. Qui ea, quæ ex intentione producit, ita ordinare novit, ut propiora fiant media remotiorum, *ſapiens* dicendus eſt (§. 203. Pſychol.). Res mundanæ, quæ univerſim ex intentione a DEO productæ ſunt (§. præc.) ita coordinatæ ſunt, ut per antecedentia conſequentia actum ſuum conſequantur (§. 4. Coſmol.): itaque DEUS SAPIENS EST.

53. Sapientis præcipue eſt omnia, quæ ex intentione agit, ad principalem aliquem finem demum referre; conſequenter DEUS OB CERTUM FINEM MUNDO PRÆSENTI EXISTENTIAM IMPERTIVIT.

54. FINIS, CUR DEUS MUNDO PRÆSENTI EXISTENTIAM IMPERTIVERIT, EST PERFECTIONUM SUARUM, SIVE, UT AJUNT, GLORIÆ IPSIUS MANIFE-

NIFESTATIO. Equidem cum mundus ſit id ipſum, per quod finis obtineri debet, patet primo, finem, cur mundus productus ſit, in ipſo mundo non reperiri; itaque extra mundum, conſequenter in DEO reperiatur, oportet. Quoniam autem DEUS ens neceſſarium eſt, atque adeo ab aliis independens, liquet etiam, ex mundo, ejuſque productione nihil in ipſum DEUM redundare poſſe, quod prius non habuerit: reſtat proinde, ut affirmemus, DEUM in mundi productione non aliud intendiſſe, quam perfectionum ſuarum, ſeu gloriæ ſuæ manifeſtationem.

55. Eſt quoque ſapientis eligere media convenientiora, ac aptiora ad finem præ minus convenientibus, minuſve aptis: ſecus ſi agit, a ſapientia deficit. Exinde autem denuo colligimus, inter omnes mundos poſſibiles non dari perfectiorem præſente, quem DEUS elegit eum in finem, ut per illum perfectiones ſuas manifeſtet: illud namque credibile nequaquam videtur, perfectiones divinas per mundum perfectiorem, & minus perfectum æqualiter manifeſtari poſſe. (144)

CA-

(144) 1. Pauca nunc reſtant de mundo optimo adjicienda poſt illa, quæ adnotavimus ad §. 20. 27. 28. 29., & poſtquam ipſe A. jam multa præmiſit §. 42. 43. 44. 54. Mundum hunc fuiſſe a DEO ex omnibus poſſibilibus libere electum, & in aliquem finem ordinatum, nemo ſanæ mentis inficiabitur. Electionem inter plura fieri *cum quadam diſcretione unius ab altero*, & docet aperte S. Thomas 1. 2. q. 13. ar. 2. ad 1., & patet ex ipſa notione electionis, quæ eſt *præacceptio unius reſpectu alterius*, ut notat ibidem S. Doctor in corp.; atque adeo comparationem, & prælationem importat. Perſpicuum etiam eſt, *de eo, quod eſt agendum propter finem*

CAPUT V.

De Operibus DEI.

56. DEUS mundum hunc ad actum, ſive exiſtentiam deduxit, cum de eo extra intellectum divinum, in quo idealiter latebat, nihil penitus appareret: quoniam ergo hujuſmodi

---

nem, prius eſſe inquirendum, an conveniat ad ducendum in finem, ut notat idem Angelicus 1. 2. q. 14. ar. 5. ad 3.: evidens igitur pariter eſt, mundum hunc fuiſſe præ ceteris poſſibilibus electum a DEO ſua infinita ſapientia diſcretiva cognoſcente, hunc præ ceteris poſſibilibus fini a ſe intento ex aſſe reſpondere, hoc eſt convenientiſſimum eſſe ad ducendum in talem finem: ille namque ſapienter eligit, atque prudenter, qui media ad finem magis apta minus aptis anteponit: igitur hic mundus, ſi ad eum finem referatur, ad quem fuit a DEO eligente ordinatus, dici debet, & reipſa eſt omnium poſſibilium perfectiſſimus: perfectio enim medii, quatenus medium eſt, in illius ad finem aptitudine conſiſtit.

2. Id unum ergo ſupereſt inquiramus, utrum finis, ad quem hic mundus a DEO ordinatus eſt, ſit omnium præſtantiſſimus, ad quos mundi quique poſſibiles poſſunt ordinari: etenim, ut modo diximus, medii perfectio, quatenus medium eſt, in illius cum fine congruitate eſt poſita: at nullus mundus poteſt a DEO eſſe volitus ut finis, ſed tantum ut medium; cum finis DEI operantis, ſeu volentis aliquid extra ſe non alius eſſe poſſit, quam ſuamet bonitas, atque perfectio, non quidem ut producenda, vel obtinenda, vel augenda, ſed ut communicanda, & repræſentanda, ſeu manifeſtanda, ut obſervat etiam S. Thomas 1. p. q. 23. a. 5. ad 3., & lib. II. cont. Gen. cap. 35., & q. 3. de Poten. ar. 15. ad 14., aliiſque multis in locis: igitur ſi finis, ad quem hic mundus a DEO eſt ordinatus,

præ-

modi deductio ad exiſtentiam vulgo *Productio ex nihilo*, atque uno nomine *Creatio* ſalutari ſolet,
 id-

---

præſtantiſſimus ſit omnium, ad quos mundi quique poſſibiles ordinari poſſunt; eſt utique hic mundus ſimpliciter perfectiſſimus inter omnes poſſibiles mundos.

3. Præſtantius nequit divina bonitas, atque perfectio per quemcumque poſſibilem mundum manifeſtari, quam ſi manifeſtetur, quantum eamdem manifeſtari poſſibile eſt, per creaturas. Certum eſt, divinæ perfectionis repræſentationem, quæ fieri poteſt per mundos, aut creaturas quaslibet poſſibiles, non poſſe talem, aut tantam eſſe, ut ad æqualitatem pertingat. *Non poteſt eſſe talis repræſentatio per modum æqualitatis*, inquit S. Thomas cit. cap. 35., *ſed ſicut excedens repræſentatur ab eo, quod exceditur*. Hinc tamen minus recte quis inferret, nullum eſſe limitem, ultra quem poſſibilis non ſit perfectior repræſentatio per creaturas, immo, cum nulla eſſe poſſit repræſentatio ad æqualitatem, quælibet poſſibilis limites quoſdam habeat, neceſſe eſt. Cum igitur inter ea, quæ habent limites, nihil vetet unum eſſe omnibus præſtantius; nihil pariter obſtat, unam eſſe inter omnes repræſentationes divinæ perfectionis poſſibiles per creaturas, quæ ſit ceteris omnibus præſtantior, & excellentior.

4. Nec vero metuendum, ne limites divinæ figantur omnipotentiæ, ſi inter omnes divinæ perfectionis repræſentationes poſſibiles per creaturas una dicatur eſſe omnium præſtantiſſima, & excellentiſſima: nam ſi nulli figuntur limites divinæ omnipotentiæ ab adverſariis, cum negant produci a DEO poſſe mundum, qui ſit omnium poſſibilium perfectiſſimus; cur divinæ omnipotentiæ limites figentur dicendo, produci a DEO poſſe mundum inter omnes perfectiſſimum, qui ſcilicet divinam perfectionem repræſentet modo inter omnes modos per creaturas poſſibiles perfectiſſimo? Infinitos eſſe mundos, & gradus repræſentationis poſſibiles per creaturas, non evincit, dato quolibet, poſſibilem eſſe alium perfectiorem; poſſunt enim eſſe infiniti infra unum inter omnes poſſibiles perfectiſſimum, qui licet finitus in ſe ſit, poteſt tamen quoslibet alios poſſibiles pariter in ſe finitos perfectione ſuperare: neque de-

idcirco dicimus, quod DEUS mundum hunc creaverit.

57.

detrahitur divinæ omnipotentiæ, ſi dicamus, nullum effectum produci ab illa poſſe, qui finitus in ſe non ſit. Quare niſi demonſtretur, poſſibilem eſſe effectum finito quolibet perfectiorem, fruſtra quis obtrudet, figi limites divinæ omnipotentiæ ab iis, qui inter omnes poſſibiles effectus finitos unum eſſe ceteris omnibus perfectiorem aſſerunt, ultra quem, licet in ſe finitum, non ſit poſſibilis alius perfectior.

5. Docet S. Thomas 1. p. q. 25. ar. 6. ad 3. „ quod „ univerſum iſtud, ſuppoſitis iſtis rebus, non poteſt „ eſſe melius propter decentiſſimum ordinem his rebus „ attributum a DEO „. Num iccirco univerſum iſtud vel finitum non eſt, vel alium ordinem res iſtæ habere non poſſunt, vel hic ordo, in quo bonum univerſi conſiſtit, bonum eſt infinitum? Et tamen ſi decentiſſimus eſt hic ordo his rebus attributus a DEO, non eſt certe poſſibilis, ſuppoſitis iſtis rebus, ordo alius iſto perfectior: non ergo repugnat, effectum aliquem finitum in ſe eſſe, & nullum tamen alium eſſe poſſibilem perfectiorem. Quare licet quæcumque divinæ perfectionis repræſentatio per creaturas poſſibilis finita in ſe ſit, una tamen eſſe poterit omnium per creaturas poſſibilium excellentiſſima: atque adeo licet mundus quilibet poſſibilis ſit in ſe finitus, poterit tamen unus eſſe inter omnes poſſibiles perfectiſſimus: præſertim cum hic exceſſus perfectionis ſupra alios quoſcumque poſſibiles mundos non tollat, poſſibiles eſſe creaturas alias longe perfectiores iis, ex quibus mundus perfectiſſimus componitur: neque enim perfectio totius pendet a perfectione partium abſoluta, ſed a relativa, ſeu ex ipſarum partium congruitate ad totum, & finem totius. Unde fieri poteſt, ut aliquod totum ſit longe perfectius, licet aliquæ partes, ex quibus illud conſtat, ſint partibus alterius imperfectiores. „ Univerſum, in quo nihil mali eſſet, ait S. Thomas I. Sent. diſ. 48. a. 2. ad 5. „ non eſſet tantæ bonitatis, „ quantæ hoc univerſum, quia non eſſent tot bonæ „ naturæ in illo, ſicut in iſto „. Et ad 6.: „ Quamvis Angelus abſolute ſit melior, quam lapis; tamen

„ ut-

57. Creationis notionem diſtinctam nequicquam inquirimus: inficiari tamen, aut etiam

in

„ utraque natura eſt melior, quam altera tantum; & „ ideo melius eſt univerſum, in quo ſunt Angeli, & „ aliæ res, quam ubi eſſent Angeli tantum „. „ Optimi agentis eſt, ait etiam 1. p. q. 47. ar. 2. ad 1., „ producere totum effectum ſuum optimum, non tamen, quod quamlibet partem totius faciat optimam „ ſimpliciter, ſed optimam ſecundum proportionem ad „ totum „. „ Bonum enim, & melius, addit lib. III. con. Gen. cap. 94. „ non eodem modo conſideratur in „ toto, & in partibus: in toto enim bonum eſt integritas, quæ ex partium ordine, & compoſitione relinquitur: unde melius eſt toti, quod ſit inter partes ejus diſparitas, ſine qua ordo, & perfectio totius eſſe non poteſt „.

6. Hæc animadverſio, qua totius perfectio a partium perfectione diſtinguitur utilis eſſe poteſt etiam ad explicanda quædam ejuſdem Angelici teſtimonia, quæ mundo optimo videntur contraria: vel enim iis in locis loquitur S. Doctor de majore mundi perfectione quantum ad partes, vel de toto mundo, ut repræſentativo ſpecialis cujuſpiam attributi divini, puta bonitatis, vel miſericordiæ: quo ſenſu negari nequit, poſſibilem eſſe mundum, qui divinam aliquam peculiarem perfectionem evidentius repræſentet, & ſit ſub hujuſcemodi reſpectu iſto perfectior: at id minime impedit, hunc eſſe omnibus poſſibilibus ſimpliciter perfectiorem, ſi per hunc fiat excellentior repræſentatio non unius tantum, vel alterius divini attributi, ſed totius divinæ perfectionis. Cujuſmodi profecto erit hic mundus, ſi per hunc divina bonitas, atque perfectio repræſentetur, quantum poſſibile eſt eamdem per creaturas repræſentari: hoc enim dato, nullus certe alius mundus poſſibilis eſt, quo præſtantius, aut excellentius divina bonitas, atque perfectio repræſentetur.

7. Talem reipſa hunc mundum eſſe, iis argumentis ſuadetur, quæ ſiquis ut inepta deſpiciat, & S. Thomas ſæpe ineptire eidem videatur, neceſſe eſt. Enimvero hunc mundum fini a DEO per illum intento ex aſſe reſpondere, hoc eſt convenientiſſimum eſſe ad ducen-

in dubium vocare eandem non licet vel ex eo, quod partes mundi aut ipſæ ſimplices ſint, ut *Spi-*

cendum in talem finem, evidens eſt (n. 1.): at finis a DEO intentus in hujus mundi productione eſt repræſentatio, ſive manifeſtatio divinæ perfectionis, quantum poſſibile eſt eamdem per creaturas manifeſtari: proindeque &c. Minorem propoſitionem & expreſſe demonſtrat, & evidenter ſupponit multis in locis S. Doctor.

8. „ Cum omne agens, inquit lib. II. con. Gen. cap. 45. n. 1. „ intendat ſuam ſimilitudinem in effectum inducere, ſecundum quod effectus capere poteſt, tanto „ hoc agit perfectius, quanto agens perfectius eſt . . . „ DEUS eſt autem perfectiſſimum agens: ſuam igitur „ ſimilitudinem in rebus creatis ad eum pertinebat inducere perfectiſſime, quantum naturæ creatæ convenit „: ex his præmiſſis ita concludit eodem loco: „ Oportuit igitur eſſe multiplicitatem, & varietatem „ in rebus creatis ad hoc, ut inveniretur in eis DEI „ ſimilitudo perfecta ſecundum modum ſuum „. Ibid. n. 2.: „ Non eſſet perfecta DEI ſimilitudo in univerſo, ſi eſſet unus tantum gradus omnium entium: „ propter hoc igitur eſt diſtinctio in rebus creatis, ut „ perfectius DEI ſimilitudinem conſequantur per multa, quam per unum „. Et n. 3. repetit: „ Oportuit igitur ad hoc, ut in creaturis eſſet perfecta „ DEI imitatio, quod diverſi gradus in creaturis invenirentur „. Annon evidens eſt, hoc in loco a S. Thoma demonſtrari, in eum finem a DEO deſtinatum hunc mundum, ut in gradu omnium poſſibilium perfectiſſimo, ſeu quammaxime per creaturas fieri poteſt, divinam perfectionem repræſentaret? Fac id verum non eſſe, vel incertum; annon ſtatim claudicant conſecutiones, quas inde deducit? Nonne conſecutiones ipſæ evidenter ſupponunt tamquam certiſſimum principium propoſitionem illam?

9. Nec ſolum probat, aut evidenter ſupponit Angelicus minorem propoſitionem n. 7. præmiſſam, ut ex dictis manifeſtum eſt; verum etiam probat, aut evidenter ſupponit, præcipuam conſecutionem, quam heic intendimus, hunc mundum videlicet eſſe reipſa inter omnes

Spiritus, & *Anima*, aut ex ſimplicibus conſtituantur, ceu *Corpora*: ſimplicia autem non niſi

---

omnes poſſibiles optimum: ait enim cit. cap. n. 4.: „ Perfectius eſt univerſum creaturarum, ſi ſunt plures, „ quam ſi unus tantum gradus rerum: ſummo autem „ bono competit facere, quod melius eſt: ergo conve„ niens ei fuit, ut plures faceret creaturarum gra„ dus „. Annon evidenter heic affirmat, & ex indicata notione ſummi boni probat, DEUM ſemper eligere optimum; atque adeo hunc mundum a DEO electum ex omnibus poſſibilibus eſſe omnium poſſibilium optimum? Sed audiamus eumdem Angelicum idipſum n. 7. confirmantem; ait enim: „ Operi a ſummo bo„ no artifice facto non debuit deeſſe ſumma perfectio..: „ eſt igitur diverſitas, & inæqualitas in rebus crea„ tis, non a caſu, non propter materiæ diverſitatem, „ non propter interventum aliquarum cauſſarum, vel „ meritorum, ſed ex propria DEI intentione perfectio„ nem creaturæ dare volentis, qualem poſſibile erat „ eam habere. Hinc eſt, quod dicitur Geneſ. I.: Vi„ dit DEUS cuncta, quæ fecerat, & erant VALDE BO„ NA; cum de ſingulis dixiſſet, quod ſunt BONA: quia „ ſingula quidem ſunt in ſuis naturis bona; ſimul au„ tem omnia valde bona propter ordinem univerſi, „ quæ eſt ultima, & nobiliſſima perfectio in rebus „. Annon evidentiſſime S. Thomas & affirmat, & probat, DEUM elegiſſe univerſum, quod præ ceteris poſſibilibus eſſet aptiſſimum repræſentandæ DEI perfectioni in gradu omnium poſſibilium excellentiſſimo; eaque propria intentione hoc univerſum elegiſſe, ut faceret, quod melius erat, ut illi daret omnem illam perfectionem, quæ poſſibilis in mundo erat; adeoque mundum elegiſſe inter omnes poſſibiles perfectiſſimum?

10. Hæc quidem ad rem, quam agimus, evincendam videntur plane ſufficere; ſed vel curſim alia S. Doctoris proferamus teſtimonia, ut, quam conſtanter iis principiis hæſerit Angelicus, evidentius appareat. Eodem lib. II. con. Gen. cap. 46. n. 1.: „ Ad hoc, in„ quit, quod univerſum creaturarum ultimam perfe„ ctionem conſequatur, oportet, creaturas ad ſuum re„ dire principium... Neceſſe igitur fuit ad creatu-

„ ra-

ex nihilo oriri poſſunt: ſi proinde exiſtunt, per creationem ad exiſtentiam ſint perducta, eſt neceſſe

„ rarum perfectionem, quod aliquæ creaturæ eſſent intelligentes „. Num. 2. : Oportuit igitur ad conſummatam univerſi perfectionem eſſe aliquas creaturas, quæ in DEUM redirent . . . Oportuit igitur ad perfectionem optimam univerſi eſſe aliquas creaturas intellectuales „. Num. 3. : Ad hoc, quod perfecte divinæ bonitatis repræſentatio per creaturas fieret, oportuit, quod non ſolum res bonæ fierent, ſed etiam, quod ad aliorum bonitatem agerent: aſſimilatur autem aliquid perfecte alteri in agendo, quando non ſolum eſt eadem ſpecies actionis, ſed etiam idem modus agendi: oportuit igitur ad ſummam rerum perfectionem, quod eſſent aliquæ creaturæ, quæ agerent hoc modo, quo DEUS agit „. Num. 4. : Perfectio univerſitatis creaturarum conſiſtit in ſimilitudine ad DEUM . . . : requirit igitur ſumma univerſi perfectio non ſolum ſecundam aſſimilationem creaturæ ad DEUM, ſed etiam primam, quantum poſſibile eſt . . . Oportet igitur ad ſummam perfectionem univerſi eſſe aliquas creaturas, in quibus ſecundum eſſe intelligibile forma divini intellectus exprimatur „. Num. 5. : „ Ad hoc igitur, quod ſimilitudo DEI perfecte eſſet in rebus modis poſſibilibus, oportuit, quod divina bonitas rebus per ſimilitudinem communicaretur non ſolum in eſſendo, ſed etiam in cognoſcendo „.

11. Lib. III. con. Gen. cap. 97. ſub initium: „ Oſtenſum eſt, inquit, quod DEUS per ſuam providentiam omnia ordinat in divinam bonitatem, ſicut in finem . . ., ut ſimilitudo ſuæ bonitatis, in quantum poſſibile eſt, imprimatur in rebus . . . Ad hoc ut perfectius divinæ bonitatis ſimilitudo rebus communicaretur, oportuit eſſe diverſitatem in rebus „. Tandem, ut alia multa prætermittam, ait 1. p. q. 46. ar. 2. ad 1. : „ Optimi agentis eſt producere totum ſuum effectum optimum... Sic igitur & DEUS totum univerſum conſtituit optimum ſecundum modum creaturæ „. Et ar. 3. ad 2. cum ſibi objeciſſet, quod natura facit, quod melius eſt ; & multo magis DEUS ; reſpon-

ceſſe : atque adeo creationem inficiari , vel in dubium vocare nequaquam licet .

---

reſpondens , propoſitionem concedit.

12. Præter S. Thomam afferri poſſunt & alii Patres, Scriptoreſque Eccleſiaſtici , ut Platonem mittamus , alioſque veteres , recentioreſque Philoſophos . Quoſdam primi generis profero ; ſitque prior S. Auguſtinus , qui lib. III. de lib. arbit. cap. 5. Evodium inſtruens nos omnes erudit , inquiens : „ Quidquid tibi vera ratione „ melius occurrerit , ſcias , feciſſe DEUM tamquam „ bonorum omnium conditorem. . . Poteſt eſſe aliquid „ in rerum natura , quod tua ratione non cogitas : „ non eſſe autem , quod vera ratione cogitas , non „ poteſt. Neque enim tu potes aliquid melius in creatura cogitare, quod creaturæ artificem fugerit : humana quippe anima naturaliter divinis , ex quibus „ pendet , connexa rationibus, cum dicit, melius hoc „ fieret , quam illud , ſi verum dicit , & videt, quod „ dicit , in illis , quibus connexa eſt , rationibus videt . Credat ergo , DEUM feciſſe, quod vera ratione ab eo faciendum eſſe cognovit , etiamſi hoc in „ rebus factis non videt : quia etiamſi cælum oculis „ videre non poſſet , & tamen ratione vera tale aliquid faciendum fuiſſe colligeret, credere debuit factum eſſe , quamvis id oculis non videret ; non enim „ cogitatione videret faciendum fuiſſe , niſi in iis rationibus , quibus facta ſunt . . . In eo plerique homines errant , quia meliora cum mente conſpexerint, „ non in ſedibus congruis ea oculis quærunt „ . Lib. I. con. Adverſar. Leg., & Prophet. cap. 14. : „ Uſque „ adeo deſſipiendum , ut homo videat melius aliquid „ fieri debuiſſe , & hoc vidiſſe DEUM non putet? aut „ putet vidiſſe , & credat facere noluiſſe ? aut voluiſſe quidem , ſed minime potuiſſe ? Avertat DEUS „ hoc a cordibus piorum . Si ergo ratio recta demonſtrat , rationalem creaturam illam eſſe meliorem , „ quæ nulla inobedientia deſerit DEUM , quam iſtam, „ quæ ita deſeruit ; ſciat quiſquis hoc ſapit, nec illam „ deeſſe cæleſtibus rebus , quæ numquam deſerit DEUM , nec iſtam ita eſſe factam, ut aliqua neceſſitate deſerere cogeretur DEUM. Et quia voluntate de-

„ ſeruit

SCH. Hic forte reſponderi a nobis non nemo deſiderarit ad eas quæſtiones paſſim in medium proferri ſolitas: Quandonam DEUS mundum creaverit? quandonam creare potuerit? anne ab æterno? an vis creandi in creatura locum habere poſſit? Paucis deſiderio ſatis facimus.

I. Durationem mundi per argumenta a ratione petita

„ ſeruit, nihil ex hoc diminutum ſapientiſſimis diſpo-
„ ſitionibus DEI, qui & malis bene, & perverſis re-
„ cte utitur, & de humano genere juſte, meritoque
„ damnato familiam ſanctam, & numeroſam non ejus
„ merito, ſed gratia ſua factam, in æternum regnum
„ ſe translaturum eſſe teſtatur „.

13. Audiamus & S. Joannem Damaſcenum *lib.* II. de Fide Ortod. cap. 29. dicentem: „ Si DEI voluntas providentia eſt, omnia proculdubio, quæ providentia fiunt, pulcherrime; diverſiſſimeque fieri neceſſe eſt; atque ita, ut meliore modo prorſus exiſtere non poſſint . . . Solus DEUS natura bonus, & ſapiens eſt: qua igitur bonus, providet . . .; qua vero ſapiens optime res procurat „. „ Conſiderans conditionem rerum, ſubdit Lactantius de Opificio Dei cap. 3. „ intelligo, nihil aliter fieri debuiſſe, quam factum eſt; ut non dicam, potuiſſe: quia DEUS poteſt omnia; ſed neceſſe eſt, quod illa providentiſſima majeſtas id effecerit, quod erat melius, & rectius „. „ Potens quidem eſt DEUS, addit & S. Epiphanius Her. 70. „ ut faciat, quod vult: verum agit quæcumque divinitati ſuæ congruunt „: atqui DEO agenti optimo congruit utique producere totum effectum ſuum optimum: concludamus ergo cum Ep. Synodica Concilii I. Francofordienſis ad Præſules Hiſpaniæ anno 794. ſub Hadriano I., qui eidem per ſuos Legatos præfuit, in qua epiſtola circa finem hæc habentur: *Credamus, Deum omnia velle, quæ meliora ſunt*.

14. Sunt hæc tam aperta, atque perſpicua, ut ſupervacaneum ſit, alia in hanc rem congerere teſtimonia. Quæ contra opponi ſolent vel ſoluta jam ſunt, vel facile ex dictis diſſolvi poſſe attendenti patebit.

tita nemo definiverit. Ex ſacris Litteris autem conſtat, mundum creatum eſſe in principio; non ergo ab æterno eſt creatus: proindeque duratio ejus actu infinita non eſt. (145)

II. Num ab æterno creari potuerit, inter Philoſophos ſane non convenit. Quibus idipſum affirmari poſſe videtur, has rationes adducunt. Ajunt, in creatione ab æterno neque ex parte creantis, neque ex parte creati repugnantiam eſſe; potentia enim creandi æterna eſt; creatum non evaderet increatum: proindeque &c. Quibus contrarium placet 1. *verentur, ut mundus ab alio pendens cenſeri poſſit. At enim his reponunt partis affirmativæ Patroni, ad dependentiam non requiri poſterioritatem, cum etiam ſimultaneorum unum poſſit re vera pendere ab altero.* 2. *Timent, ne mundo tribuatur attributum divinum, ſcilicet æternitas divina. Verum diſtinguere jubentur æter-*

---

(145) Quæ communiter a Philoſophis afferuntur argumenta, ut probent, mundum non eſſe æternum, jam ante cecinit Lucretius lib. V. Aliqua proferamus.

„ Præterea ſi nulla fuit genitalis origo
„ Terrai, & cæli, ſemperque æterna fuere,
„ Cur ſupera bellum Thebanum, & funera Trojæ,
„ Non alias alii quoque res cecinere Poetæ?
„ Quo tot facta virum toties cecidere? Neque uſquam
„ Æternis famæ monumentis inſita florent?
„ Verum (ut opinor) habet novitatem ſumma, recenſque
„ Natura eſt mundi, neque pridem exordia cepit:
„ Quare etiam quædam nunc artes expoliuntur:
„ Nunc etiam augeſcunt: nunc addita navigiis ſunt
„ Multa: modo organici melicos peperere ſonores.
„ Denique natura hæc rerum, ratioque reperta eſt
„ Nuper: & hanc primus cum primis ipſe repertus
„ Nunc ego ſum in patrias qui poſſim vertere voces.

Acute ait S. Auguſtinus lib. XI. de Civ. Dei cap. 6., mundum non eſſe factum in tempore, ſed cum tempore. Conſulatur Nota (44) ad §. 163. Ontol.

æternitatem a tempore infinito. Æternitas eſt duratio ſine ſucceſſione, quæ ſucceſſio in tempore infinito locum habet. Deinde quod per tempus infinitum durat, fine, & initio quidem caret; utrumque tamen habere poteſt: oppoſitum eſt in æterno. Denique æternitas eſt duratio a nullo pendens; infinitum vero tempus ſemper ab alio pendet: hinc etiamſi mundus ab æterno accepiſſet exiſtentiam, penderet tamen a ſubſtantia neceſſaria, conſtaretque ſucceſſionibus. (146)

III. Vis creandi merito habetur pro attributo DEI, tanquam entis neceſſarii: attributa autem entis neceſſarii nequeunt competere enti contingenti, quale eſt quævis creatura: neque ergo in creatura vis creandi locum habere poteſt. (147)

58. DEUS mundo exiſtentiam impertivit, hoc eſt creavit mundum (§. 56.): itaque inter opera DEI primo quaſi loco *Creationem* numeramus. Enimvero mundus exiſtentiam ſuam continuat: vel igitur hujus continuatæ exiſtentiæ ratio continetur in ipſo mundo, vel continetur in DEO perinde, ac primæ exiſtentiæ in DEO ratio continetur: mundus eſt ens contingens, & idcirco primæ ſuæ exiſtentiæ rationem in ſe ipſo non habet: atqui mundus ſemper manet ens contingens: ergo neque continuatæ exiſtentiæ rationem in ſe ipſo habet; in ens neceſſarium profecto abiturus, ſi haberet. Reliquum inde fit, quod in DEO, uti primæ exiſtentiæ, ita & exiſtentiæ con-

(146) Tam difficilis hæc mihi ſemper viſa eſt quæſtio, ut eam in earum numero contineri affirmare non dubitem, quæ ab homine finiri non poſſunt.

(147) „ Nil igitur fieri de nilo poſſe fatendum eſt virtute creata: creare enim ſolius DEI eſt. Legatur S. Thomas 1. p. q. 45. ar. 5.

continuatæ ratio contineatur, ob quod ipſum mundum a DEO *conſervari* dicimus.

59. Eſt adeo *Conſervatio*, quam altero inter opera DEI loco numerare poſſumus; intelligimuſque ex dictis, eam convenientiſſime per *continuatam creationem* definiri.

SCH. Quoniam DEUS mundum & creavit, & conſervat, continuo quidem diſcimus, eundem rerum mundanarum auctorem, & cauſſam eſſe: attamen ne hoc contra, quam fas ſit, accipiatur, quædam porro hic docenda, atque explicanda ſunt.

60. In quolibet ente, quod DEUS creavit, & conſervat, datur aliquid reale perdurabile, ob quod ipſum ens metaphyſice bonum, ſeu perfectum dicitur. Jam autem illud reale, ac perdurabile tantum præciſe eſt, ac non majus; conſequenter per ſe ſe annexum habet defectum ulterioris realitatis: alias quoque *limitatio* appellatur. Quod in ente reale perdurabile reperitur, a DEO & creatur, & conſervatur: defectus ulterioris realitatis, ſive limitatio nec creatione, nec conſervatione opus habet.

61. Ex limitationibus entium imperfectiones eorumdem reſultant. Sic cum vis animæ humanæ limitata ſit, in ea habentur repræſentationes confuſæ, errores, præjudicia &c. Limitationes autem entium eſſentiis, quatenus in intellectu divino continentur, per ſe ſe adhærent; neque adeo per decretum DEI inferuntur: conſequens hinc fit, entium imperfectiones nullatenus DEO tanquam auctori, & cauſſæ, ſed ipſis entibus creatis eſſe tribuendas.

62. Entium imperfectiones, de quibus hic ſermo eſt, alias etiam *Mala metaphyſica* audiunt; at-

atque adeo jam patet, DEUM NON POSSE DICI AUCTOREM, ET CAUSSAM MALORUM METAPHYSICORUM.

63. DEUS creat, atque conſervat, quod in entibus reale, ac perdurabile eſt: itaque etiam quod ab hoc reali, ac perdurabili profluit, ejus DEUS auctor dicendus eſt: vis agendi in entibus eſt quid reale perdurabile, indeque actiones profluunt: has ergo DEO tanquam auctori tribuendas eſſe ſatis intelligimus. Ex hoc ipſo autem diſcimus, quod DEUS AD OMNES CREATURARUM ACTIONES, ET EFFECTUS CONCURRAT.

64. In actionibus creaturarum datur aliquid, quod non a vi agendi, ſeu eo, quod reale, ac perdurabile eſt, profluit, ſed ex ejus limitationibus proficiſcitur, ac reſultat: iſtud ipſum autem adeo DEO tanquam auctori, & cauſſæ tribuendum non eſt, ut potius unice creaturæ proprium cenſeri debeat.

SCH. 1. Hinc Theologi dicere ſolent, quod DEUS concurrat ad materiale *actionis, non vero* formale: *ubi per materiale intellige id, quod in actione ab ipſa vi profluit; per formale, quod ex ejus limitationibus ortum habet.*

SCH. 2. Nota hic nobis unice ſermonem eſſe de connaturalibus actionibus, ac operationibus creaturarum: neque adeo, quæ diximus, ad ea extendi poſſunt, quæ DEUS in Regno Gratiæ, *itemque per miracula in natura operatur.*

65. *Actio, per quam lex aliqua violatur, moraliter mala* dicitur; ipſaque *legis violatio*, ſeu *tranſgreſſio*, *Malum morale* audit. Hujuſmodi violatio legis in actione non profluit ex ipſa vi agendi, ſed ex ejus limitatione: nec proinde DEO tan-

quam

quam auctori tribui poteſt, ſed unice ad creaturam pertinet: atque exinde conficimus, quod DEUS NON POSSIT DICI AUCTOR, ET CAUSSA MALORUM MORALIUM.

66. Quæ in entibus mundanis imperfectiones, ſeu mala deprehenduntur, DEO tanquam auctori, & cauſſæ tribui nequeunt (§ 65., & §. 62.): enimvero quoniam tamen DEUS auctor, & cauſſa eſt talium entium, ex quorum limitationibus imperfectiones, & mala ortum trahunt, fatendum omnino, quod DEUS SALTEM MALA PERMITTAT.

67. Sunt, qui difficultates circa permiſſionem mali faceſſunt; at levi opera oſtenditur, quod abſque ratione eas faceſſant.

Dicunt I., DEUM entibus hujus mundi potuiſſe plus perfectionis tribuere, quo equidem facto malum omne impediviſſet. Verum non advertunt, eſſentias rerum eſſe immutabiles; neque adeo fieri poſſe, ut plus perfectionis in ſe ens quodpiam contineat, quam actu continet.

Dicunt II., DEUM potuiſſe mundum alium condere, a quo omne malum exularet. Sed iſtud quoque gratis afferi patet ex eo, quod mundus præſens ſua perfectione omnes poſſibiles ſuperet.

Dicunt denique III., DEUM, ſi non aliter, ſaltem per miracula debere mala impedire. Aſt hoc pacto naturæ curſum ex univerſo ſublatum volunt; qui tamen curſus naturæ præcipue DEI ſapientiam commendat; atque adeo ex univerſo minime tollendus eſt. (148)

68.

---

(148) Argumentum ex malis, quæ in natura reperiuntur, proponit contra divinam Providentiam Lucretius lib. V. „Quod

68. Cæterum experientia docemur, quod mala, quæ in hoc mundo deprehenduntur, identidem boni quidpiam ſequatur. Hinc autem maxime DEI ſapientia elucet, vi cujus mala, quæ ex

„ Quod ſi jam rerum ignorem primordia quæ ſint,
„ Hoc tamen ex ipſis cæli rationibus auſim
„ Confirmare, aliiſque ex rebus reddere multis,
„ Nequaquam nobis divinitus eſſe paratam
„ Naturam rerum: tanta ſtat prædita culpa.
„ Principio quantum cæli tegit impetus ingens
„ Inde avidam partem montes, ſilvæque ferarum
„ Poſſedere, tenent rupes, vaſtæque paludes,
„ Et mare, quod late terrarum diſtinet oras.
„ Inde duas porro prope partes fervidus ardor,
„ Aſſiduuſque geli caſus mortalibus aufert.
„ Quod ſupereſt arvi tamen id natura ſua vi
„ Sentibus obducat, ni vis humana reſiſtat,
„ Vitai cauſſa valido conſueta bidenti
„ Ingemere, & terram preſſis proſcindere aratris.
„ Si non fæcundas vertentes vomere glebas,
„ Terraique ſolum ſubigentes cimus ad ortus:
„ Sponte ſua nequeant liquidas exiſtere in auras.
„ Et tamen interdum magno quæſita labore,
„ Cum jam per terras frondent, atque omnia florent,
„ Aut nimiis torret fervoribus ætherius Sol,
„ Aut ſubiti perimunt imbres, gelidæque pruinæ;
„ Flabraque ventorum violento turbine vexant.
„ Præterea genus horriferum natura ferarum
„ Humanæ genti infeſtum terraque, marique,
„ Cur alit, atque auget? Cur anni tempora morbos
„ Apportant? Quare mors immatura vagatur?

Huic difficultati reſpondet Lactantius cap. 13. de Ira Dei. Brevius, ac verius poteſt in hunc modum reſponderi cum S. Thoma lib. III. con. Gen. cap. 71. „ Bonum totius præeminet bono partis. Ad prudentem „ igitur gubernatorem pertinet negligere aliquem defe„ ctum bonitatis in parte, ut fiat augmentum bonita„ tis in toto: ſicut artifex abſcondit fundamentum „ ſub terra, ut tota domus habeat firmitatem. Sed ſi „ malum a quibuſdam partibus univerſi ſubtraheretur, „ mul-

ex limitatione, vitiove creaturæ in hoc univerſum irrepunt, ad bonos fines, perfectionemque totius univerſi diriguntur.

SCH. Ipſæ cumprimis ſacræ Litteræ innumera fere

„ multum deperiret perfectionis univerſi, cujus pul„ chritudo ex ordinata bonorum, & malorum adunatione conſurgit, dum mala ex bonis deficientibus „ proveniunt; & tamen ex eis quædam bona conſequuntur ex providentia gubernantis; ſicut & ſilentii interpoſitio facit cantilenam eſſe ſuavem. Non igitur per divinam providentiam debuit malum a rebus excludi „. „ Unde dicit Auguſtinus in Enchiridio cap. 11. in princip.: DEUS omnipotens nullo modo ſineret malum aliquod eſſe in operibus ſuis, niſi uſqueadeo eſſet omnipotens, & bonus, ut bene faceret etiam de malo „ inquit idem Angelicus Doctor 1. p. q. 22. ar. 2. ad 2. Illud vero vel maxime addendum, mala, qaibus miſeri homines premuntur, naturæ non eſſe conditiones, ſed originalis peccati effectus, ac pænalitates.

Audire etiam lubeat Card. Polignaccum lib. IX. v. 772., & ſeq. canentem:

„ - Auctorem operum tantorum, & cuncta regentem
„ Quo jure inſumulas? Tu ne illum vincere poſſe
„ Conſilio ſperas, faber ipſe peritior orbis,
„ A quo nil in te eſt, quod non acceperis; immo
„ Quo ſine, quæ verſas animo, verſare nequires?
„ Utrum ego crediderim bene ſe geſſiſſe creantem,
„ Omnia qui potuit: melius ne creanda fuiſſe,
„ Si tu vilis homo, qui nil potes, illa creaſſes?
„ O ratio humanæ mentis quam cæca ſuperbis!
„ Hæc in mente DEI, ſi quondam carcere rupto
„ Atque utinam!) aſpiceres, proh! quam tibi juſta repente
„ Cuncta viderentur, quæ nunc male cognita damnas?
„ Nonne vides incompoſitas aliquando figuras
„ Depingi plana in tabula? Nec forma, nec ordo eſt,
„ Nec ſibi reſpondent partes, temere omnis in arcum
„ Linea curvari, ſeriem nec habere putatur:
„ Levis at in medio ſteterit cum forte cylindrus
„ Tunc terſam in faciem confuſos ante colores
„ Colligit, & vultus reddunt vaga monſtra decoros.

re ſuppeditant exempla, ex quibus ſapientia DEI mala quævis ad bonos fines dirigentis clariſſime cognoſcitur. Vid. Geneſ. Cap. 59. de Joſepho. Exod. 2. de Moyſe. &c.

69. Reliquum eſt, ut circa permiſſionem mali ita ſtatuamus. Inconvenienter quæritur, an DEUS potuerit, vel non potuerit, an voluerit, vel noluerit malum impedire: etſi enim & potuerit, & etiam voluiſſet impedire; ſapientia tamen obſtitit, quominus actu impediret: hujus quippe eſt malum permittere tunc, quando eo permiſſo majus bonum obtinetur. Porro nota hic dici, ſapientis eſſe malum permittere tunc, quando eo permiſſo majus bonum obtinetur. In mali permiſſione abeſt omnis ejuſdem approbatio, immo & diſplicentia locum ſibi vendicat; quod adeo maxime de DEO malum permittente intelligi debet. (149)

70.

(149) 1. Famoſum heic indicat A. Epicuri argumentum, quo uſus eſt, quoque noſtri temporis ſceleſti providentiæ oſores etiamnum utuntur. „DEUS, inquit Epicurus apud Lactantium cap. 13. de Ira Dei, „aut vult tollere mala, & non poteſt; aut poteſt, „& non vult; aut neque vult, neque poteſt; aut & „vult, & poteſt. Si vult, & non poteſt, imbecillis „eſt: quod in DEUM non cadit. Si poteſt, & non „vult, eſt invidus, quod æque alienum a DEO. Si „neque vult, neque poteſt, & invidus, & imbecillis „eſt; ideoque neque DEUS. Si vult, & poteſt, quod „ſolum DEO convenit, unde ergo ſunt mala, aut „cur illa non tollit?

2. „Scio pleroſque Philoſophorum, ſubdit Lactantius, qui providentiam defendunt, hoc argumento „perturbari ſolere, & invitos pene adigi, ut DEUM „nihil curare fateantur, quod maxime quærit Epicurus. Sed nos ratione perſpecta formidoloſum hoc ar-

„gu-

70. DEUS mundum creans vi ſapientiæ ſuæ omnia aptiſſimo nexu colligavit, ſicque colligata conſervat: quod ipſum quoniam *Rectionis*, ſive *Gubernationis* nomine indigitari ſolet, liquet, quod DEUS Mundum regat, sive gubernet.

„ gumentum facile diſſolvimus. DEUS enim poteſt
„ quicquid velit; & imbecillitas, vel invidia in DEO
„ nulla eſt. Poteſt igitur mala tollere, ſed non vult,
„ nec ideo invidus eſt: iccirco enim non tollit, quia
„ & ſapientiam ſimul tribuit, & plus boni, ac ju-
„ cunditatis in ſapientia, quam in malis moleſtiæ:
„ ſapientia enim facit, ut etiam DEUM cognoſcamus,
„ & per eam cognitionem immortalitatem aſſequamur,
„ quod eſt ſummum bonum: itaque niſi prius malum
„ agnoverimus, nec bonum poterimus agnoſcere. Sed
„ hoc non vidit Epicurus, nec alius quiſquam, ſi tol-
„ lantur mala, tolli pariter ſapientiam, nec ulla in
„ homine virtutis remanere veſtigia, cujus ratio ſu-
„ ſtinenda, & ſuperanda malorum acerbitate conſiſtit.
„ Itaque propter exiguum compendium ſublatorum ma-
„ lorum maximo, & vero, & proprio nobis bono ca-
„ reremus. Conſtat igitur, omnia propter hominem
„ propoſita, tam mala, quam etiam bona „.

3. Solidius in hunc modum reſponderi poteſt: Omnia poteſt DEUS mala e mundo tollere, & non vult; nec inde eſt invidus, ſed juſtus, & ſapiens. Quia juſtus homines punit rebelles, maliſque hujuſmodi ultro obnoxios: DEUS enim creavit hominem juſtum, innocentem, beatum: & homo peccando ſe ipſum perdidit, maliſque implicavit infinitis. Quia vero ſapiens „ per-
„ mittit aliquem defectum, inquit S. Thomas 1. p. q. 22. ar. 2. ad 2. „ in aliquo particulari accidere, ne impe-
„ diatur bonum totius . . .: cum igitur DEUS ſit uni-
„ verſalis proviſor totius entis, ad ipſius providentiam
„ pertinet, ut permittat quoſdam defectus eſſe in ali-
„ quibus particularibus rebus, ne impediatur bonum
„ univerſi perfectum. Si enim omnia mala impediren-
„ tur, multa bona deeſſent univerſo: non enim eſſet
„ vita leonis, ſi non eſſet occiſio animalium: nec eſ-
„ ſet patientia martyrum, ſi non eſſet perſecutio ty-
„ rannorum „.

71. Cum rectione, ſive gubernatione proxime connexa eſt *Providentia*, quæ non incongrue per *Curam pro creaturis* definitur : eo nempe ipſo, quod DEUS vi ſapientiæ ſuæ omnia aptiſſime connectat, ſicque connexa conſervet, ejus pro creaturis cura, atque adeo providentia ſatis innoteſcit.

72. Providentiam merito diſpeſcunt in *generalem*, & *ſpecialem*: ſpecialem dicunt, *per quam excellentiori quodam modo rerum creatarum ſaluti proſpicitur;* generalem, *in qua hæc conditio non eluceſcit*. Utramque in univerſo locum habere experientia diſcimus. Ad ſpecialem providentiam cumprimis miracula pertinent.

SCH. Providentiam divinam cumprimis Epicurus impugnavit, duplicem viſus ſibi habere adverſus eam rationem. Una fuit, hujuſmodi providentiam cum divina felicitate, & immortalitate pugnare : altera, quod omnia in mundo perinde contingerent, ac ſi nulla prorſus foret providentia. Præclare vero ad utrumque reſpondet Gaſſendus *Phyſ. Sect.* 1. *Lib.* 4. *c.* 6. *inquiens : Epicurum DEUM, cui tribuit formam humanæ haud abſimilem, facultate etiam humana metiri, cum neceſſe profecto eſſet naturam divinam, quæ vel ex Epicuri confeſſione præſtantiſſima eſſe deberet, ſuperare noſtram inexcogitabilibus intervallis. Alterum objectum ita diluit. Ut concedamus imprimis, multa caſu contingere, dicere nobis ad ſummum licet, ea reſpectu noſtri caſu evenire; at non reſpectu illius cauſſæ, quæ poteſt diſpoſuiſſe omnia. Quam multa caſu evenire in Republica dixeris, quæ Principi tamen fortuita non ſunt, quod negotia ſic temperarit, ut ſic fieri debuerint. Nempe quia ignoras Principis conſilia, quæ, ſi tibi perſpecta forent, conſul-*

ſulto facta diceres. Cur & in hac mundi Republica tanta, in qua vides, tam multa alia quam ordinatiſſime fieri, non ſuſpiceris eſſe Rectorem, cujus quoque ductu ea fiant, quorum tibi ignota eſt ratio? (150)

(150) Epicuri argumentum ita proponit Lucretius lib. II.

„ Omnis enim per ſe divum natura neceſſe eſt
„ Immortali ævo ſumma cum pace fruatur,
„ Semota a noſtris rebus, ſejunctaque longe.
„ Nam privata dolore omni, privata periclis,
„ Ipſa ſuis pollens opibus, nihil indiga noſtri,
„ Nec bene promeritis capitur, nec tangitur ira..
„ Quæ bene cognita ſi teneas, natura videtur
„ Libera continuo dominis privata ſuperbis
„ Ipſa ſua per ſe ſponte omnia diis agere expers:
„ Nam (pro ſancta deum tranquilla pectora pace,
„ Quæ placitum degunt ævum, vitamque ſerenam)
„ Quis regere immenſi ſummam, quis habere profundi
„ Indu manu validas potis eſt moderanter habenas?
„ Quis pariter cælos omnes convertere? & omnes
„ Ignibus ætheriis terras ſuffire feraces?
„ Omnibus inque locis eſſe omni tempore præſto
„ Nubibus, ut tenebras faciat, cælique ſerena
„ Concutiat ſonitu? tum fulmina mittat, & ædes
„ Sæpe ſuas diſturbet, & in deſerta recedens
„ Sæviat exercens telum, quod ſæpe nocentes
„ Præterit, exanimatque indignos, inque merentes?

Quam bene huic quampluribus vitiis ſcatenti argumentationi iis ejuſdem Lucretii verſibus occurri poteſt, quos ipſe ejuſmet II. libri initio habet!

„ Suave, mari magno turbantibus æquora ventis,
„ E terra magnum alterius ſpectare laborem:
„ Non quia vexari quempiam eſt jucunda voluptas;
„ Sed, quibus ipſe malis careas, quia cernere ſuave eſt.
„ Suave etiam belli certamina magna tueri
„ Per campos inſtructa, tua ſine parte pericli.
„ Sed nil dulcius eſt, bene quam munita tenere
„ Edita doctrina ſapientum templa ſerena;
„ Deſpicere unde queas alios, paſſimque videre
„ Errare, atque viam palantes quærere vitæ.

CAPUT VI.

De Prædicatis DEI, quæ ex antecedentibus declarantur, & demonſtrantur.

73. BOnitatem dicimus *Promptitudinem alteri perfectionem conferendi.*

74. DEUS EST SUMME BONUS. Cum enim ex poſſibilibus mundis illum produxerit, quem perfectiſſimum cognovit, unicuique creaturæ tantum perfectionis conceſſit, quantum ei concedi potuit: non autem datur major bonitas, quam, qua tantum, quantum concedi poteſt, conceditur: DEUS ergo ſumme bonus eſt.

SCH. Non defuerint forte, qui circa bonitatem DEI aliter ſtatuant: ſed nempe id ex eo fieri facile obſervabis, quod non attendant, quid ferat finitudo rerum, quod item ſe, ſuaque extra nexum cum rebus aliis conſiderent, mala a DEO etiam per miracula

---

Nonne DEUS, quia ſapientiſſimus, omnipotentiſſimuſque, omnia abſque ulla animi perturbatione diſponit, regit, gubernat? Non indiget DEUS opibus noſtris, quæ ſua ſunt dona: aſt nos ipſo indigemus, ſine quo nec vivere, nec moveri, nec eſſe poſſumus. Humano non capitur affectu, nec ira tangitur; bonis tamen præmia largitur, pœnaſque malis infligit. Atque uti ſuo validiſſimo voluntatis imperio omnia ex nihilo creavit; ita unico voluntatis actu immenſi ſummam regit, moderaturque profundi habenas, cælos convertit, feraceſque terras ignibus ſuffumigat. Omnibus nempe rebus per ſuam immenſitatem præſentiſſimus eſt DEUS. Conſul. Nota (148) ad §. 67.

cula eſſe exterminanda ſomnient, *neque perpendant*, *ea unice creaturæ culpa oriri*: *ad hæc pro malis ſæpe habeant*, *quæ mala non ſunt*.

75. DEUS omnia poſſibilia ſimul, & adæquatiſſime cognoſcit (§. 22.), ex quo manifeſtum fit, vim ejus intellectivam eſſe infinitam. Quoniam autem hæc vis intellectiva ſubſtantia eſt, relinquitur, DEUM ESSE SUBSTANTIAM INFINITAM.

76. DEUS EST IMMUTABILIS. Subſtantia infinita quidquid realitatis habere poteſt, actu habet (§. 212. Ontol.); proindeque nihil acquirere poteſt, quod antea non habuiſſet; conſequenter immutabilis eſt (§. 90. Ontol.): DEUS eſt ſubſtantia infinita (§. præc.): igitur etiam immutabilis eſt.

77. *In tempore exiſtit* illud, *in quo determinationum ſucceſſiones locum habent* (§. 161. Ontol.): in ſubſtantia infinita, atque immutabili nulla nova determinatio aut accedere, aut priori ſuccedere poteſt: DEUS ERGO NON EXISTIT IN TEMPORE; NEQUE IN IPSO DISTINGUUNTUR *Præſens*, *Præteritum*, & *Futurum* (§. 163. Ontol.); SED OMNIA SEMPER PRÆSENTIA SUNT.

78. INTER DEUM, ET ANIMAM HUMANAM ALIQUA SIMILITUDO INTERCEDIT; CUM EA TAMEN DIFFERENTIA, QUÆ INTER FINITUM, ET INFINITUM LOCUM HABET. Nempe ut DEUS intellectu, liberaque voluntate gaudet, ita & anima humana gaudet: en ſimilitudinem: ſed intellectus DEI infinitus eſt, intellectus humanus limitibus conſtrictus: en differentiam.

79. Ex hoc, quod inter DEUM, & animam humanam ſimilitudo aliqua intercedat, HOMO IN

Digitized by Google

HAC VITA DEI, EJUSQUE PERFECTIONUM, AC ATTRIBUTORUM COGNITIONEM ADIPISCI POTEST. Etenim cum anima humana ſui, ſuarumque perfectionum ſibi conſcia eſſe queat, gaudeatque facultate abſtrahendi, id modo præſtandum habebit, ut ſuas perfectiones limitibus liberet, quo præſtito, notionem formatura eſt DEUM, ejuſque perfectiones exprimentem.

SCH. Aliter, quam per abſtractionem DEUM in hac vita cognoſcere homini non datur, cognitione intuitiva in alteram vitam reſervata, conformiter ſententiæ D. Pauli.

80. In hoc mundo omnia certo, eoque aptiſſimo modo connexa ſunt, indeque mundum *unum quid* eſſe intelligimus: ubi omnia inter ſe connexa ſunt ita, ut unum quid conſtituant, unus etiam ſit auctor oportet: NON ERGO DATUR, NISI UNUS DEUS, MUNDI UNIUS AUCTOR, ET CREATOR, ET SIQUIS ALTER FINGITUR, SINE RATIONE SUFFICIENTE FINGITUR.

81. Qui plures deos adſtruunt, *Polythei*, itemque *Pagani* audiunt: unde *Polytheiſmus*, ſive *Paganiſmus* in adſtructione, & admiſſione plurium deorum conſiſtit.

82. POLYTHEISMUS, SIVE PAGANISMUS OMNI FUNDAMENTO, ET RATIONE DESTITUITUR. Ad mundi exiſtentiam unus auctor, & creator ſufficit; alterque ſine ratione fingitur (§. 80.): Polytheiſmus ergo, ſive Paganiſmus omni fundamento, & ratione deſtituitur (§. præc.).

SCH. 1. Suum ergo notioni mundi, qua is tanquam compages, & ſeries rerum inter ſe connexarum concipitur, pretium tribuendum vel inde agnoſcimus, quod ea apprime ſerviat ad DEI unitatem vindi-

vindicandam. Et ſane quod aliquando fuerint, qui deos plures adſtruxerint, eo ex capite accidiſſe videtur, quod nexus rerum mundanarum agnitus non ſit; hinc namque unam partem mundi e. g. Cælum *uno deo, ſcilicet* Jove, *aliam e. g.* Mare *alio, ſcilicet* Neptuno *&c., opus habere arbitrati ſunt.*

SCH. 2. *Cæterum nemo dubitare auſit, quin alia ſuppetant argumenta DEI unitatem ſtabiliendi, qualia ſunt*: Non dari poſſe plures omnipotentes, neque plura entia neceſſaria &c., *quæ paſſim invenies. Quid quod nos ipſi alibi oſtenderimus*, dari non poſſe plura infinita? *Quod ipſum ſi inter cætera non princeps, certe non poſtremum argumentum ſtabiliendæ DEI unitatis jure reputare poteris.* (151)

83. *Qui omnibus præſens eſt, & cui omnia præſentia ſunt, Omnipræſens*, itemque ab aliis *Immenſus* dicitur.

84. Qui omnia cognoscit, ac simul in omnibus operatur, omnipræsens, sive immensus censeri debet. Quod cognoſcimus, hoc nobis præſens eſt (§. 6. Log.): in quo operamur, ei præſentes ſumus (per exper.): igitur qui cognoſcit omnia, ei omnia ſunt præſentia, & qui operatur in omnibus, is omnibus præſens eſt: conſequenter qui cognoſcit omnia, & in omnibus operatur, omnipræſens, ſive immenſus cenſeri debet.

85. DEUS omnipræsens, sive immensus est. DEUS enim ceu omniſcius omnia cognoſcit (§. 36.); itemque ceu conſervator in omnibus operatur (§. 58., & §. 59.): eſt proinde omnipræſens, ſive immenſus (§. præc.).

E f 4 *SCH.*

(151) Conſulatur Nota (33) ad §. 109. Ontol.

SCH. DEUM omnipræſentem, ſive immenſum, qui non fateatur, nemo Philoſophorum Chriſtianorum eſt. Sacræ enim Litteræ id ipſum aſſerunt. At enim quid ſit omnipræſentia, vel immenſitas, ſeu quo modo DEUS omnipræſens, vel immenſus ſit, mirum dictu eſt, quam inter ſe diſſentiant. Alii in hac omnipræſentia, vel immenſitate ſublimius quidpiam ſuſpiciunt, quam quod intellectus humanus aſſequi queat. Alii contenti ſunt DEUM hoc ſenſu omnipræſentem, & immenſum aſſeruiſſe, quod per ſuam operationem, non autem per ſuam ſubſtantiam omnibus entibus creatis præſens ſit. Alii omnipræſentiam, & immenſitatem DEI per infinitudinem perfectionum in omni genere explicant.

Facile plurimos repereris, qui ad hoc, ut DEUS omnipræſens, & immenſus cenſeatur, requirunt, ne is ullo loco, ullove ubi*, ſive ſpatio circumſcribatur, & definiatur; itemque ne inter ejus ſubſtantiam, ac quamlibet rem creatam, vel tantilla diſtantia interjecta ſit. Atque ab horum ſenſu penitus quidem non diſcedimus; ita tamen eumdem explicamus: Vis divina cognoſcendi, itemque operandi ipſa DEI ſubſtantia eſt: quoniam ergo DEUS omnia ſimul, & ſine progreſſu diſtinctiſſime cognoſcit, & in omnibus operatur, inter ipſam ejus ſubſtantiam, & rem quamlibet nulla plane diſtantia datur, neque aliquo determinato* ubi *definitur.*

Minime vero nobis probari poteſt ſententia illorum, qui DEO infinitam extenſionem tribuunt, atque per hanc illius omnipræſentiam, ac immenſitatem explicant. DEUS enim ens ſimpliciſſimum eum ſit, quo demum pacto extenſio in eo locum habere poſſit? (152)

86.

(152) „ DEUS eſt in omnibus per potentiam, in „ quantum omnia ejus poteſtati ſubduntur: eſt per „ præ-

86. *Juſtus* communiter dicitur, *qui cuique ſuum tribuit;* unde *Juſtitia* per *voluntatem ſuum cuique tribuendi* definiri ſolet. Majori acumine præditi obſervant, hujuſmodi voluntatem ſuum cuique tribuendi partim a bonitate, partim a ſapientia ortum trahere: bonitatis enim eſt alteri tribuere; ſapientiæ vero oſtendere, quid illud ſit, quod tribuere liceat, aut negare oporteat, pro rei convenientia: unde a Recentioribus nonnullis juſtitia definitur per *bonitatem ſecundum leges ſapientiæ attemperatam*.

87. DEUS in cujuſvis creaturæ perfectionem promovendam intentus eſt, indeque bonus eſt (§. 74.): ſed hoc non agit, niſi convenientiſſime fini ſuo (§. 55.): bonitatem ergo per ſapientiam ſuam attemperat: quod ſi ergo juſtum dicere libet, qui bonitatem ſecundum leges ſapientiæ attemperat, patet ſane, DEUM ESSE SUMME JUSTUM.

88. Paſſim divinæ juſtitiæ hoc eſſe dicitur, ut homines culparum ſuarum pœnas luant: quod autem ipſum per bonitatem ſecundum leges ſapientiæ attemperatam aptiſſime explicatur: etenim cum DEUS ob perfectiſſimam voluntatem non poſſit non quodvis malum morale averſari, hancque averſationem cum cæteris perfectionibus ſuis manifeſtare decreverit, id equidem agendum, & providendum habet, ut malorum auctores malis, quibus ceu pœnis premantur, non careant: hoc autem quid aliud, quam bonitatem ſecundum

„ præſentiam in omnibus, in quantum omnia nuda „ ſunt, & aperta oculis ejus: eſt in omnibus per eſ- „ ſentiam, in quantum adeſt omnibus, ut cauſſa eſ- „ ſendi „. S. Thomas 1. p. q. 8. a. 3. in cor.

dum leges ſapientiæ attemperatam indicat?

89. Affectus eſt appetitus ſenſitivus exſtantior, ac vehementior (§. 100. Pſychol.) : quoniam ergo in DEO appetitus ſenſitivus locum habere nequit (§. 24.), etiam nullus affectus hoc ſenſu acceptus in eo locum habere poteſt . Enimvero cum id, quod confuſe cognoſcitur, ex quo ſequitur appetitus ſenſitivus, etiam diſtincte cognoſci poſſit, ex quo appetitus rationalis oritur, ſat clare intelligimus, affectui in appetitu ſenſitivo aliquid in appetitu rationali reſpondere poſſe: atque hac ratione DEO *amorem creaturarum*, *miſericordiam*, ſimiliaque tribuere licet.(153)

90. *Complexum divinarum perfectionum*, *DEI Majeſtatem* appellamus.

91. DEI MAJESTAS SUMMA EST. DEUS ceu ſubſtantia infinita omnes compoſſibiles perfectiones perfectiſſimo modo continet; complexus proinde divinarum perfectionum tantus eſt, ut eo major excogitari non poſſit; atque adeo DEI majeſtas ſumma eſt.

92. DEUS EST BEATISSIMUS. Quoniam DEUS omnia diſtinctiſſime ſibi repræſentat, ſe ipſum quoque diſtinctiſſime cognoſcat, eſt neceſſe: quod ſi autem DEUS ſe ipſum, omneſque ſuas perfe-

---

(153) „ Amor, & gaudium, & alia hujuſmodi, „ cum attribuuntur DEO, vel Angelis, aut hominibus ſecundum appetitum intellectivum, ſignificant „ ſimplicem actum voluntatis cum ſimilitudine effectus „ abſque paſſione. Unde dicit Auguſtinus IX. de Civ. „ Dei cap. 5. in fine: Sancti Angeli & ſine ira puniunt, „ & ſine miſeriæ compaſſione ſubveniunt: & tamen „ iſtarum nomina paſſionum conſuetudine locutionis „ humanæ etiam in eos uſurpantur propter quamdam „ operum ſimilitudinem, non propter affectionum in„ firmitatem „. S. Thomas 1. 2. q. 22. a. 3. ad 3.

fectiones diſtinctiſſime cognoſcit, voluptas in eo ſumma oriri debet, quæ, quia ob DEI abſolutam independentiam a nullo turbari poteſt, ſemper, & perpetuo durat: cum autem in ſumma, ſemperque duratura voluptate ſumma beatitudo, & felicitas conſtitui ſoleat, DEUM beatiſſimum eſſe liquet.

93. DEUS EST OMNIUM RERUM DOMINUS. DEUS omnia conſervat, ad omnes creaturarum actiones, & effectus concurrit, omnia denique gubernat, a nemine dependet, nec adeo ulli rationem reddere tenetur: quoniam ergo hæc ſunt, quæ ad *Dominium* requiri ſolent, DEUS citra omne dubium rerum omnium dominus eſt.

94. Atque hic explicationi divinarum perfectionum, Theologiæque ipſi finem imponimus. Quiſquis illas diſtinctius, pieque conſideraverit, fere non poterit non ad reverentiam, cultum, amoremque tanti Numinis incitari. Sed de his in Theologia Morali.

FINIS

THEOLOGIÆ NATURALIS.

Digitized by Google



INDEX
RERUM IN TOMO ALTERO PRÆCIPUARUM.

Numerus denotat paragraphos quærendos quidem in Ontologia, ſi habetur littera O., in Coſmologia, ſi littera C., in Pſychologia, ſi littera P., ac tandem in Theologia Naturali, ſi littera T.: ubi vero invenies numerum poſt p., intellige pagellam, in qua Nota Additamenti reperitur.

ABſtractio quo perducat 67.: quomodo diſtincta evadat. 69. P.
Abſtractio ſimilitudinis. Definitio. 68. P.
Accidens. Definitio 201., & 203.: modificabile non eſt 202.: ei non competit vis agendi. 208. O.
Acquieſcentia in ſe ipſo. Definitio. 103. P.
Actio Definitio. 190.: compoſita, ſimplex quæ ſit 191. O.: ad liberam actionem quæ requirantur. 120. P.
Actiones eædem, *diverſæ* quæ ſint 196. O.: ſpontaneæ, quæ dicantur. 119. P.
Acumen. Definitio 61.: a vi animæ repræſentativa pendet. 161. P.
Adjuncta quæ dicantur. 185. O.
Æmulatio. Definitio. 104. P.
Æqualia quæ ſint. 119. O.
Æternum. Definitio 14. T.: & aliter definitur Nota (138) p. 401.
Affectus. Definitio. 100. P.
Affectus grati, jucundi, moleſti qui ſint 101.: quid conjunctum habeant 102.: attentionem impediunt, iiſque indulgens in ſtatu ſervitutis eſſe dicitur 105.: a vi repræſentandi pendent 170. P.: quatenus Deo tribui poſſint. 89. T.
Affectus ſintne boni, vel mali expenditur Nota (121) p. 326.: malos eſſe ſtoici contendunt n. 1., bonos,

nos, & utiles Peripatetici n. 2. : & quidem plures ex iis utilitates hauriuntur n. 3. ; naturalesque ſunt, quatenus rationi ſubduntur n. 4., & quatenus boni, vel mali ulterius ſint n. 5. : nec vero rationi pugnant, niſi in quantum modum non tenent n. 6. ; cum enim modum tenent, & glorioſi ſunt, & vitæ conſervandæ pene neceſſarii n. 7. : in iis autem regendis modum teneri poſſe docet ratio, qua homines pollent n. 8., ad quam tamen Dei adjutorium permaxime neceſſarium eſt. n. 9.

Agere ex conſuetudine qui dicantur 113. : agere prompte, & facile quæ dicamur. 124. P.

Aliquid. Definitio. 17. O.

Amor. Definitio. 103. P.

Analogum rationis. Definitio. 77. P.

Angeli ſunt ſpiritus 206. P. : eorum exiſtentia aſſeritur. Nota (128) p. 384.

Anima. Definitio 5. : ea exiſtit 6. : ſyllogiſmo adſtruitur talis exiſtentia 7., cui locum fecit Carteſius 8. : animæ exiſtentia notior eſt exiſtentia corporis 9. : quando ea rem cognoſcere, vel percipere dicatur 10. : ejus lumen quid ſit 12. ; in imaginando quomodo habeat 24. : a cognitione ad appetitum per gradus progreditur 84. : ſe determinat ad volendum, vel nolendum convenienter motivis 118. : quæ circa eam experientia conſtent 126. : eam per veram actionem motus in corpore producere quatenus conſtet 128. ; ut ad ejus nutum fiant motus in corpore quid requiritur 129. : & quatenus ei tribuatur regimen in corpus. 130. P.

Anima humana eſt ens ſimplex 136. ; eſtque ideo a corpore diverſa 137. : eſt ſubſtantia 138. : eſt ens vi præditum 139., & quidem vi unica 140., licet diverſæ in ea ſint facultates ibid. Sch. : habet vim repræſentandi 141. ; vis tamen hæc limitata eſt, & finita, licet ſemper aliquid actu repræſentet 142. : ejus eſſentia in vi repræſentandi conſiſtit 143., adeoque hæc vis naturam animæ conſtituit 144. : conſideranda nihilominus hæc eſt ſimul cum legibus, juxta quas ea agit 145. : & in ea omnium animæ facultatum continetur ratio 146. : ea vis per quæ limitetur 148. : anima in cerebro reſidet 150. Sch. : ejus mutatio cum explicanda eſt ad quid præter vim repræſentativam ſit recurrendum. 174. P.

Anima humana materialis a quibuſdam pertenditur Nota (113) p. 292. n. 1., adeoque & corpus eſſe n. 2.; fruſtra tamen, quia ſubjectum cogitationis materia eſſe nequit n. 3., quod argumentum ex ipſis Materialiſtis firmatur n. 4.; ſi enim per ipſos Deus corpus non eſt, nec anima n. 5.: perceptio praeterea nequit eſſe materiæ affectio, adeoque nec anima materialis n. 6.: animam item dicere ſubſtantiam corpoream innominatæ cujuſdam ſpeciei n. 7. abſurdum eſt, & chimericum n. 8.: item fibrarum quarumdam intellectualium, & volitivarum ſenſitivis reſpondentium fictio n. 9. puta eſt fabella n. 10., quæ falſiſſima oſtenditur n. 11.: item duas tantum in nobis potentias paſſivas effingere, hominemque ejuſdem cum brutis naturæ efficere n. 12. ſtolidum eſt, ac impium auditu n. 13.; maxime cum nec brutorum animæ ſint materia n. 14.: dicere autem prudenter denegari corpori non poſſe cogitationem n. 15. eſt intolerabilis audaciæ exceſſus n. 16., cujus homo prudentiæ neſcius tantum eſt capax n. 17.. Nec obeſt I. quod dicatur non eſſe pugna inter cogitationem, & extenſionem n. 18.; ea enim clare perſpicitur n. 19.; ita ut nec Dei omnipotentia tolli ea poſſit n. 20.: nec II., quod vis percipiendi poſſit materiæ communicari, ſicut vis motrix n. 21.; nam ſicut hæc proprie materiæ non communicatur, ita nec perceptio n. 22.: nec III. quod anima motu locali moveatur n. 23.; anima enim, cum in loco non ſit, moveri nequit n. 24.: nec IV. quod animæ tribuantur membra in S. Scripturis n. 25.; improprie enim tribuuntur tantum, nec ſine ratione n. 26.

Animam eſſe particulam ex Dei ſubſtantia avulſam, vel ex anima univerſi, impia eſt ſententia, quæ refellitur Nota (114) p. 309.

Animam ſemper cogitare probatur Nota (118) p. 313., & quæ contra hanc aſſertionem faciunt refelluntur ibid.

Anima humana nonniſi ex nihilo oriri poteſt 196.: quando a Deo producatur 197.: ea non interit 198.: eſt ab intrinſeco incorruptibilis ibid. Sch. 1.: ſuas habet operationes etiam a corpore ſeparata 199.: eſt ſpiritus 205. P.: quæ inter ipſam, & Deum ſimilitudo intercedat. 78. T.

Ani-

Anima humana eſt immortalis 200. P.: hæc immortalitas invicte aſſeritur Nota (127) p. 380. n. 1.: præcipua contra hanc veritatem argumenta exponuntur n. 2., & exploduntur n. 3.
Animæ humanæ per traducem propagatio improbatur Nota (125) p. 375.
Animas omnes humanas fuiſſe initio mundi creatas falſitatis convincitur Nota (126) p. 376. n. 1.: quæ vero a patronis ejus ſententiæ afferuntur argumenta n. 2., exploduntur n. 3. Falſum item eſt, animas jam exiſtentes in corpora fuiſſe detruſas in pœnam peccati antea commiſſi n. 4.; quæ enim ad id probandum afferuntur, inepta ſunt. n. 5.
Anima mulierum ſpiritalis aſſeritur contra quemdam ſexus feminei irriſorem Nota (113) p. 292. n. 28.: ea vero, quæ ex S. Scripturis, & ex ratione proferuntur objecta n. 29., inepta oſtenduntur. nn. 30. 31. 32.
Anima brutorum. V. Brutorum anima.
Annihilari quid ſit. 141. O.
Appetitio, ſeu *appetitus ſenſitivus*. Definitio 97. P., & Nota (120) p. 325.: quid appetere dicamur 98.: ad appetitum quid concurrat 99.: appetitus ſenſitivus quando fortior 116.: a vi animæ repræſentativa pullulat. 167. P.
Appetitus rationalis. Definitio 106.: quando efficax ſit 116.: a vi repræſentandi pendet 172.: quod appetit mens, ſub ratione boni appetit. 108. P.
Ars characteriſtica quæ ſit. Nota (103) p. 246.
Ars inveniendi quæ dicatur 80. P., & duæ ejus ſpecies Nota (105) p. 250.: ea arte ratiocinandi, aliiſque nititur artificiis 83.: a vi repræſentandi pendet. 164. P.
Athei qui ſint 11. T.: num dentur Athei ſive theoretici, ſive practici, ſive ſyſtematici, ſive perſonales expenditur ibid. Sch.
Atheiſmus in quo conſiſtat. 11. T.
Attendere ad rem qui dicatur. 52. P.
Attentio major, vel eſſe minor poteſt, & ad maximam per exercitium perveniri poteſt 53.: eam quæ perturbent, ac minuant 54.: ea mediante ab obſcura cognitione ad claram perveniri poteſt. 57. P.
Attributa. Definitio 59.: ea conſtanter enti inſunt 60.: ea ſunt quid abſolute neceſſarium 98. P.: communu-

munia, propria quæ ſint. Nota (19) p. 50.
Averſatio ſenſitiva. Definitio 97.: quid averſari dicamur 98.: quid ad averſationem concurrat 99.: ea a vi repræſentandi enaſcitur. 168. P.
Averſatio rationalis. Definitio 106.: a vi repræſentandi pendet 172.: quidquid averſatur mens ſub ratione mali averſatur. 108. P.
Bonitas. Definitio. 73. T.
Bonitas tranſcendentalis. Definitio. 131. O.
Bonum. Definitio 92.: ejus ſenſus voluptatem parit 93.: verum parit voluptatem conſtantem, non item apparens 94.: verum, & apparens quod ſit 95.: bonum majus quod ſit, & quomodo diſtincte cognoſcitur 96.: bonum quatenus averſari poſſit. 111. P.
Bruta ſpontaneis motibus eſſe prædita ex analogia evincitur Nota (132) p. 388.: non ſunt mera automata Nota (134) p. 390.: nec ſunt cacodæmones. Nota (135) p. 390.
Brutorum anima quid ſit 209., ea prædita eſſe bruta oſtenditur 210.: eſt ens ſimplex, ſeu immateriale 211.: ejus eſſentia in vi repræſentandi quatenus conſiſtat 212.: quæ illi tribui poſſint, & quæ non 213.: incorruptibilis eſt, non tamen immortalis. 214. P.
Brutorum animas Peripatetici ſimplices admiſerunt. Nota (133) p. 389.
Brutorum organa ob eundem finem creata eſſe, ac ſunt in homine ex analogia evincitur. Nota (131) p. 388.
Cauſſa. Definitio 226.: cauſſa omnis eſt principium, non viceverſa 227. O.: apud Græcos idem eſt ac principium. Nota (58) p. 146.
Cauſſa efficiens. Definitio 228.: ab ea potentia, & vis agendi abeſſe nequit 229., & effectum producit 230. O.: ſolitaria, ſocia quæ dicatur ibid.: auxiliaris, ſeu adjutrix quæ ſit Nota (59) p. 147.: univoca item, æquivoca, per ſe, per accidens Nota (60) p. 148., proxima, & remota 231., principalis, inſtrumentalis 232.: principali actio tribuitur 233.: cauſſa efficiens ſui nil eſſe poteſt 234.: perfecte eadem eoſdem producit effectus 235.: producit effectum ſibi adæquatum 236.: eſt externa 237.: cauſſa finalis, quæ & finis dicitur ibid.: idealis, ſeu exemplaris quæ dica-

dicatur 243., externa, interna 244., materialis, ſeu materia 245., formalis, ſeu forma 246., libera, & neceſſaria Nota (61) p. 149., moralis. Nota (63) p. 152.
Cauſſæ ſubordinatæ quæ dicantur. 231. O.
Cauſſalitas. Definitio. 226. O.
Cauſſarum occaſionalium, ſive *adſiſtentiæ* ſyſtema in quo conſiſtat 179., & quatenus Carteſio, vel Mallebranchio tribuendum ib. Sch. 1.: a quibuſdam quomodo reſtringatur ibid. Sch. 2., & quæ ſyſtema ſic reſtrictum commendent 180.: quæ tandem contra idem pugnent. 181. P.
Cauſſatum. Definitio. 226. O.
Chimera. Definitio. 32. P.
Cogitatio quid exigat 133.: nulli compoſito convenit 134.: rei materialis repræſentatio cogitatio dici nequit. 135. P.
Cògnitio ſymbolica quæ ſit, & quid ſymbolice cognoſcere 70.: a priori, & a poſteriori quæ dicantur cognoſci 79.: cognitiones inter ſe differunt 11.: ad diſtinctas cognitiones quomodo perveniatur. 51. P.
Cohærere quæ dicantur. 146. O.
Commercium animæ cum corpore. Definitio. 130.: modus illud explicandi 175. per influxum phyſicum 176. V. Influxus phyſici ſyſtema: idem explicandi modus per cauſſas occaſionales 179. V. Cauſſarum occaſionalium ſyſtema: idem explicandi modus per harmoniam præſtabilitam 182. V. Harmoniæ præſtabilitæ ſyſtema: idem explicandi modus probabilior qui ſit. 190. P. V. Influxus phyſici ſyſtema.
Compos ſui quando dicatur homo. 39. P.
Compoſitum. Definitio 139.: ejus eſſentia in quo conſiſtat 141. V. Ens reale compoſitum: compoſita quomodo oriantur, & intereant 142., & Nota (41) p. 101.: eorum ortus, & interitus notio diſtincta poteſt haberi. 143. O.
Confuſio. Definitio. 125. O.
Conſenſus. Definitio 130. O., & conſentire quæ dicantur. ibid.
Conſervatio. Definitio 59. T.: inter opera Dei ſecundo loco numeranda. ibid.
Conſuetudo. Definitio 113.: in ea quandoque latent motiva volendi, vel nolendi, & quomodo tum detegantur. 114. P. V. Motiva.

Contigua. Definitio. 147. O.
Contingens. Definitio 95.: eſt mutabile. 96. O.
Continuum. Definitio. 145. O.
Corpus. Definitio 25. C.: ejus naturam quid abſolvat 26.: quod vere dicatur 14.: ejus eſſentia in quo conſiſtat 15.: in eo quævis mutatio per motum perficitur 17., & Nota (72) p. 168.: quæ ſint ejus affectiones 17.: motui reſiſtit 18.: quibus partibus componatur 28.: nil habet ſubſtantiale præter entia ſimplicia 30.: ejus eſſentia accidentibus abſolvitur 29.: eſt ſubſtantia compoſita 32.: obſervabile, inobſervabile quod dicatur. 44. C.
Corpuſculum. Definitio 44. C., primitivum, derivativum quod ſit. ibid.
Corpus vi motrice præditum eſt 20. C., & Nota (75) p. 170.: nec obeſt I. quod nequeat corpus unum aliud movere, quia nequit illud creare n. 1.; nec enim vis creatrix ad movendum requiritur n. 2.: nec II. quod nequeat vis motrix mechanice explicari n. 3.; nec enim id eſt neceſſarium n. 4.: nec III. quod contradictionem ea vis involvat n. 5.; hoc enim nimis probat, adeoque nihil n. 6.: nec IV. quod motus ſit paſſio, non actio n. 7.; eſt enim vera actio verbo paſſivo denotata n. 8.: nec V. quod in Deo motus ratio ſufficiens ſit quærenda n. 9.; cum id Philoſopho ſit indignum n. 10.; maxime cum ea in corporibus reperitur n. 11.: nec VI. quod impoſſibilis ſit vis motrix in corporibus n. 12. poſſibilis enim evincitur nn. 13. 14. Quomodo tandem vis motrix compellari debeat quæritur n. 15., cui quæſtioni ſit ſatis n. 16.
Corporis moti celeritas, & directio cui inhæreat. 23. C.
Coſmologia. Definitio 1.: dividitur in tranſcendentalem, & particularem ibid.: tranſcendentalis quæ ſit 2.: quæ in ea tradenda. 3. C.
Creatio. Definitio 56.: ea negari nequit 57.: inter opera Dei primo numeranda venit. 58. T.
Curſus naturæ. Definitio. 60. C.
Decretum Dei quod dicatur, & quatenus omnia, quæ in mundo ſunt, ab eo pendeant 46.: non officit rerum contingentiæ, vel libertati. 47. T.
Defectus in ordine. V. Ordo.
Dependens quod dicatur. 216. O.
Deſperatio. Definitio. 104. P.

Determinans . Definitio 31. : determinantia cum ſunt , etiam eſt determinatum 32. : determinantibus poſitis ponitur & determinatum 33. : quibus in caſibus unum per aliud non determinetur 36. : determinans adæquatum quid præſtet. 37. O.

Determinatio . Definitio 34. : determinationes communes , & diverſæ quæ dicantur 76. : individuales , numericæ, & ſpecificæ quæ ſint. 81. O.

Determinatum . Definitio . 29. 30. 31. O.

DEUS. Definitio 7. T. : ea quæ eſſe debeat 6. : Dei exiſtentia quomodo ſit demonſtranda 8. : ea demonſtratur 10., & aliæ item ejuſdem habentur demonſtrationes ibid. Sch. 1. 2. 3. 4. 5. : contra eamdem demonſtrationem cuidam objectioni fit ſatis Nota (136) p. 398. : Dei attributa quæ dicantur 12. : Deus eſt ens a ſe 15. : eſt æternus 17. : eſt ens ſimplex 18. : non habet magnitudinem, nec figuram , nec replet ſpatium , nec dividitur , nec major , aut minor fieri poteſt , nec movetur , nec aliquid ex ſe emittit , nec quidquam in ſe recipit 19. : cur hunc mundum creaverit, rationem ſufficientem habuit 20. : gaudet intellectu 21. : omnia adæquate cognoſcit 22. : ejus intellectus ab humano ſumme differt 23. : in eo locus ſenſui , vel imaginationi non eſt 24. : ejus intellectus eſt purus 25. : nec diſcurſus , nec cognitio ſymbolica illi convenit 26. : rerum poſſibilitatem , & conditionatam exiſtentiam cognoſcit certiſſime 28 : ejus prævifio rerum contingentiæ , vel libertati non officit 34. : eſt omniſcius 36. : ſumma ratione gaudet 37. , & libera voluntate 41. : quo permotus fuerit , ut unum mundum præ ceteris eligeret 42. V. Voluntas Dei. Decretum : eſt omnipotens 49. : quæ producit ex intentione producit 50. : eſt ſapiens 52. : ob certum finem mundum creavit 53. ; ideſt ad perfectionum ſuarum, ſeu gloriæ ſuæ manifeſtationem 54. : unde mundum perfectiſſimum eligere debuit 55. : ex nihilo mundum produxit , ſive creavit 56. : ei imperfectiones entium nequeunt tribui 61. : mali metaphyſici auctor non eſt 62. : ad omnes creaturarum actiones , & effectus concurrit 63. : eum ad materiale actionis, non ad formale concurrere quomodo intelligatur 64. Sch. : malorum moralium auctor , & cauſſa dici nequit 65. : mala tamen permit-

mittit 66. : nec talis permiſſio Dei ſapientiam impetit 67. ; immo elucet in eo , quod mala ad bonum finem , perfectionemque univerſi dirigit 68. : nec ſapientis eſt mala omnia impedire 69. : ipſe mundum regit , ac gubernat 70. : ejus providentia aſſeritur 71. : eſt ſumme bonus 74. : habet vim intellectivam infinitam , adeoque ſubſtantia eſt infinita 75. : eſt immutabilis 76. : non exiſtit in tempore , & omnia illi tempora ſunt præſentia 77. : inter ipſum, & animam humanam quæ ſimilitudo intercedat 78. : unde ab homine Deus cognoſci poſſit 79. : unus eſt, & unius mundi creator 80. : omnipræſens eſt, ſeu immenſus 85. : quomodo omnipræſens dicatur ibid. Sch. : ſumme juſtus eſt 87. : quatenus affectus illi tribui poſſint , vel non 89. : ſummam habet majeſtatem 91. : eſt beatiſſimus 92. : eſt omnium Dominus 93. T. : eſt ſpiritus 206. P. : quomodo ſit in rebus per potentiam , per præſentiam , per eſſentiam. Nota (152) p. 456.

Differentia individualis , ſeu numerica , ſpecifica , generica per quid abſolvatur. 79. O.

Diſparata . Definitio. 87. O.

Diſſenſus. Definitio , & diſſentire quæ dicantur. 130. O.

Diſſimilia quæ dicantur . 110. O.

Diſtare quæ dicantur . 150. O.

Diſtincta quæ dicantur. 66. O.

Diſtinctio non officit identitati reſpectivæ , ſed potius ad eam exigitur. 67. Sch. O.

Diſtinctio rationis . Definitio 72. O. : rationis ratiocinatæ , & rationis ratiocinantis quæ ſit , & diſtinctionis fundamentum. ibid. Sch.

Diſtinctio realis . Definitio 72. O. ; & modalis , adæquata , inadæquata , poſitiva , adæquate poſitiva , inadæquate poſitiva , negativa adæquate , vel inadæquate ibid. : virtualis Thomiſtarum Nota (22) p. 59. : formalis ex natura rei Scotiſtarum. Nota (23) p. 60.

Diverſa quæ ſint . 66. O.

Dolor . Definitio . 91. P.

Dormire qui dicatur . 33. P.

Duratio . Definitio 162. , & durare quid dicatur ibid. : non eſt idem ac exiſtere in tempore. 163. O.

Eadem quæ dicantur ſive abſolute, ſive reſpective 64. : identitatis abſolutæ caſus eſt unicus 65. : eadem nu-

Digitized by Google

numero , & quo ad ſpeciem quæ ſint 67. : quomodo aliqua dicenda ſint eadem. 68. O.
Ecſtaſis. Definitio 39. P., & quatenus ſit ſpecies ſomnii. ibid. Sch.
Effectus . Definitio . 228. O.
Elementum . Definitio. 34. C.
Elementa corporum a corporibus differunt 37. : in iis rationes continentur affectionum corporum 38. : vi quadam ſunt prædita 39. : quid ex hac elementorum vi conſequatur. 40. C. V. Entia ſimplicia.
Emanatio eſſentialis quæ dicatur Nota (48) p. 127.: creaturæ non ſunt tales a Deo emanationes . ibid.
Ens . Definitio 42. O. : quædam hujus notionis reſtrictio repudiatur ibid. Sch. : fictum quod ſit 44. , & imaginarium 45. : entis eſſentiam intelligens quid præſtare poſſit 47. : in eo quæ ſint ponenda 48. : eorum, quæ enti conveniunt ſufficiens ratio in quo contineatur 49. : per eſſentiam ſuam quid præſtet 53. : illud exiſtere quid ſit 57. : ejus affectiones quæ dicantur 58. : ita eſt aliquid , ut aliud idem eſſe nequeat 112. O. ; & num de ente ſingulari hoc intelligatur Nota (34) p. 85. n. 1. : hypotheſis quædam huc pertinens recens inventa exponitur, & refutatur num. ſeq. : quodlibet eſt tranſcendentaliter verum . 128. O.
Ens a ſe . Definitio . 13. T.
Ens actu , ſeu *actuale* , itemque *potentiale* , ſeu *in potentia* . Definitio 55., in potentia proxima , & in potentia remota , & inter hæc diſcrimen . 56. O.
Ens privativum , itemque *poſitivum* , & *negativum* . Definitio 83. : enti privativo , & negativo prædicatum poſitivum nequit competere 85. O. , etſi voce poſitiva efferatur Sch. ibid. , quod illuſtratur Nota (25) p. 67.
Ens neceſſarium . Definitio. 102. O.: eſt ens a ſe 15. T.: eſt æternum 16.: ejus exiſtentia demonſtratur. 9. T.
Ens contingens . Definitio 102. O. : in entium contingentium ſerie non eſt ratio , cur quidpiam ſit potius , quam non 103. : unde eadem ſeries eſt ens contingens , & in alio rationem agnoſcit . 104. O.
Ens verum . Definitio 128. O.: perfectum , ſeu bonum quando dicatur Nota (40) p. 99. : ens quodlibet tranſcendentaliter eſt verum 128. O. : ens bonum

metaphyſice, ſeu perfectum quatenus dicatur. 60. T.
Ens compoſitum. Definitio 139. O.: ens reale compoſitum connaturaliter replet ſpatium 167.: entia plura compoſita connaturaliter eumdem locum non occupant 168.: entis compoſiti magnitudo inſtar extenſi uniformis concipitur 169.: menſurabile eſt ens compoſitum 170., & diviſibile 171.: ejus, ut compoſiti, eſſentia accidentibus abſolvitur 205., nec eſt ſubſtantia 207. O.: quævis in eo mutatio per motum perficitur 16. C.: eique cogitatio nequit competere. 135. P.
Ens ſimplex. Definitio 173. O., variæque ejus notiones Sch. ibid.: quæ ei tribuenda, vel ab eo removenda ſint 174.: a compoſito prorſus eſt diverſum 175. O.: nec mobile eſt, nec in loco Nota (47) p. 124.: entia ſimplicia dantur 176.; nec materia quædam minima illis poteſt ſubſtitui Sch. ibid.: ex nihilo oriuntur 177., & 180.: ex ente compoſito nequeunt oriri 178.; immo nec ex ſimplici 179.: oriuntur in inſtanti 182.: eorum tamen ortus diſtincta non habetur notio 183., nec intereunt niſi per annihilationem 184.: ſunt ſubſtantiæ 204. O.: ſunt elementa corporum. 36., & 40. C. V. Extenſum.
Eſſentia. Definitio 51. O.: quando hæc intelligatur 52.: eam tamen intelligere facile quidem non eſt ibid. Sch. 1., licet non impoſſibile Sch. 2.: in eſſentia limitata non continetur ratio ſufficiens exiſtentiæ. 54. O.
Eſſentiæ quando ſint neceſſariæ 93.: eæ ſunt immutabiles 94. O.: refelluntur quæ contra opponuntur Nota (29) p. 71.: quatenus æternæ ſint. 39. T.
Eſſentialia. Definitio 47. O.: eorum nomine quæ veniant 50. O.: generica, & ſpecifica quæ ſint. Nota (19) p. 50.
Exceptio quando locum habeat 133.: quæ in ea obſervanda. 134. O.
Exercitium. Definitio. 124. P.
Exiſtentia. Definitio Nota (18) p. 48.: num ab eſſentia diſtinguatur ibid.: quidquid exiſtit eſt omnimode determinatum 75. O.: exiſtentiæ cognitio quatenus obtineatur. 27. T.
Exiſtere in tempore quid ſit 163. O.: non idem eſt, ac durare. ibid.

Digitized by Google

Expectatio caſuum ſimilium quid ſit, & in quo conſiſtat 76. P.: ab ea differt ratiocinium. ibid.
Experientia. Definitio, ejuſque ab experimento diverſitas. Nota (1) p. 3.
Experiri quid dicamur. 72. P.
Extenſum. Definitio 144. O., in ordine ad ſe, & in ordine ad locum ibid.: quatenus ex ſimplicibus ortum, eſt phœnomenon 40. C., & ex ſimplicibus oriri oſtenditur ibid., quin dogmata inde geometrica pereant 42. C.: nec alia obſunt, quæ proferuntur Nota (78) p. 187.: non I. quod ſimplicia nequeant conflare extenſum n. 1.; ex unione enim id fieri poteſt n. 2.; maxime cum neceſſe non ſit ejuſdem naturæ exiſtere corporum elementa, & corpora ipſa n. 3.; ſed ſufficiat, ut detur inter ipſa proportio, ut uniri poſſint n. 4., & quidem unione phyſica, non morali n. 5.: non II. quod ſimplicia nequeant ſe tangere n. 6.; nec enim unio mechanica exigitur, ſed ſufficit unio per vires activas facta n. 7.: non III. quod admittendus eſſet proceſſus in infinitum n. 8.; nec enim infinitus entium ſimplicium numerus ad compoſitum formandum requiritur n. 9.: non IV. quod entia ſimplicia nihil ſint n. 10.; ſunt enim ſimplices ſubſtantiæ n. 11.: nec vero dici poteſt primitiva corporum elementa extenſa eſſe, vel partes infinitas eſſe in quolibet corpore, vel nullam extenſionis eſſe quærendam rationem ſufficientem n. 12.; primum enim abſurdis plurimis ſcatet n. 13., nec difficultas evaneſcit, ſi dicantur extenſa tantum in potentia n. 14.; nec enim hinc tollitur contradictio n. 15., & ſemper quæritur ſimplicitas in compoſito n. 16.: alterum vero petitum ex differentia inter continuum, & diſcretum diſpellitur n. 17.; ea enim differentia gratis confingitur n. 18.: nec contra faciunt argumenta geometrica n. 19.; nec enim ea ſemper tuto in alias Philoſophiæ partes transferuntur nn. 20. 21.: tertium tandem ex eſſentia corporis deductum improbatur n. 22.: extenſio namque, ut phœnomenon, ad eſſentiam corporis non ſpectat. n. 23.
Facultas. Definitio 192. O.: cognoſcendi, ſeu percipiendi quæ ſit 10. P., inferior, & ſuperior 14.: ad facultatem cognoſcendi quæ pertineant 147.: facultas

tas ſentiendi 15. : facultas imaginandi 23. : facultas fingendi 31. : facultas appetitiva, ejuſque pars inferior, & ſuperior quæ ſit. 84. P.
Faſtidium. Definitio. 104. P.
Fatum. Definitio 7. C., & Nota (68) p. 159., muhametanum quod ſit 7. C., ſtoicum, ejuſque futilitas 11. C. : quo recto ſenſu poni poſſit. Nota (70) p. 162.
Figmentum. Definitio 32. P., impoſſibile, ac abſurdum; itemque poſſibile, rationale, ac concinnum quod ſit. ibid.
Figura. Definitio 172. O. : ea eſt mutabilis. ibid.
Finis. Definitio 237. O., principalis, ſeu primarius, & minus principalis, ſeu ſecundarius 238., proximus, remotus 139. O., operis, operantis ibid., & Nota (62) p. 151. : ens intelligens ſupponit 241. : finem qui vult, vult & media. 242. O.
Finitum mathematicum. Definitio. 210. O.
Finitum reale. Definitio. 213. O.
Forma. Definitio. 246. O.
Fundamentum relationis quod dicatur. 219. O.
Gloria. Definitio. 103. P.
Gubernatio mundi quæ dicatur. 70. T.
Habitus. Definitio. 124. P.
Hæcceitas quid ſit. Nota (24) p. 61.
Harmoniæ præſtabilitæ ſyſtema 182. P. : in eo ſumitur, animam per naturam ſuam ſenſationes producere; ita ut prima ſequentis rationem contineat, & ita porro 183.; & quatenus ſenſationum ſucceſſiones arbitrio ſubſint 184. : ſumitur item, corpus eſſe machinam ad regulas motus conformatam 185., & quomodo anima, & corpus perfecte poſſint conſentire 186. : hujus ſyſtematis prærogativæ 187. : quæ contra ipſum objiciantur 188. P.; & quomodo his reponant hujus ſyſtematis aſſertores. ib. Sch.
Hilaritas. Definitio. 103. P.
Hypoſtaſis quid ſit, & quatenus a perſona differat. Nota (112) p. 288.
Idea non eſt idolum menti exhibens objecta. Nota (89) p. 220.
Idearum reproductio unde ſit. 45. P.
Idearum natura quæ ſit non convenit inter Philoſophos. Tres exponuntur celebriores ſententiæ Nota (124) p. 358. n. 17. : ideam a perceptione non diſtingui

probatur n. 18. : nec obeſt I. quod aliud hæc ſit, aliud perceptionis objectum n. 19. ; unum enim, idemque eſſe evincitur n. 20. : nec II. quod idea in hypotheſi futura ſit objecti imago n. 21. ; id enim proprie non ſequitur n. 22. : nec III. quod perceptioni non competat ideæ natura n. 23. ; competere enim reipſa oſtenditur n. 24. : nec IV. quod in hypotheſi anima nil præter propriam perceptionem perciperet n. 25. ; nam & objecta alia eam percipere debere ſit manifeſtum. n. 26.
Idearum origo quæ ſit quæritur Nota (124) p. 358., & duæ circa eam celebriores ſententiæ exponuntur n. 32. : a ſenſu, & meditatione ideas omnes proficiſci probatur n. 33., & innatas ideas nullius eſſe uſus ad earum originem explicandam oſtenditur n. 34. : nec obeſt, quod quarumdam idearum origo nonniſi a Deo eſſe poſſe videatur n. 35. : quomodo enim anima omnium idearum ſit cauſſa fuſius exponitur. n. 36.
Identitas reſpectiva, & abſoluta a quo pendeat. 70. O.
Imaginatio quando facilius habeatur 24. P., quando ſit vividior 25., quando clarior 26. : per eam res abſentes percipimus 27. : ejuſdem initium, & origo 28. : ejus leges 29. : a ſenſatione differt, & quomodo 30. P. : imaginationem inter, memoriam, & reminiſcentiam diſcrimen. Nota (101) p. 139.
Immutabile. Definitio 91. O. : eſt neceſſarium. 92. Sch. O.
Immenſus qui dicatur 83. : qui talis debeat cenſeri. 84. T.
Immenſitas diverſe a diverſis definitur. 85. Sch. T.
Impedimentum. Definitio. 230. O.
Impenetrabile quod dicatur. 168. Sch. O.
Imperfectio. Definitio 131. O., & Nota (40) p. 99. : imperfectiones entium cui tribuendæ. 61. T.
Impoſſibile. Definitio 22. O. : quando aliquid pro impoſſibili habendum 23. : impoſſibile ab intrinſeco abſolute quod ſit, & impoſſibile hypothetice 26. : impoſſibile quomodo dignoſcatur 28. O., & Nota (11) p. 31. : ei repugnat exiſtere 40. O. : non ens eſt 43. : impoſſibile, & non ens ſynonima prorſus non ſunt ibid. ; impoſſibile moraliter quod dicatur. 26. Sch. O., & Nota (10) p. 29.
Inclinatio. Definitio. 97. P.
Independens quod dicatur. 2. 6. O.
Indeterminatum. Definitio. 29. O.

Individuum. Definitio. 73. O. Individua ejuſdem ſpeciei quæ ſint. 80. O.
Individuatio quæ dicatur. Nota (24) p. 61.
Inertia. Definitio. 18. C.
Inferiora quæ dicantur. 79. O.
Infinitum mathematicum infinite magnum, vel infinite parvum 210. O.: eſt impoſſibile 211., & 212. O.
Infinitum reale. Definitio 214. O., & Nota (53) p. 141.: infinita plura realia num dari poſſint. 215. O.
Influxus phyſici ſyſtema in quo conſiſtat 176. P., ejuſque expoſitio 177.: quæ contra illud opponuntur 178.: præ cæteris tamen probandum 190.: nec obeſt quod influxum phyſicum explicare ſatis non valeamus; hoc enim ii utique poſſunt, qui notionibus utuntur diſtinctis 191.: nec quod influxus phyſicus eſſentiis corporis, & animæ repugnet; gratis enim id ſumitur 192.: nec quod animæ vis movendi tribui non poſſit; hæc enim idem eſt cum vi repræſentandi, quæ animæ competit 193.: nec quod vis animæ ſufficiat motibus corporis producendis; quomodo enim id fiat ſatis explicari poteſt 194.: formulæ, ad quas revocatur explicatio commercii per ſyſtema influxus phyſici 195. P. Hoc ſyſtema præ ceteris eſſe ſolidius & probatur Nota (124) p. 358.: & primo poſſe animam phyſice proprium movere corpus, oſtenditur n. 1., & confirmatur nn. 2. 3. 4. 5.: nec obeſt, ſi dicatur, nullam eſſe corpus inter & animam connexionem n. 6.; nimia enim id confidentia aſſeritur n. 7.: nec quod anima modum movendi corpus ignoret; non enim ideo ſequitur non movere n. 8.: ſecundo animam a corpore aliquatenus dependere demonſtratur n. 9.: nec obeſt, ſi dicatur anima a corpore independens n. 10.; poteſt enim utique ab illo tamquam ab objecto pendere n. 11., quod quomodo poſſibile ſit exponitur n. 12.; immo vero nec dependentia ejuſmodi peccati originalis pœna dicenda eſt n. 13.: nec etiam dicatur, non poſſe corpus determinare animam ad percipiendum n. 14.; quomodo enim determinari queat, exponitur n. 15.
Ingenium. Definitio 65. P.: cum ingenio conjunctæ eſſe debent definitiones, & notiones univerſales 66.: a vi repræſentandi pendet. 163. P.
Intellectus. Definitio 59. P., & Nota (102) p. 242.: quid

quid in ejus perfectione æſtimandum 59. : intellectus humanus limitatus eſt 60. : purus qui dicatur, & quatenus purus eſſe poſſit 63 : humanus numquam eſt purus ib. Sch. 1. : impurus quando ſit Sch. 2. : ei debentur notiones 66., & judicia. 71. P.
Intellectus divinus fons eſt, & principium omnis poſſibilitatis 38. T., & omnium eſſentiarum 39.: prædicatorum eſſentialium cujuslibet entis rationem continet. 40. T.
Intelligere quomodo dicamur, & quid ad hoc requiratur. 58. P.
Interire quid ſit. 141. O.
Interruptum quod dicatur. 146. O.
Invidia. Definitio. 104. P.
Ira. Definitio. 104. P.
Irriſio. Definitio. 103. P.
Judiciorum intuitivorum formatio a vi repræſentandi pendet 158. P. : itemque judiciorum diſcurſivorum. 159. P.
Juſtus qui dicatur. 86. T.
Juſtitia. Definitio 86. : divinæ juſtitiæ quid proprium ſit. 88. T.
Libere agere quatenus quis cenſeatur. 173. P.
Libertas. Definitio, & quæ ad eam requirantur 122. P.: contradictionis, & contrarietatis quæ ſit 133.: num illi officiat rationis ſufficientis principium. 123. P. V. Principium rationis ſufficientis.
Libertatis exercitium a ratione pendere oſtenditur 173. P., & Nota (122) p. 331. n. 1. ; judicium enim, quod rationis eſt, debet electioni, in qua exercitium conſiſtit, præire n. 2. : cum enim vere agens liberum ſe determinat per rationem, habetur etiam libertas a neceſſitate, ſeu indifferentiæ n. 3. ; illi enim ſemper liberum eſt rationes oblatas expendere, num conveniant n. 4. ; & ſi convenire judicat, ratio prævalens erit, ſeu ad electionem determinans. n. 5.
Libertate arbitrii frui homines contra Fataliſtas probatur Nota (123) p. 335. ex intimo ſenſu n. 1., & quia, ea ablata, optima quæque tollerentur n. 2. ; immo omnia fere infulſe ab homine fierent, & inutiliter n. 3.: nec vero in externis motibus libertas quit poni, niſi per ſummum nefas n. 4. : nec obeſt, quod & bruta dicantur plecti, pœniſque abſter-

terreri n. 5. ; improprie enim intelligenda hæc eſſe ſenſus communis teſtatur n. 6. : nec quod ab alio poſſimus indeclinabiliter ad volendum determinari n. 7. ; id enim intimo ſenſui repugnat n. 8. : nec quod homo volitionis cauſſa non ſit n. 9. ; Deus enim voluntatem movens non impedit, quominus homo ſe ad volendum determinet n. 10. : nec quod homo neceſſario velit n. 11. ; neceſſitas enim moralis, qua vult homo, libertatem non tollit n. 12. : nec quod libertas a corporeis impreſſionibus pendeat n. 13. ; pendet enim a judicio rationis n. 14. : nec quod homo ſui tantum appetitus ſit conſcius n. 15. ; non ideo enim dumtaxat homini libertas tribuitur n. 16. : nec demum quod in ſola exemptione a coactione libertas conſiſtat n. 17. ; in exemptione namque etiam a neceſſitate ſita eſt n. 18. : neceſſitas porro naturalis libertati non opponitur n. 19. ; & quatenus id etiam a Patribus concedatur. n. 20.

Limes. Definitio. 209. O.

Limitatio quæ dicatur 60. : nec creatione, nec conſervatione eget ibid. : ex ea entium imperfectiones oriuntur. 61. T.

Locus. Definitio 155. O. : inter ipſum, & ſpatium diſcrimen ibid. Sch. : cum quibus non connectatur, & quorum non contineat rationem 156. : locum aliquid quando dicatur mutare. 158. O.

Luctus. Definitio. 104. P.

Magnitudo. Definitio 118. : eam metiri quid ſit. 120. O.

Majeſtas Dei. Definitio 90. : ſumma eſt. 91. T.

Majus quod dicatur. 119. O.

Malevolentia. Definitio. 103. P.

Malum. Definitio 131. O., & 92. P. : ejus ſenſus tædium parit 93. : & conſtans parit tædium malum verum, non vero apparens 94. : malum majus quod ſit, & quomodo diſtincte cognoſcatur 96. : quatenus illud appeti poſſit 111. : etiam cognitum ut malum appetitur tamquam bonum. 112. P.

Malum metaphyſicum. Definitio 62. T. : illius auctor, & cauſſa Deus non eſt ibid. : morale quod ſit 65. : ejus item auctor, & cauſſa Deus non eſt ibid. : illud tamen permittit 66. : hæc permiſſio Dei perfectioni, aut ſapientiæ non officit 67. ; immo illa maxime commendat 68. : & malum impedire ſapien-

pien-

pientiæ potius officit, quando eo permiſſo majus bonum obtinetur 69. T. : quoddam circa id exponitur, & diſpellitur Epicuri argumentum. Nota (149) p. 448.

Materia. Definitio 245. O., ex qua, & circa quam ibid. : quæ proprie dicatur 21. C. : per eam ſolum mutationes corporum nequeunt explicari 22. : quomodo in corpore concipienda ſit 27. : non eſt ſubſtantia 31. : pro elemento corporum nequit haberi. 35. C.

Medium. Definitio. 240. O.

Memoria. Definitio, & ejus exercitium in quo verſetur 41. P. : alia quædam memoriæ definitio expenditur, & rejicitur 42. ; prima vero uſui loquendi conſentanea oſtenditur 43., licet nominalis ſit 44. : memoriæ mandare quæ dicamur, quæ retinere 46. : memoria bona qui gaudeat 47. : quæ memoria vere retineamus 49. : ea a vi repræſentandi pendet 154. , atque a cerebro. 155. P.

Menſura, & *menſuratum* quæ dicantur. 120. O.

Metus. Definitio. 104. P.

Minus quod dicatur. 119. O.

Miraculum. Definitio 52. C. : quando accidat, & quatenus 55. : ad illud quid requiratur 56., & Nota (81) p. 203. : ejus definitio ex Spinoſa abſurda 56. Sch., & Nota (82) p. 204. : illud eſt poſſibile 57. : contra curſum naturæ fit 60. C. : ad providentiam ſpecialem ſpectat. 72. T.

Miracula eſſe poſſibilia probatur Nota (83) p. 205., quia Deus poteſt naturæ leges immutare n. 1. , & contra rerum ordinem, prout a cauſſis ſecundis pendet, facere n. 2. : nec obeſt, quod ordo naturæ ſit neceſſarius, quod miraculum mundum everteret, & vires Dei excederet, quod effectus naturæ proportionati ignorentur n. 3. ; nam nec neceſſitas ordinis opponitur abſolutæ contingentiæ n. 4. , nec mundus per miraculum evertitur, ſed perficitur n. 5. , nec vires Dei excederet, quæ cum noſtris metiendæ non ſunt n. 6. , nec effectus naturæ ignorantur omnes, &, quo vis naturæ non pertineat, agnoſcimus ſatis n. 7. : miraculi notio quomodo expendenda n. 8. ; nec vero illud ut effectus naturalis omnino ſpectari poteſt n. 9. , niſi ab-

abſurdiſſima quæque invehere lubeat. n. 10.
Miſericordia. Definitio. 104. P.
Mobile. Definitio. 166. O.
Modificabile. Definitio. 187. O.
Modificatio. Definitio. 187. O.
Modus. Definitio 61. O.: poſſibilitatis, & actualitatis modorum ratio ſufficiens in quo contineatur 62.: modorum poſſibilitates inter attributa ſunt referenda 63.: modi ſunt hypothetice neceſſarii 99. O.: cur enti inſint, unde ratio repetenda. Nota (21) p. 53.
Moralitatis ſextum ſenſorium admittere, Materialiſtæ eſt. Nota (124) p. 358. n. 38.
Motiva volendi, & nolendi quæ ſint 109.: in conſuetudine ea quandoque latent, & quomodo detegi poſſint. 114. P. V. Libertas.
Motus. Definitio 166. O.: motus corporum unde determinetur. 169. P.
Motus voluntarii qui dicantur. 127. P.
Multa. Definitio. 113. O.
Multitudo. Definitio. 114. O.
Mundus. Definitio 4. C.; ejus eſſentia in quo ſita ſit 5.: quæ in eo contingunt determinatam habent futuritionem 6.: ejus partes connexæ ſunt 5., & Notis (66), (67) p. 158.: in quo contineatur ratio eorum, quæ actu ſunt in mundo, & quæ ſint in ipſo poſſibilia 8., & quæ contingentia 9.: præter mundum nil aliud eſſe poſſibile inſana eſt Spinoſæ blaſphemia Nota (69) p. 161.: rerum in mundo nexus neceſſarius Nota (71) p. 164., eoque ſublato nihil eſt hypothetice futurum ibid.: mundi plures ſunt poſſibiles 12.: mundus perfectus quando dicatur 61.: imperfectum eſſe ex partium imperfectione male colligitur 62.: ex omnibus poſſibilibus ille perfectior eſt cenſendus, in quo paucioribus exceptionibus locus eſt 63.: in mundo perfecto eſt ordo 64.: mundi ordo latius patet, quam ordo naturæ 65. C.: ejus creandi ratio ſufficiens in Deo fuit 20. T.: mundus hic gradu perfectionis ſuæ omnium poſſibilium mundorum perfectionem ſuperat 43.: inter omnes adeo poſſibiles hic eſt perfectiſſimus 44., licet aliqui in eo ſint defectus ibid. Sch. 1.; nec forte per Dei voluntatem perfectior eſſe poteſt Sch. 2.; quin obſit, quod per-

perfectiora entia poſſint produci Sch. 3. : ejus actualitatis, & eorum, quæ in ipſo ſunt, ratio in voluntate Dei continetur 45. : fatali neceſſitati non ſubditur 51. : ob certum finem a Deo eſt ad exiſtentiam productus 53. ; nimirum ad gloriæ ſuæ manifeſtationem 54. : unde mundus hic perfectior cunctis eſt 55. : productus eſt ex nihilo, ſeu creatus a Deo 56. : quando fuerit a Deo creatus, num ab æterno, num in creatura vis creandi locum habeat 57. Sch. : a Deo conſervatur 58. : a Deo gubernatur 70. , & providentia regitur 71. : eſt quid unum, unicumque habet auctorem, & creatorem Deum 80. : ad unitatem Dei demonſtrandam inſervit 82. Sch. T. : æternum illum non eſſe evincitur Nota (145) p 441.
Mundus exiſtens optimus aſſeritur Nota (144) p. 431. : libere namque electus, fuit ad aliquem finem ordinatus n. 1. , & debuit ordinari ad finem omnium præſtantiſſimum n. 2. , quem finem manifeſtari maxime decuit per creaturas mundum componentes n. 3. : & manifeſtatio igitur perfectiſſima eſſe debuit. Nec limites iccirco divinæ omnipotentiæ figuntur n. 4. : licet enim hujuſmodi manifeſtatio finita ſit, perfectiſſima tamen omnium poſſibilium eſſe poteſt, ſi maxime ſpectetur perfectio non partium, ſed totius n. 5. : immo vero & dici debet n. 6. , cum ea manifeſtatio ſit finis a Deo intentus in mundi hujus creatione n. 7. , ut ſentit S. Thomas n. 8. , qui & hunc ipſum mundum optimum propugnat nn. 9. 10. 11. ; ſicuti & S. Auguſtinus n. 12. , Damaſcenus , Lactantius , & Epiphanius . n. 13.
Mutabile . Definitio 91. O. : eſt contingens . 96. O.
Mutatio rei durantis. Definitio . 187. O.
Mutatio naturalis quomodo in corpore accidat , & quæ naturalis ſit 53. : quæ vero miraculum . 54. C.
Natura univerſa , ſeu *natura rerum* . Definitio 50. C. : quibus ea conſtet Nota (80) p. 201. : natura naturans, natura naturata ibid.: ejus regulæ ab abſoluta neceſſitate ſunt liberæ. 51. C.
Naturale in genere & in mundo corporeo quod ſit 52. : ſecundum naturæ curſum accidit 60. C. : naturale in anima quid dicatur . 145. P.
Neceſſarium . Definitio 88. O. : neceſſario enti convenire quæ dicantur 46. : neceſſario poſſibile eſt poſſibi-

ſibile, & impoſſibile eſt impoſſibile 89. : & neceſſario eſt quodlibet, dum eſt 90. : neceſſarium eſt immutabile 92. : neceſſarium abſolute, hypothetice quod ſit 97. O., itemque Nota (28) p. 70. : neceſſarium intrinſece, extrinſece, phyſice, moraliter ibid.: neceſſarium hypothetice in ſe eſt contingens 100. : neceſſarium abſolute, & hypothetice quomodo dignoſcatur. 101. O., & Nota (30) p. 76.

Neceſſitas fatalis a mundo excluditur, & quatenus in eo poſſit admitti neceſſitas phyſica, metaphyſica, ac geometrica. 10., & 13. C.

Nexus, ſive ordo & inter poſſibilia datur Nota (140) p. 417. n. 1.: alius eſt eſſentialis, vel neceſſarius, alius accidentalis, contingens, & liber n. 2. : ex eodem nexu mutationes ſecuturæ pendent n. 3., in eoque futura conditionata ſunt poſita n. 4. ; non autem mere poſſibilia n. 5. : is nexus a libera Dei voluntate pendet, ut exiſtat, non ut ſit poſſibilis n. 6. : quare quæ ſpectato nexu futura eſſent, impedire Deus poteſt n. 7. : tandem inter conditionem, & conditionatum non ſemper apparet nexus n. 8., qui tum maxime, cum inter naturalia, & ſupernaturalia eſt, nonniſi ab eo noſcitur, qui totam noverit ſeriem. n. 9.

Nihil eſt ſine ratione ſufficiente. 20. O.

Nihilum. Definitio 17. O. : nihilum eſt, quod termino inani denotatur 18. : nihilum non eſt ratio ſufficiens rei alicujus. 19. O.

Nolle mens quando dicatur. 107. P.

Noluntas. Definitio. 107. P.

Non continuum quod ſit. 146. O.

Non ens. Definitio. 42. O.

Notionum univerſalium formatio a vi repræſentandi pendet. 157. P.

Numerus. Definitio 116. O. : numerus numerans, numeratus. ibid. Sch., & Nota (35) p. 88.

Objectum. Definitio. 245. O.

Oblivio. Definitio. 48. P.

Oblivíſci quomodo dicamur 48., & quæ oblivíſcamur. 49. P.

Obtrectatio. Definitio. 104. P.

Odium. Definitio. 103. P.

Omnipotentia. Definitio. 48. T.

Omnipræſens. Definitio 83. : qui talis debeat cenſeri. 84. T.
Omnipræſentia diverſe a diverſis definitur. 85. Sch. T.
Omniſcius qui dicatur. 35. T.
Ontologia. Definitio 1. O.: in omnibus diſciplinis uſum habet 2.: in ea demonſtrative procedendum ibid.: quare aliquando contempta ibid. Sch.: caput eſt omnium diſciplinarum, & ſcientiarum philoſophicarum 3.: ea homines carere nequeunt 4. : cui experientiæ nititur 5. : in ea non improbandi termini technici. 6. O.
Oppoſita, contrarie, & contradictorie oppoſita. Definitio 82. O., & *privative oppoſita* 84. : *relative oppoſita*, & horum leges. 86., & Sch. O.
Ordo. Definitio 121. O. : neceſſarius, & contingens qui ſit 122. : in eo quando ſit defectus 123. : a ſomnio abeſt. 126. O.
Ordo naturæ quid ſit 58. C. : contra eumdem quæ fiant, & quæ ſecundum ipſum 59 : minus patet, quam ordo mundi. 65. C. V. Nexus.
Organa ſenſoria quæ ſint. 16. P.
Oriri ſimpliciter quid ſit, & oriri ex nihilo 141. O. : oriri ab ente, & oriri ex ente quomodo differant 179. Sch. 1. : oriri in tempore, & in inſtanti quid dicatur. 181. O.
Pagani qui dicantur. 81. T.
Paganiſmus in quo conſiſtat 81. : omni fundamento deſtituitur. 82. T.
Pars. Definitio 117. O. : partes homogeneæ, & eterogeneæ quæ ſint. Nota (36) p. 89.
Paſſio. Definitio 190. O.: paſſiones appetitus iraſcibilis, & concupiſcibilis quæ ſint Nota (107) p. 256., & quot ſint Nota (109) p. 259. : earum definitio ex S. Thoma Nota (108) p. 257., & quomodo ſe habeant ad judicium rationis. ibid.
Perceptio obſcura quando ſit 11. P., clara 12., diſtincta, confuſa 13., totalis, partialis, adæquata, inadæquata Nota (91) p. 221. : ei reſpondet mutatio in organis ſenſoriis producta 125. : perceptiones a vi animæ propria ortum trahunt. 166. P.
Perdurabile. Definitio. 197. O.
Perfectio. Definitio 131. O., ſimplex, & compoſita quæ ſit 132. : perfectio partium a quo pendeat 135., & quid circa eam obſervandum 136. : major, & mi-
nor

nor quando ſit 137. : quatenus ejus notio differat a notione bonitatis tradi alias ſolita 138. O. : perfectio entis quæ dicatur Nota (40) p. 99. : perfectiones divinas conſiderans Deum non revereri non poteſt. 94. T.

Perfectum reputatur ſæpe quod non eſt. 87. P.

Perſona quid ſit, & quomodo diverſimode definiatur. Nota (112) p. 288.

Phantaſia. Definitio. 23. P.

Phantaſmata a vi repræſentandi proficiſcuntur 151. : cum cerebri conſtitutione connectuntur. 152. P.

Philoſophia prima. Definitio. 1. O.

Philoſophia corpuſcularis unde nata, & in quod intendat. 45. 46. C.

Phænomenon. Definitio 40. Sch. : vis quædam corporum primitiva phœnomenon eſt. 43. C.

Pœnitentia. Definitio. 104. P.

Politheï qui dicantur. 81. T.

Polytheiſmus in quo conſiſtat 81. : omni fundamento deſtituitur. 82. T.

Poſſibile. Definitio 24. O. : ejus aliæ definitiones quædam improbantur 27. 28. : ei exiſtere non repugnat 41. : ens eſt 43. : poſſibile tamen, & ens non prorſus ſunt ſynonima. ibid. O.

Poſſibilia quævis cognoſcit Deus independenter a quovis libero ſuo decreto Nota (141) p. 421. n. 1. : itemque quæ a rerum nexu pendent, ut ſint conditionate futura n. 2., idque ex S. Thoma firmatur. n. 3.

Poſſibilitas rei, & poſſibilitas actus quæ ſint, & quædam circa utrumque adnotanda. 25. O.

Potentia, ſeu potentia activa quæ dicatur, & quæ potentia paſſiva 192. O. : in potentia activa ratio ſufficiens actionis non continetur, nec in paſſiva paſſionis 193. : ea cum vi confundenda non eſt. 195. O.

Prædicatum, quod demonſtratur convenire ſubjecto, per quod determinetur. 35. O.

Præſentia. Definitio. Nota (112) p. 288.

Prævifio. V. Deus.

Principiatum. Definitio 222., pendet a principio, & hoc poſito ponitur illud. 224. O.

Principium. Definitio 7. O. : ontologicum quod ſit ibid. : principium eſſendi, fiendi, cognoſcendi quod di-

catur 222. : prius eſt principiato 223. : internum, externum quod ſit 225., cauſſale, non cauſſale ib. Sch. O. : principia flectendi animos unde repetantur 116. P. : primum quod ſit. V. Principium contradictionis.

Principium analogiæ quo contineatur Nota (84) p. 213. : inter naturæ regulas cenſendus eſt. ibid.

Principium contradictionis quod ſit 10. O. : unde firmetur 8. 9. ; quæque ad ejus vim intelligendam conferant 10. 11. : illud eſt veritas abſolute prima 12. : fons eſt omnis certitudinis 15. O. : eo ſublato mundus eſſet mera fabula Nota (38) p. 93. : illud in evidentia poſitum volunt Carteſiani, quia ea nil clarius eſſe poteſt, nil prius Nota (4) p. 11. n. 1., & quia ea veritatis eſt norma n. 2. : ſed perperam, quia ex principio contradictionis ea pendet, & quia hæc veritatis eſt quidem criterium, non principium n. 3. : nec vero huic principio deſunt primi principii dotes nn. 4. 5. : falluntur item, qui nullum dari primum principium autumant quibuſdam ducti argumentis n. 6., quæ nil concludere convincuntur. nn. 7. 8. 9. 10. 11. 12.

Principium cognitionis, & principium idearum quomodo differant. Nota (3) p. 9.

Principium continuitatis in quo ſitum ſit Nota (84) p. 213. : eſt inter naturæ regulas. ibid.

Principium excluſi medii inter duo contradictoria quod ſit 13. : in principio contradictionis continetur. 14. O.

Principium indiſcernibilium quod ſit 109. Sch. O., & Nota (33) p. 80. n. 1. : ejus veritas oſtenditur ex principio contradictionis n. 2., ex principio rationis ſufficientis n. 3., & ex experientia n. 4. : nec obeſt, quod illud velit quiſpiam inutile, & implicans n. 5. ; differentiis enim rerum explicandis inſervit n. 6., & maxime eſt conſentaneum n. 7. : nec alia quædam obſunt, quæ objiciuntur n. 8. ; futilia enim eſſe oſtenduntur. nn. 9. 10. 11.

Principium individuationis quod ſit. 74. O.

Principium rationis ſufficientis quod ſit 20. O. : non inducit abſolutam neceſſitatem 101. Sch. 1. : illud eſt per ſe notum Nota (6) p. 18. n. 1., ejuſque veritatem agnoſcunt vel illi, qui illud rejicere tentant n. 2., cujuſmodi ſunt Stayus n. 3., & Boſcovi-
chius

ebius n. 4., quibus perſuaſum eſt nil fieri ſine ratione n. 5.: immo & ex mentis natura illud profluit n. 6.: nec vero eſt illud inutile n. 7., cum veritati inveniendæ deſerviat n. 8., quin obſit ejus quandoque abuſus n. 9.: non eſt hoc principium confundendum cum alio: Nihil eſt ſine cauſſa 21. O.; & Nota (7) p. 22. n. 1.; id enim diſtinxit S. Thomas n. 2., & S. Auguſtinus n. 3., & patet ex eo, quod iſtud ab illo dependeat n. 4., & quod ſæpe fallantur, qui id diſcriminis non obſervant n. 5.; cujuſmodi ſunt, qui pro cauſſis habent antipathiam &c. n. 6.: hoc principium oſtendit VVolfſius à priori Nota (8) p. 25. n. 1.: ſed VVolſſiano argumento ineſt æquivocatio, quæ exponitur nn. 2. 3. 4., & quomodo talis æquivocatio ceſſet. n. 5.

Principium rationis ſufficientis libertati applicatur Nota (111) p. 266.: quæ repræſentatio boni, vel mali ſit volendi, vel nolendi motivum n. 1.: debet bonum, vel malum repræſentari ut conveniens, vel diſconveniens in particulari n. 2., cujuſmodi eſſe debere motiva volendi, vel nolendi oſtenditur n. 3.; unde intelligitur, cur quandoque appetatur quod malum, reſpuatur quod eſt bonum n. 4.; maxime cum appetitus ſequatur cognitionem n. 5., poſt quod ſequitur determinatio animæ ex judicio rationis n. 6.; adeoque determinatio ſit convenienter motivis, ſpontanee, & libere n. 7.: hoc vero determinatio debet eſſe objective indifferens, & quomodo. n. 8.; & tamen nulla determinatio libera eſt ſine ratione ſufficiente n. 9.: agens liberum nec ſine motivis, nec contra eadem ſe determinare concedunt rationis ſufficientis oſores n. 10.; unde & concedere debent non ſe determinare ſine ratione ſufficiente n. 11., quæ in motivis unice eſt poſita n. 12.: nec vero diſtinguenda eſt ratio, cur eligamus, a ratione, cur potius eligamus n. 13.; negligenda enim velut inutilis hæc diſtinctio n. 14.; abſque enim ea remanet agenti libero facultas ſe inclinandi, quo libet n. 15., quod ex amplitudine rationis ſequitur n. 16.: ea vero facultas abſurde diceretur exerceri ſive juxta, ſive contra rationis judicium n. 17., cum hoc ipſo deceptrices notiones obtru-

obtruderentur n. 18. : neque vero hæc cauſſæ liberæ notioni repugnant n. 19. , aut ejus naturæ n. 20. , quæ non in eo ſita eſt, ut poſſit non actio componi cum requiſitis omnibus ad agendum n. 21. ; cujuſmodi requiſitum primarium eſt determinatio, quæ fit ex judicio rationis n. 22. , & exercetur agendo potius, quam non agendo n. 23. : nec etiam repugnat libertati, quod determinetur actio libera per aliud, quam per voluntatem n. 24. ; ſemper enim determinatio ſequitur judicium rationis n. 25. : nec obeſt quoque, quod non ſit in hominis facultate habere hæc, vel illa motiva n. 26. ; judicium enim rationis in agentis liberi poteſtate ſemper eſt n. 27. : nec tandem libertati officit hoc ipſum rationis judicium, quippe quod libertas ipſa involvat n. 28. : hujus principii demonſtrationem a priori habes Nota (13) p. 33. n. 8. ; item aliam. Nota (31) p. 76.

Principium rationis ſufficientis in Deo libere operante locum habere oſtenditur Nota (139) p. 403. : nec id obſtat rationi, aut S. Scripturæ n. 1. : nam ex S. Thoma Scripturæ non excludunt rationem divinæ voluntatis n. 2. , quod & S. Anſelmus exprimit n. 3: immò & ratio docet, Deum dirigere in finem, quæ vult n. 4. ; adeoque datur ratio eorum, quæ fecit n. 5. : nec vero neceſſitatem abſolutam in Deo invehit hæc ratio ſufficiens n. 6. : nam & ea poſita ex libera Dei determinatione res ſunt n. 7. : nec ſequitur, Deum non poſſe facere, niſi ea, quæ facit n. 8. ; ſpectata enim potentia abſoluta & alia facere poteſt n. 9. : nec ſequitur neceſſitatem induci ab ea ſufficiente ratione antecedentem n. 10. , cum conſequens tantum, & hypothetica inducatur n. 11. : nec obeſt, quod inutiliter videatur poni hæc ratio in Deo, a quo cognoſci nequit ut optimum hoc potius creare, quam illud, cum quævis creata bonitas reſpectu Dei ſit purum nihil n. 12. ; non enim Deum dedecet neceſſitas ſaltem moralis ad optimum, ſi repugnet eum non agere, quod eſt perfectius n. 13. , & unum præ alio eligere utique debet, ſi velit perfectionem ſuam in tali gradu potius, quam alio manifeſtare n. 14 : nec obeſt, quod nulla ſit ratio, cur Deus res in tali loco n. 15. , vel tempore

pore creaverit n. 16. ; inanis enim eſt objectio, ſi locus, & tempus a rerum univerſitate diſtinguatur n. 17. , ſi vero ſecus, inanis non erit, ſed non ſequetur, nullam eſſe rationem ex eo, quod nullam nos agnoſcamus n. 18. : poteſt enim pro ratione aſſignari finis a Deo intentus n. 19. , & rationem certo eſſe debere nonniſi inepte inficiari poteſt n. 20. : nec obeſt, ſine ulla ratione poſſe Deum ex omnino ſimilibus unum præ alio eligere n. 16. ; omnimoda enim duorum ſimilitudo gratis ſupponitur nn. 21. 22. ; in iiſque diſſimilitudo conſpicitur, quæ ſimilia maxime videntur n. 23. : nec tandem obeſt, quod nulla ſit in Deo ratio electionis, vel reprobationis hominum præter divinam voluntatem ex S. Thoma ; non enim excluditur niſi ratio quædam determinata juxta mentem ejuſdem S. Doctoris. n. 24.

Privatio. Definitio. 83. O.

Producere quod dicatur. 230. O.

Profunditas mentis in quo conſiſtat. 62. P.

Profunditas intellectus a vi animæ repræſentativa pendet. 161. P.

Propagatio animæ per traducem improbatur. Nota (125) p. 375.

Providentia. Definitio 71. T. : generalis, & ſpecialis quæ ſit 72. : ad ſpecialem pertinent miracula ibid. : eam pugnare cum felicitate, & immortalitate divina fruſtra contenditur ibid. Sch. : contra eamdem quoddam Lucretii proponitur, & diſſolvitur argumentum Nota (148) p. 445. ; aliud item Epicuri diſpellitur. Nota (149) p. 448.

Pſychologia. Definitio 1. P.: alia eſt rationalis, alia empirica ibid. : empiricæ officium quod ſit. 2. ; ejuſque tradendæ ratio. 3. P.

Pudor. Definitio. 104. P.

Puncta zenonica quæ ſint, & num ex iis poſſit extenſum oriri. 41. C.

Puſillanimitas. Definitio. 104. P.

Qualitas. Definitio 105. O. : primitivæ, derivativæ qualitates quæ ſint 106. : cui bono deſtinantur 107. : ſimiles quæ dicantur, & diſſimiles. 110. O.

Qualitates corporum mechanicæ, phyſicæ, mixtæ quæ ſint 47. : ad phyſicas Phyſicus confugit. 48. C.

Quantitas. Definitio. 111. O.

Quies. Definitio. 166. O.
Ratio quomodo ex ratiocinio colligatur 77. P. : ea exulat in cognitione experimentali 78. : a vi repræſentandi pendet. 160. P.
Ratiocinium continet modum cogitandi prorſus naturalem 75. P. : quomodo formetur 81. : ejus ope veritas invenitur 82. : a vi repræſentandi pendet. 159. P.
Ratio fundandi quid ſit. 219. O.
Ratio ſufficiens. Definitio 16. O. : rationis ſufficientis nomen Antiquis uſitatum Nota (5) p. 15. n. 1. ; ejus autem notio uſitatior n. 2., & hujus principii uſus frequentior n. 3. , & quomodo extendendus n. 4. : ea non eſt cum cauſſa confundenda 21. O. ; ab eaque diſtingui ulterius oſtenditur Nota (64) p. 153. : ea poſita ponitur id, cujus ratio ſufficiens habetur 33., & Sch. O. : nec iccirco actum eſt de libertate Nota (13) p. 33. n. 1. ; liberarum enim actionum ſufficiens ratio ſunt motiva, quæ libertatem potius complent n. 2. ; quod non impetit libertatis notio quædam communis n. 3. : & cur agat cauſſa libera, licet poſſit non agere n. 4 : quod ut intelligatur diſtinguenda ſunt quæ requiruntur ad poſſibilitatem actionis, & quæ ad ejus actualitatem n. 5. : hujus applicatio diſtinctionis. nn. 6. 7. Vide Principium rationis ſufficientis.
Receptaculum ad animam applicatum eſt terminus inanis. 44. P.
Reflectere ſuper re quando dicamur 55. : ad reflexionem quæ ſpectent 56. : ea mediante a cognitione confuſa ad diſtinctam progredimur. 57. P.
Regula. Definitio 121. : compoſita quæ ſit 124. : quando una alteram collidat. 133. O.
Regulæ naturæ V. Natura.
Relatio. Definitio 217. O. : nil realitatis enti ſuperaddit 218. : ejus variæ ſpecies 220. , & Nota (53) p. 143. : ejus ſubjectum, & terminus. 221. O.
Reminiſcentia. Definitio 50. P. : quorum non ſatis reminiſci dicamur ibid. : non idem prorſus eſt , ac memoria. ibid. Sch.
Replere ſpatium quid ſit. 167. Sch. O.
Repræſentatio in mente quatenus producatur. 125. P.
Repræſentatio rei materialis cogitatio eſſe nequit. 135. P.

Res. Definitio 83. O. : abſolute, vel in ſe ſpectari quando dicatur; item ſub conditione, ſeu in hypotheſi. 97. O.
Sapiens quis dicendus. 52. T.
Scientia ſimplicis intelligentiæ. Definitio, & num in Deo detur. 29. T.
Scientia media. Definitio, & num in Deo ſit 29. T.: inutilis eſt novitas, utpote quæ objecto caret, ejuſque myſterium chimericum. Nota (142) p. 422.
Scientia viſionis. Definitio 31. : in Deo datur 32. : ad quæ extendatur. 33. T.
Senſatio. Definitio 15. P., & Nota (92) p. 222. : cui tribuenda. 17. P.
Senſationes unde diverſæ ſint 19. P.: fortiores ſupprimunt debiliores 21.: in iis nil immutat anima 22.: quatenus eæ dicantur neceſſariæ ibid. : ex ipſis quomodo res aliæ cognoſcuntur in ſenſus non incidentes 74. : a vi repræſentandi oriuntur 148. : debent eſſe ſimiles objectis, quæ corpus afficiunt 149., & quomodo ibid. Schol. 2. : iis quædam ſemper conjunguntur mutationes in cerebro 150. P.: animæ paſſiones eas non eſſe oſtenditur. Nota (116) p. 311.
Senſus internus qui dicatur 16. P.: ſenſus quinque ibid.: unde in ſenſibus error 20., & Nota (96) p. 225.: ſextus quidam ſenſus exploditur Nota (93) p. 223.: ſenſuum leges tres 18. P.: his conformes ſemper ſunt perceptiones 20.: ſenſu ſano qui polleat. Nota (106) p. 251.
Signatum. Definitio. 247. O.
Signum. Definitio 247. O. : demonſtrativum, prognoſticum, rememorativum 248., neceſſarium 249., arbitrarium 250. O. : ſigna diverſa in uſu ſunt, & quibus. 70. Sch. P., & Nota (103) p. 246.
Similitudo. Definitio 108. O. : generica, ſpecifica quæ ſit 109. : abſoluta inter duo dari nequit. ibid. V. Principium indiſcernibilium.
Simultanea. Definitio. 149. O.
Simplex. V. Ens ſimplex.
Singulare. Definitio. 73. O.
Situs quid dicatur. 157. O.
Soliditas intellectus a vi repræſentandi pendet. 162. P.
Somnium. Definitio 34. P. : a phantaſia provenit ibid.: naturale, ſupernaturale, divinum 35., diaboli-
cum

cum ibid. Sch. 1., objectivum, in quo non datur veritas, ſubjectivum, in quo datur 36.: objectivum quandoque veritatem habet Nota (98) p. 232.: ſimplex, compoſitum 37.: ſecundum phantaſiæ leges prodit ibid., & Nota (99) p. 232.: clarum, obſcurum 38.: a vi repræſentandi pendet. 153. P.
Somnus. Definitio. 33. P.
Spatium. Definitio 150. O.: actuale quando detur 151.; ab eoque quæ partes excludantur 154.: poſſibile quod ſit 152.: ſpatii notio imaginaria quæ ſit ib., & quatenus veræ utiliter ſubſtituatur ibid. Sch.: quædam de ſpatio vulgares locutiones explicatæ 153.: inter ſpatium, & locum diſcrimen 155. O. De ſpatio diverſæ ſententiæ referuntur Nota (42) p. 107. n. 1.: ſpatium non eſt Deus n. 2., nec Dei attributum n. 3., quæque ad hanc ſententiam confirmandam afferuntur n. 4., ſolide refutantur nn. 5. 6. 7. 8.: nec eſt potentia recipiendi extenſa n. 9., quæ in Deo poni nequit n. 10., cum Dei attributum eſſe nequeat n. 11.: nec eſt ſubſtantia creata infinita n. 12., nec purum nihil n. 13.: nec ea probant illud eſſe ſubſtantiam infinitam, quæ proferuntur nn. 14. 15.; prompte enim ea diluuntur nn. 16. 17. 18. 19. 20.: quæ ſit tenenda de ſpatio ſententia n. 20., quin a legibus motus hanc infringi timendum ſit. nn. 21. 22.
Spes. Definitio. 103. P.
Spiritus. Definitio 201. P.: quæ illi competant 202.; iis ſapientia competit 203., & ſtultitia 204.: dantur diverſæ ſpeciei 207. P.: eorum ordines infiniti eſſe poſſunt. Nota (129) p. 386.
Spontaneitas quatenus animæ tribuatur. 119. P.
Status rei. Definitio 188.: internus, externus qui ſit. 189. O.
Subjectum. Definitio 185. O.; ejus notio confuſa unde oriatur 186.: ſubjectum inhæſionis quod ſit. 245. O.
Subſtantia. Definitio 200. O.: variæ ejus acceptiones 199.: diviſibilis non eſt 206.; eique competit vis agendi 208. O.: præter Deum nullam dari ſubſtantiam impia eſt Spinoſæ ſententia, quæ refutatur. Nota (51) p. 134.
Subſtitui invicem quæ poſſint. 69. O.
Succeſſiva. Definitio. 49. O.
Supernaturale in genere, & in mundo corporeo quod ſit 52.

52. C. : ſupernaturale in anima quod dicatur. 145. P.
Suppoſitum quid ſit, & quomodo a perſona differat. Nota (112) p. 288.
Tædium. Definitio. 90. P.
Tempus. Definitio 159. O. : actuale quando detur, & circa illud quid notandum 160. : poſſibile quod ſit 161., & quod præſens, præteritum, futurum. 165. O.
Terror. Definitio. 104. P.
Theologia Naturalis unde dicatur 1. T. : quomodo differat a Revelata 2. : non tamen cum illa pugnat 3. : ejuſque tradendæ ordo 4., & ejus pretium. 5. T.
Totum. Definitio. 117. O. : naturale, artefactum, per accidens quod ſit. Nota (36) p. 89.
Traduciani qui dicantur Nota (125) p. 375. V. Propagatio animæ per traducem.
Velle mens quando dicatur 107. P.: unde fiat, ut velimus, quæ antea nolebamus, & viciſſim 115. : ad volendum, vel nolendum mens nulla neceſſitate cogi poteſt. 117. P.
Veritas tranſcendentalis, & metaphyſica, in quo conſiſtat, & a quo pendeat 127. O. : logica non habetur, ubi exulat tranſcendentalis 229. O. : relativa, abſoluta quæ ſit Nota (39) p. 95. : veritatem invenire quando dicamur 80. P. ; invenitur autem ope ratiociniorum. 82. P.
Videre nos omnia in Deo juxta Mallebranchium falſum oſtenditur Nota (124) p. 358. n. 27. : nec vero I. obeſt, quod verum videre nequeamus, niſi in immutabili veritate n. 28. : nam & in ſe ipſo verum poteſt videri tamquam in cognitionis principio n. 29. : nec obeſt II., quod ſola divina eſſentia poſſit eſſe ſpecies intelligibilis n. 30. ; hæc enim ſpecies ad percipiendum neceſſaria non eſt. n. 31.
Vigilare quis dicatur. 33. P.
Vigilia. Definitio. 33. P.
Violentia ſufficiens, & inſufficiens quæ ſit. Nota (110) p. 263.
Violentum quod dicatur. Nota (110) p. 263.
Vis. Definitio, & in quo conſiſtat 194. O. : cum potentia confundenda non eſt 195. O. : ea tamquam phœnomenon tuto ſumitur 49. C. : vires quando eædem ſint, quando di-

diverſæ 196. : vi eadem ab anima quæ præſtentur Nota (115) p. 310.: vis animæ. V. Anima.
Vis corporum ex vi ſimplicium reſultat 34.: eorumdem vis primitiva inter phœnomena eſt referenda. 43. C.
Vis inertiæ. Definitio 18. ; ejuſque ratio in quo contineatur. 19. C.
Vis motrix. Definitio 20. C. : ineſt corporibus V. Corpus: quomodo concipienda ſit 23. : quando dicatur viva, & mortua 24., & Nota (76) p. 178. : quomodo ſit in corpore concipienda 27. : ea non eſt ſubſtantia 31. : pro elemento corporis haberi nequit. 35. C. V. Corpus vi motrice præditum.
Vis paſſiva. Definitio. 18. C.
Vis repræſentandi animæ ineſt 141. P. : ab ea vi pendent quæ in anima deprehenduntur 143., ejuſque eſſentia 144., & natura 145. ; itemque ſenſationes 148., phantaſmata 151., ſomnia 153., memoria 154., formatio notionum univerſalium 157., formatio judiciorum intuitivorum 158., ratiocinia, ac judicia diſcurſiva 159. ; ratio 160., acumen, & profunditas intellectus 161., ejuſdem ſoliditas 162., ingenium 163., ars inveniendi 164., & omnia, quæ ad facultatem cognoſcitivam pertinent; immo & quæ ad facultatem appetitivam 165. : proindeque a vi repræſentandi pendet appetitus ſenſitivus 167., averſatio ſenſitiva 168., affectus 170., & omnia, quæ ad facultatis appetitivæ partem inferiorem, & ſuperiorem ſpectant 171., appetitus, & averſatio rationalis. 172. P.
Unio animæ cum corpore quomodo fiat Nota (112) p. 288. : quædam de hac unione Antiquorum opinio Materialiſmi incuſatur. Nota (130) p. 386.
Uniri quæ dicantur. 144. O.
Unitas entis. Definitio 112. O. : unitatis nomine quid veniat 114.: eædem, & diverſæ unitates quæ dicantur. 115. O.
Univerſale. Definitio 77. : magis, & minus univerſale per quid conſtituatur. 78. O.
Unum. Definitio. 112. O.
Voluntas. Definitio 107. P. : nihil vult, vel non vult ſine motivis 109., etiam quando explicare hæc motiva non valemus. 110. P.
Voluntas Dei eſt ratio ſufficiens actualitatis mundi 45. T. ; ad eam recurri poteſt., cum quæritur de a-
ctua-

ctualitate; non item cum de poſſibilitate quæritur ibid. Sch. : quæ dicatur decretum. 46. T.
Voluptas. Definitio 86. P. : quando ea oriatur 85. : ea oritur ex ſenſu perfectionis tum veræ, tum apparentis, ſed diverſo modo 88. : conſtans, & interitura quæ ſit ibid. : eo eſt major, quo major eſt perfectio, quæ cognoſcitur. 89. P.

FINIS.

PLACENTIÆ MDCCLXVII.
NONIS AUGUSTI.

EXCUDEBAT JOSEPHUS TEDESCHI.
Superiorum Permiſſu.

QUÆ IRREPSERUNT

Errata ſic **Corrigito**

	Pag.	Lin.	Errata	Corrigito
Tom. I.	105.	7.	coghor	cogor
Tom. II.	21.	36.	effectum	effectuum
	24.	19.	ponens	potens
	43.	2.	*continent*.	*continent*,
	49.	23.	intelligatur	non intelligatur
	78.	21.	CAPUT IV.	CAPUT VI.
	101.	31.	vites	urbes
	109.	7.	ad Rom. II.	ad Rom. XI.
	120.		Notam (45) pone	poſt §. 166.
	121.		Notam (46) pone	poſt §. 168.
	180.	2.	*ſitne*	*ſintne*
	184.	5.	*reſolubilia non ſint,* ſive, *ut ab aliis intrinſecis in alia*	*in alia reſolubilia non ſint*, ſive, *ut ab aliis intrinſecis*
	194.	1.	*concreditur*	*conceditur*
	210.	2.	*partim eruuntur partim*,	*partim eruuntur*, *partim*
	280.	17.	judicio nunc, &	judicio, &
	302.	7.	Mataph.	Metaph.
	404.	38.	nihil niſi	unde nihil niſi
	408.	8.	qua	quæ
	Ibid.	9.	propria ſupponat	propria, ſupponat
	412.	3.	producatur	producantur
	Ibid.	5.	quare huc	quare hic
	423.	27.	videre	videat
	449.	35.	deffectus	defectus

Digitized by Google

CATALOGO

Di Libri, che ſi trovano in maggior numero preſſo Niccolò Orceſi Librajo in Piacenza.

APparecchio per la Confeſſione, e Comunione in 12. L. —: 15.
Baſſi Aritmetica con aggiunte Teorico-pratiche. Tom. 2. in 4. L. 16: —
Bonfadio lettere in 8. L. 1: 10.
Carte Cronologiche ad uſo delle Scuole in due foglj reali L. 1: —
Catulli, Tibulli, Propertii Carmina cum Addit. in 12. L. 1: 10.
Corona di 12. Novene della B. V. in 12. L. —: 6.
.... di Novene d'alcuni altri Santi in 12. L. —: 7.
Elementi di Morale del Cav. Co: Carli in 12. L. —: 10.
Eſercizio della *Via Crucis* con 15. Rami in 12. L. 1: 5.
Goldoni l' Amor Paterno. Commedia in 8. L. —: 12.
Grazioli Verſi ſciolti in 8. L. 2: —
Guida alla vera Vocazione per le giovani Figlie in 8. L. 1: 10.
Meditazioni di Madama Iſabella Italiane, e Franceſi in 12. L. 1: 10.
Novena di S. Franceſco di Sales in 12. L. —: 6.
..... di S. Luigi Gonzaga in 12. L. —: 6.
Panegirici del P. Tornielli in 8. L. 2: 10.
Palafox il Paſtore della Notte buona in 12. L. 1: —
P. Ringhieri il Baldaſſarre, Tragedia in 8. L. 1: 5.
.... l' Adelaſia. Tragedia in 8. L. 1: 5.
Zampieri il Giobbe Poema in ottava rima in 4. L. 6: —

Digitized by Google

005653989